Digitized by Google

9.2.12

Digitized by Google

OPERE

DEL PROPOSTO

LODOVICO ANTONIO MURATORI

GIA' BIBLIOTECARIO

DEL SERENISSIMO SIGNORE

DUCA DI MODENA.

TOMO UNDECIMO.

PARTE TERZA.

IN AREZZO MDCCLXX.

PER MICHELE BELLOTTI Stampat. Veſc. all' Inſegna del PETRARCA.

CON LICENZA DE' SUPERIORI.

Digitized by Google

PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM VITAE.
ANONYMI, QUI VIXIT CIRCITER ANNUM CHRISTI DCCCX. LIBER DE COMPUTO, SIVE DE KALENDARIO.
FORMA VETUSTA MANUMISSIONIS, SINE QUA EX FAMILIA NEMO PROPRIA AD SACROS ORDINES PROMOVERE VALET.
INDEX SANCTORUM MARTYRUM, QUORUM CORPORA S. GREGORII M. TEMPORIBUS ROMAE QUIESCEBANT.
DISQUISITIO DE RELIQUIIS, SANCTUARIIS, OLEIS MIRACULORUM VIRTUTE IMBUTIS, MARTYRIBUSQUE ROMANIS.
CHRONICON REGUM ITALIAE A RODULPHO AD CONRADUM PRIMUM.
CHRONICON ALIUD SIMILE.
VETUSTISSIMI VERSUS, QUI OLIM IN BIBLIOTHECA S. ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI LEGEBANTUR.
EXPOSITIO FIDEI CATHOLICAE FORTUNATI, SEU EXPLICATIO SYMBOLI *QUICUMQUE*.
DISQUISITIO DE SYMBOLI *QUICUMQUE* AUCTORE, ET AN IS FUERIT VENANTIUS FORTUNATUS.
GUINIFORTI BARZIZII ORATIO IN SPONSALIBUS PHILIPPI BONROMEI CIRCITER ANNUM MCDXXX.
ANONYMI ORATIO IN NUPTIIS JOANNIS AUGUSTINI VICECOMITIS, ET OTTONIS MANDELLI CIRCITER ANNUM MCDXXX.
DISQUISITIO DE GUINIFORTO BARZIZIO, ET NOBILITATE, ATQUE ANTIQUITATE BORROMEAE FAMILIAE.
COMMENTARIUS DE CORONA FERREA, QUA IMPERATORES IN INSUBRIBUS CORONARI SOLENT.
EPISTOLA L. A. MURATORII JOANNI BURCHARDO MENCKENIO IN DISSERTAT. FONTANINI DE CORONA FERREA.

Notae ad pag. 189. in calce addendum ex Laurentio Patarol in ſerie Auguſtorum pag. 81. num. XLIX. *Flavius Jovianus*, quem alii *Juvianum* appellant, alii *Jovinianum*, Varonniani *ſeu Varroniani* .... filius, occiſo Juliano, Imperator renunciatus eſt a militibus An. 363. Obiit &c. An. aetat. 33. Imper. menſ. 8. Ipſe tamen Patarol *Jovianum* deinceps appellat ſemper.

Digitized by Google

PATRIARCHARUM
AQUILEJENSIUM
VITAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN VITAS PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM

PROLEGOMENA.

FERDINANDUS *Ughellus V. C. Tomo V. Italiae ſacrae Aquilejenſium Patriarcharum ſeriem, ac vitas proxime elapſo ſeculo nobis dedit, eoque in labore illum praeceſſerant Dandulus, Sigonius, Panvinius, Sabellicus, Leander, Doglionus, Claudius Robertus, & fortaſſis omnium diligentiſſime Johannes Candidus. Supervacaneum itaque videri poſſit, poſt tot Scriptores in eodem ſtadio verſari, atque eruditis oculis materiem minime novam rurſus exhibere. Dignitas tamen Aquilejenſis Eccleſiae facit, ut libenti animo accipiendum ſperem & hunc libellum. Siquidem in eo quaedam non contemnenda habentur, aliis ignota, & digna profecto, quae ad poſteros tranſeant. Quis Opuſculi Auctor fuerit, prorſus ignoro, quum nullius nomen in Ambroſiano Codice appareat, unde illud exſcripſi. Tempus autem, quo vixerit, conjecturis nonnullis aſſequi poſſumus. Quum Catalogum ſuum perducat hic Scriptor uſque ad Nicolai Patriarchae mortem, ſcilicet uſque ad Annum*

Digitized by Google

Chriſti 1338., *nihilque referat de Ludovico Turriano illius Succeſſore, veri mihi videtur ſimile, ſub eodem Ludovico, aut non longe poſtea, conſcriptum fuiſſe Opuſculum. Certe ante Annum* 1420. *haec literis mandata fuerunt, ut illinc diſcere poſſumus, ubi de S. Marco legitur:* Evangelium propria manu ſcripſit, quod HODIE in Aquilejenſi Eccleſia omnibus videre volentibus demonſtratur. *Eruditiſſimus vero Fontaninus in Epiſtola quadam, apud Cl. V. P. Bernardum de Montfaucon legenda in Diario Italico pag.* 56., *oſtendit, vetuſtiſſimum Evangelii memorati Codicem Venetias, ubi nunc ſervatur, circiter annum* 1420. *fuiſſe delatum. Quare intelligas, ante ea ſaltem tempora Scriptorem noſtrum haec literis conſignaſſe. Quanta vero fide, ac ſedulitate in his referendis uſus ille fuerit, non vacat in praeſentia diſquirere. Laudato Fontanino hujuſmodi curam, ac ſtudium relinquere juvat, quippe qui Forojulienſium res, patriaeque ſuae Hiſtoriam ampliſſimis nunc & elaboratis commentariis perſequitur. Uberius ille nos docebit, quantum ab Hiſtoriae veritate diſſentiant, quae heic de anticipata Patriarchatus appellatione, & de duobus Peregrinis, & Gotfredo Patriarchis, habentur; reliqua vero pro ſua eruditione aut corriget, aut novis luminibus augebit.*

PA-

Digitized by Google

PATRIARCHARUM AQUILEJENSIUM VITAE.

IN nomine Domini Jeſu Chriſti. Amen. Poſt ipſius ſacratiſſimam Aſcenſionem ad Patrem omnes Apoſtoli, miſſis ſortibus, per Mundi elementa ad praedicandum Verbum, per quod omne genu flectitur Coeleſtium, terreſtrium, & infernorum, & in quo ſalvamur, & ſalvi ſumus, diſperſi ſunt; & licet Beatiſſimo Principi Apoſtolorum Petro, data fuerit ſuper univerſalem Eccleſiam, ligandi, atque ſolvendi in Coelo, & in Terra plena poteſtas, Spiritus tamen, qui ubi vult ſpirat, eumdem Apoſtolum Principem una cum Apoſtolo Paulo, ſuper quos velut ſuper firmas baſes Eccleſia Dei fundata eſt, Romam deduxit. Ubi quidem Apoſtoli miraculis, & doctrinis praedictam Eccleſiam ſub Nerone illuminarunt. Quorum diſcipulus B. Marcus Evangeliſta, qui ab ore Petri Evangelium ſcripſit ex praecepto dicti Petri ad Urbem Aquilejam famoſiſſimum caput Italiae, Pontificatus ab eodem Petro accipiens baculum venit, & per plures annos verbum ſalutis ibidem prae-

Digitized by Google

praedicans, & affirmans cum Apoſtolo: *Quoniam hic eſt Chriſtus*, Evangelium propria manu ſcripſit, quod hodie in Aquilejenſi Eccleſia omnibus videre volentibus, quia tale lumen ſub modio poni non debet, ſed ſuper candelabrum, ut luceat, demonſtratur. Et ſic primus praedicator in Aquileja fuit B. Marcus Evangeliſta, qui praedicationis ſuae rugitu infinitis populis ad Fidem Chriſti converſis, & jam fundata Eccleſia, vultum Petri magiſtri ſui videre deſiderans, & ire Romam, populum occulte dimittere ſatagebat. Sed Dei intuitu vociferante populo, & omni turba Paſtorem petente, B. Hermagoras iter cum B. Marco arripiens Romam pervenit, & a B. Petro baculum accipiens Pontificatus, & velamen ſacrum ſuſcipiens, Proto-Epiſcopus Provinciae Italiae ordinatur, & ſuper omnes Eccleſias Italiae primatum obtinet. Et reverſus ad Urbem Aquilejam, Eccleſiam ſuam miro componens moderamine, Seniores, & Levitas ordinavit, quos ad Civitates alias tranſmittebat. Tandem XX. annorum ab ipſius ordinatione decurſo curriculo, omiſſis ejus ſacris operibus, & miraculis glorioſis, quae in ipſius Legenda declarantur, ſub Sevaſto Praeſide in praedicta Urbe Aquilejenſi, Nerone Monarchiam gubernante, per diverſa tormentorum genera cum S. Fortunato Diacono ſuo decollatus, Aquilejenſem Eccleſiam ſacro Martyrio decoravit, praemittens ad palmam nobiles ſacratiſſimas Virgines Hufoniam, Dorotheam, Teclam, & Heraſmam, quas propriis manibus baptizavit. Hae Virgines poſt Chriſti Paſſionem primo per Martyrii palmam immaculato Agno ſua corpora tradiderunt, quae in Eccleſia Aquilejenſi quotidie glorioſis coruſcant miraculis, & hujus S. Praeſulis precibus Aquilejenſis provincia eſt ab invaſione Daemonum liberata, nec aliquis de hac Provincia, ubicumque fuerit, a Daemone vexari poteſt, nec periclitari morſibus ſcorpionum.

Huic Beatiſſimo Praeſuli ſucceſſit B. Hilarius Patriarcha, qui ſibi commiſſum populum in Fide Chriſti verbo confortans, & opere, expletis ordinationis ſuae X. annis ſub Numeriano Principe una cum Taciano Archidiacono ſuo, & aliis tribus SSS. Dionyſio, Hilario, & Felice, bonum certamen certantes curſum glorioſum Martyrio conſummarunt. Hilario ſucceſſit Griſogomas Patriarcha, qui completis annis X. ſuae ordinationis, mirifice protexit, & rexit Eccleſiam ſuam; poſtea in pace vitam in Domino conſummavit. Griſogomae ſucceſſit Theodorus Patriarcha, qui plenus bonis operibus IX. annos ordinationis ſuae mirificus pugnator pro Fidei Catholicae nomine in pace migravit ad Chriſtum. Griſogonus Patriarcha ſedit

annos

annos XII. Agapetus Patriarcha ſedit annos XV. Valerianus Patriarcha ſedit annos XVIII. Benedictus Patriarcha ſedit annos XXV. Hi omnes quatuor, licet ſub magnis Infidelium perſequutionibus, Fidelium tamen auxerunt Eccleſiam eorum ſacris precibus, praedicationibus, moribus, & exemplis. Poſt hos ſupraſcriptos ſucceſſit B. Cromatius Patriarcha Doctor mirificus, contemporaneus egregii, & primi Doctoris B. Hieronymi, quem Cromatium idem Hieronymus natus in Oppido Stridonis in Dominio Eccleſiae Aquilejenſis ſito, inter viros illuſtres commemorat. Et in quadam Epiſtola ſcripſit Domino ſuo Cromatio beatiſſimo Epiſcopo Aquilejenſi Doctor eximius, qui librum de Hiſtoria ſcholaſtica compoſuit, & multos alios de Graeco in Latinum, & Hebraico tranſtulit. Fuit hujus tempore Rufinus Presbyter Aquilejenſis, qui & multas epiſtolas direxit Hieronymo, & Hieronymus ipſi. Sedit autem annos XVIII. & plenus bonis moribus in Chriſto quievit. Cromatio defuncto ſucceſſit Auguſtinus Patriarcha, qui poſt annos XVIII. ab ordinatione ſua, aucto populo Dei, in pace aeterna quievit. Adelphus Patriarcha ſedit annos IX. Maximianus Patriarcha ſedit annos XX. Januarius Patriarcha ſedit annos VIII. Secundus Patriarcha ſedit annos III. De iſtis quatuor nihil reperitur propter Schiſma, & perſequutionem Infidelium. Niceta Patriarcha ſedit annos XXXII. cujus tempore regnante ſecundo Theodoſio Auguſto circa annos Domini CDXXV. Attila flagellum Dei cupiens ſibi Romanum Imperium ſubjugare, & debellatus a Romanis, quibus adhaerebant fere omnes populi Occidentales, ubi occiſa ſunt CLXXX. millia hominum, reverſus in Pannoniam, & reaſſumtis viribus, iterum intravit Italiam. Et primo veniens in Forum Julii deſtruxit omnes munitiones, & fortilicia ejus, & poſtea Caſtrum Forjulienſe, quod nunc Civitas Auſtriae appellatur. Et obſedit Urbem Aquilejam tribus annis, & collem, ubi nunc eſt Caſtrum Utini, pro ſui tuitione manualiter fieri fecit. Tandem peccatis exigentibus poſt trium annorum obſedionem, infra quod tempus multa millia hominum Aquilejae occiſa ſunt, Aquilejam cepit, & deſtruxit, dictum Nicetam Patriarcham inhumaniter jugulando. Deinde ad partes alias Italiae progrediens Civitatem Concordiam, Altinum prope Terviſium, Opitergium, Patavium, & alias multas delevit Civitates. Attamen precibus B. Leonis Papae Primi idem Attila judicio Dei extinctus eſt. Poſt Attilae necem ſedit in Aquilejenſi Sede Marcellianus Patriarcha annos XXVIII. Hujus tempore Zenon Romanus faſtigium gubernabat. Odoacer Ruthonorum

Dux,

Dux, occiſo quodam Auguſtulo, qui Romanum Imperium invadere praeſumſerat, Romam ingreditur, & totius Italiae per XIII. annos obtinuit Principatum. Quem Theodoricus Rex Gothorum ad Italiam properans, cui dictus Odoacer occurrit cum innumerabili exercitu, juxta Aquilejam, & in campis Uberinis debellavit. Poſt Marcellianum Marcellinus in Sede inſtituitur Patriarchali, quam rexit Annos XV. & VI. menſes. Et non modico tempore Anaſtaſii Auguſti reformavit Eccleſiam ſuam, videlicet Urbem Aquilejenſem, quam propter invaſionem, & deſtructionem Attilae invenit plurimum deformatam, & quaſi totaliter deſtructam, & ibi quaſi nemine permanente.

Poſt Marcellinum ſedit Stephanus Patriarcha in Aquilejenſi Sede annos XV. Hic ſub Juſtino Chriſtianiſſimo Imperatore, & Theodorico regnante in Italia, qui erat Ariana infectus Haereſi, & Arianos protegebat, multa pro Fide Catholica perpeſſus eſt. Sed, Chriſto protegente, non ſolum Eccleſiam, verum etiam totam Provinciam a peſte liberavit, & mirifice rexit Eccleſiam ſuam.

Maxentius Patriarcha ſedit annos IV. menſes V.

Macedonius Patriarcha vir clarus, & pius ſucceſſit Stephano, qui Juſtiniani Auguſti aſſumtus temporibus, vitam ducens laudabilem, & Provinciam Italiae peragrans, fratres mirabiliter in Chriſto confortabar, & alebat. Tandem poſt annos XXVI. ab ordinatione ſua felici cum pace in Domino requievit.

Huic ſucceſſit Paulus glorioſus Antiſtes tempore Juſtini Imperatoris. Ejus tempore Longobardi Narſetis Patricii ductu Italiam intraverunt, quorum Hiſtoriam Paulus Hiſtoriographus, qui fuit natione Civitatenſis, diligentius ſcribit. Et dicti Longobardi primo Forum Julii intrantes, Civitatem Auſtriam, quae tunc Caſtrum Foriivienſe dicebatur, depopulati ſunt, & totaliter deſtruxerunt. Qualiter autem, & quomodo, & quid de Duciſſa, & filiis, & filiabus accidit, & in cujus ductu Longobardi Italiam intraverunt, ipſa declarat Hiſtoria. Hic Paulus Patriarcha timore dictorum Longobardorum ductus, cum theſauro, & reliquiis Eccleſiae ad Gradenſem Inſulam ſe contulit, quam novam Aquilejam appellavit, & ibi XII. ſui Pontificatus annum finivit in Domino in praedicta ſua Civitate nova.

Probinus Patriarcha Paulo ſucceſſit, qui anno uno apud Gradum vitam finivit. De ipſo nihil invenitur, nec dicitur, quia parum vixit, & ibi quieſcit.

Helias

Digitized by Google

Helias Patriarcha ſedit annos XXII. Hic quia tria capitula Chalcedonenſis Concilii ſuſcipere noluit, tamquam Haereticus reprobatus eſt. Sed Pelagius Papa Secundus eidem miſit Epiſtolam ſatis utilem, quam B. Gregorius, dum adhuc eſſet Cardinalis ſcripſit. Tunc Helias Patriarcha ab errore revocatus, de praedicti Papae Pelagii conſenſu XX. Epiſcoporum Synodum convocavit, & Gradenſem Inſulam, quae, ut praedicitur, nova Aquileja vocata fuit, totius Venetiae etiam Metropolim conſtituit. Ad quem Heraclius Auguſtus, devotione ductus, B. Marci Sedem, quam dudum Helena mater Conſtantini tulerat de Alexandria, Aquilejam direxit, & ibi hactenus veneratur apud B. Hermagorae Sedem, ubi primo praedicaverat verbum Chriſti. Venetiae quippe duae ſunt. Prima eſt illa, quae in antiquis Hiſtoriis continetur, quae a Pannoniae termino uſque ad flumen Danubii extenditur, cujus Aquileja, olim Civitas maxima, caput eſt. Secunda eſt Venetia, quae apud Inſulas maris Hadriatici ex collectione populorum propter rabiem Attilae, deinde Longobardorum, infra aquas, & paludes maris fundata eſt.

Severus Patriarcha ſucceſſit Heliae apud Aquilejam novam, & annos XV. menſes VI. ſedit, quem Smaragdus Patricius, nolentem Ravennati Epiſcopo haerere, cum tribus Epiſcopis de Grado violenter abſtrahens eum, injuria Ravennam duxit, compellens dictum Severum Ravennati Epiſcopo in tribus damnationis Capitulis adhaerere. Sed juſto judicio Dei Smaragdus Patricius a Daemone correptus, Conſtantinopolim remeavit. Severus vero, expleto anno uno, ad Gradum cum tribus Coepiſcopis rediens, non eſt receptus a populis. Nec illi voluerunt alii Epiſcopi communicare, quia errore Ravennati Epiſcopo communicaverat. Sed convocata Synodo X. Epiſcoporum in Mariano idem Severus, dato erroris ſui libello, a fratribus benigne in Patriarcham receptus eſt. Ipſi autem, qui dictae Synodo interfuerunt, fuerunt Petrus de Altino, Clariſſimus de Sablone, Angelus Tridentinus, Junior Veronenſis, Horatius Vicentinus, Laurentius Bellunenſis, Ruſticus Terviſinus, Folcherius Feltrenſis, Angelus Cenetenſis, Maxentius Julienſis, & Hadrianus Polenſis. Hujus etiam tempore, ſaeviente multitudine Longobardorum, & imperante Mauritio Auguſto, fames maxima, & mortalitas per univerſam Italiam, ac clades maxima perpeſſa fuit.

Poſt obitum Severi Patriarchae Joannes Abbas cum conſenſu Regis & Agiſlufi Duci Forjulienſis in Patriarcham in veteri Aquileja ordinatur. In Grado quoque Candianus caput Schiſmatis a Ro-

manis

manis inſtituitur. Candiano defuncto apud Gradum, Epiphanius non ſine ſchiſmate ordinatur, & ex tunc incipit appellari Patriarcha Gradenſis. Qui Epiphanius erat primus Notariorum Imperialium Romanorum.

Martianus Patriarcha ſedit annos VIII.

Fortunatus Patriarcha ſedit annos XIII.

Johannes Patriarcha ſedit annos X.

Petrus Patriarcha ſedit annos X. & nota, quod a Severo Patriarcha uſque ad Calliſtum, qui ſequitur, Patriarchae propter incurſionem Romanorum non audebant ſtare in Aquileja; ſed habitationem ſibi elegerant in Cormono.

Serenus Patriarcha ſedit annum unum, de quo nihil reperitur.

Sublato itaque Patriarcha Sereno, ſucceſſit Calliſtus vir egregius, & Eccleſiae Tarviſinae Archidiaconus, qui * adjurante Luitprando Longobardorum Rege, regimen Aquilejenſis Eccleſiae ſuſcepit. Hoc vero tempore in Caſtro Foro-Juliano, quod nunc Civitas Auſtriae appellatur, Peno Dux praeerat. Calliſtus vero Cormoni habitabat de conſenſu, & voluntate Ducum priorum. Federicus in Caſtro Foro Juliano Epiſcopus inſtituitur. Ipſo decedente Amator ſubrogatur. Calliſtus vero, qui erat vir nobilitate conſpicuus, videns quod in Dioeceſi ſua cum Duce ſuo, & Nobilibus Amator Epiſcopus habitaret, & ipſe Calliſtus rurali vulgo ſociatus vitam duceret, valde ſibi diſplicuit. Et ad praedictam Civitatem veniens, Amatorem de Foro Julii expulit, & domum ejus ſibi habitationem ſtatuit. Qua de cauſa inter Calliſtum Patriarcham, & Penonem Ducem diſcordia orta eſt. Quid ultra? Dux Peno contra Patriarcham cum multis Longobardis Nobilibus conſilium iniit, & apprehenſum eumdem Patriarcham ad Caſtellum Puſini ſuper mare, ut ſubmergeretur, duxit, quod tamen Deo prohibente non fecit. Attamen ipſum diebus multis, tribulationibus, pane, & aqua in carcere fovit. Quod Rex Luitprandus audiens, contra Penonem Ducem in iram exarſit, & de Ducatu depoſuit. Peno timore Regio in Sclavorum patriam cum ſuis fugit. Rex vero dicti Penonis filios, & omnes, qui Penoni haeſerant, longo tempore carceribus cruciavit. Poſthaec Patriarcha de Carceribus ad Civitatem rediens, ibi Eccleſiam, & Baptiſterium S. Johannis, & Palatium Patriarchale conſtruxit, & Regis ſuffultus favore Eccleſiam ſtrenue gubernavit. Poſtea, XL. ſuae ordinationis anno exacto, in pace quievit. Cujus corpus in praedicta, quam conſtruxit, Eccleſia, quieſcit in Domino.

* *forte adiuvante*

Signoal-

Signoaldus Patriarcha de genere Grimoaldi Regis ſedit annos XLII. natione Civitatenſis. Ibi habitavit, & Eccleſiam ſuam proſpere, & laudabiliter gubernavit.

S. Paulinus Patriarcha ſedit annos XV. Qui finito jam Regno Longobardorum, & in captivitate ducto Deſiderio Rege ipſorum una cum uxore, & filiis, ad glorioſum Carolum Magnum Imperatorem pro juribus Eccleſiae ampliandis profectus eſt. Et vir iſte mirae ſanctitatis ab Imperatore Carolo multa privilegia obtinuit. Et rediens in Civitate Auſtriae multis in vita miraculis claruit, & in morte. Ejus corpus in praedicta Eccleſia Civitatenſi quieſcit, & veneratur.

Urſus Patriarcha ſedit annos V. Hic primus coepit proclamationem facere de Grado Inſula plebe Synodali jure ſubjecta Aquilejenſi Eccleſiae. In qua quidam Venerius Patriarchae nomen irrationabiliter uſurpavit.

Maxentius Patriarcha ſedit annos XXVI. Ad ejus preces B. Auguſtinus Papa, & Ludovicus Imperator ad inſtantiam Lotharii filii dicti Ludovici univerſalem Synodum Mantuae celebraverunt, in qua eodem Maxentio reclamante, quod quidam Venerius falſo ſibi nomen Patriarchae in Grado Inſula plebis Aquilejenſis uſurpaverat, & retracta hujuſmodi cauſa per dictam Synodum declaratum fuit, Gradum eſſe plebem Synodali jure Eccleſiae Aquilejenſi ſubjectam.

Et depoſito Venerio ſupradicto, Andreas Patriarcha ſedit annos X. Hic ſimiliter de Grado plebe Aquilejenſi ad Lotharium Imperatorem proclamavit; qui Lotharius una cum Papa Leone vocato Concilio, iterum adjudicavit Gradenſem plebem eſſe Aquilejenſis Eccleſiae.

Venantius Patriarcha ſedit annos III.

Theotmanius Patriarcha ſedit annos XXI. Hic ſupradicto Lothario, & Domino Ludovico ejus filio regnantibus, Eccleſiam mirabiliter gubernavit, & pro Gradenſi plebe reclamavit, & a Ludovico obtinuit Papiam.

Lupus Patriarcha ſedit annos III. Hic ſimiliter a praedicto Ludovico in protectione ſuſceptus eſt, & coram dicto Papa, & ipſo definitum eſt, Inſulam Gradenſem eſſe Aquilejenſis Eccleſiae.

Walpertus Patriarcha ſedit annis XXVII. Hic Carolum Secundum filium Ludovici, & coronatum a Papa Joanne VIII. Romam ſociavit, & ab ipſo multas gratias impetravit.

Federicus Patriarcha ſedit annos LIII. Hic mirabiliter auxit, & protexit Eccleſiam. Hujus tempore imperante Carolo III. magna Ungarorum gens a Syria egreſſa in quandam Provinciam, quae adjungi-

jungitur fimbriis Eccleſiae Aquilejenſis, primitus venit, & ibi habitare coepit; erat enim gens crudeliſſima, carnem comedens, & ſanguinem bibens pro potu. Quos dictus Federicus Patriarcha repreſſit, & longius fugavit, reddens pacem Heſperiae, quae eſt caput Eccleſiae. Corpus ipſius in Aquileja quieſcit, & ſupra ejus ſepulcrum ſcriptum eſt tale Epitaphium.

Conditur inferius nitido Patriarcha lapillo,
  Praeclarum nomen cui Federicus erat.
Pannoniae rabiem magno moderamine preſſit,
  Et pacem afflictae contulit Italiae.
Egregius Paſtor mittens dum paſceret agnos
  Semper utrique gregi pabula lecta dedit.
Annoſae aetatis poſt curſum in luce quieſcit
  Et cumulata capit praemia pro meritis.
Hunc Deus omnipotens proprio diravit honore,
  Poſt haec Angelicis aſſociando choris.
Tu quoque Praecurſor Chriſti Baptiſta Johannes
  Pontifici meritis auxiliare tuis.

Leo Patriarcha ſedit annos XXII. Hic quia pro libertate Eccleſiae ſuae laborabat, a quodam Roaldo Longobardorum Duce Fori Julii occiſus eſt. Propter quod omnia ejus bona per ſententiam Principum confiſcata fuerunt, ut inferius apparebit.

Urſus Patriarcha ſedit annos XXIII. Hic tempore Berengarii ſecundi totus Deo deditus multas graves ſolicitudines pro Eccleſia ſua Aquilejenſi pertulit. In Civitate Auſtriae felici pace quievit, & hoc fuit circa annos Domini DCCCCXXXI.

Lupus Patriarcha, ſicut in antiquis Chronicis legitur, ſedit annos LVI. Sed non ita in autenticis privilegiis reperitur, quum Berengarius Tertius, qui fuit ſub annis Domini DCCCCXXXI. multa privilegia conceſſerit Patriarchae Hengelfredo; nec non Rodaldus ſucceſſor ſuus largas ſibi fecerit donationes, & Eccleſiae ſuae praedictae.

Hengelfredus Patriarcha ſedit, ut dicitur, annos LVII. Sed non certe reperitur. Verum Berengarius, & Otto primus multa privilegia Eccleſiae Aquilejenſi tempore iſtius contulerunt, & quod valde bonus, & utilis fuit Eccleſiae ſuae, bene reperitur.

Rodaldus almificus Patriarcha nobilis genere, ſed nobilior opere, qui pro exaltatione Eccleſiae ſuae ubique laborans ab Ottone Secundo, & Tertio plura privilegia, & plures gratias, & largitiones obtinuit. Et inter cetera quidquid quidam Longobardus nomine Rodaldus, qui Leonem Patriarcham interfecerat, de quo ſupra mentionem

tionem feci, habebat inter Placum, & Liquentiam, Eccleſiae Aquilejenſi tradidit. Sed quantum ſederit, pro vero non reperitur. Sed fertur, quod annos LVIII. ſederit.

Johannes Patriarcha ſucceſſit eidem, ſeditque annos XIX. Hic ab Ottone Tertio plura privilegia habuit, & de Grado Inſula in qua erat quidam Patriarcha Urſo nomine coram Henrico Primo Imperatore contra eum reclamavit. Qui Henricus Secundus appellabatur. Ejus uxor fuit Beata Cunegundis.

Popo Patriarcha venerabilis ſedit annos XXIV. Hic Cancellarius magni Conradi Imperatoris, qui totum orbem pacificavit, in Patriarcham aſſumtus eſt. Hic glorioſus Antiſtes Templum Aquilejenſis Eccleſiae de novo conſtruxit, quod una cum B. Papa Johanne XVIII., & aliis S. R. E. Cardinalibus, & aliis Epiſcopis Suffraganeis ſuis conſecravit. Monaſterium B. Mariae Virginis extra muros Aquilejae conſtruxit. Et tam Templum, quam ipſum Monaſterium mirabiliter dotavit, innumerabiliaque bona ipſi Eccleſiae fecit, quae brevitatis cauſa omitto. Hic apud praedictum Papam Johannem, & Conradum Imperatorem fieri Romae Concilium procuravit, & demum Ravennae, in quorum itaque proclamatione facta de Grado plebe ſua, & citato Urſone, qui ſibi falſo nomen Patriarchatus aſſumſerat, & contumaciter in dictis duobus Conciliis non comparente, dicta Inſula adjudicata eſt, plebem eſſe Aquilejenſis Eccleſiae, & falſo Patriarchatus titulum ſibi ineſſe. Et ipſo procurante armata manu omnes Theſauri Eccleſiae Aquilejenſis, qui portati erant per Dominum Paulinum olim Patriarcham, reportati ſunt per dictum Dominum Poponem. Et huic Patriarchae B. Papa Johannes ſuper XVI. Epiſcopatus poteſtatem contribuit una cum praefato Imperatore, & alia multa privilegia, & largitiones Eccleſiae Aquilejenſi, quae nimis prolixum eſſet narrare per ſingula. Cujus corpus jacet in Eccleſia Aquilejenſi in medio. Et vere in medio Eccleſiae aperuit Dominus os ejus. In ejus ſepulcro marmoreo hi verſus ab omnibus leguntur.

Popo Sacerdotum lux, & decus Eccleſiarum,
Gloria Romani ſpes ſimul Imperii.
Conſtrictus vinclis humanae conditionis
Ecce ſub hac mole ſit cinis ex homine.
Inſtruit ut Paulus, fuit omnibus omnia factus,
Fere ſtudens Domino dupla talenta ſuo.
Hic locus eſt teſtis, quibus ille reſplenduit actis,
Ille quidem donis, moribus atque probis.

Digitized by Google

Exornans iſtam Chriſto fundaverat aulam,
Ultima principio quem dedit hora ſuo.
In libra Phoebo duodena parce beato
Agne Dei, Domino, te rogo, parce meo.

Hebenardus Patriarcha huic ſucceſſit. Dies vero ordinationis ſuae fuerunt anni V. Et de ipſo nihil dicendum invenitur.

Gotpoldus Patriarcha ſucceſſit huic, & ſedit annos XVII. Qui etiam de Grado Inſula proclamationem maximam fecit. Cui tam per Alexandrum Papam Secundum, quam per Henricum Imperatorem Tertium dicta plebs cum Inſula adjudicata eſt Eccleſiae Aquilejenſi, & per utroſque eſt ſibi data poteſtas ſuper XVI. Epiſcopatus, videlicet Tarviſinum, Paduanum, Vicentinum, Mantuanum, Brixienſem, Tridentinum, Crapulanum, Concordienſem, & ſic de ſingulis. Sub cujus tumba marmorea hoc Epitaphium ſcriptum eſt.

Hoc ego Gotpoldus jaceo miſer in monumento,
Heic Praeſul dictus nomine, non merito.
Sed quia mortalis me pejor non erat ullus,
Fili Chriſte Dei, nunc miſerere mei.
Ora pro famulo Sancta Maria tuo,
Perpetua a morte libera me, Domina.
Crux mihi ſit requies, Crux mihi ſancta ſalus.

Ravangerus Patriarcha ſucceſſit eidem, & ſedit annos IV. menſes X. dies XVIII. De quo nihil reperitur.

Sigbardus Patriarcha ſedit annos IX. menſes IV. Huic Henricus Quartus dedit Marchiam Carniolae, & alia multa privilegia. Conceſſit eidem Eccleſiae Aquilejenſi Regaliam ſuper XVI. Epiſcopatus, quos Urbanus etiam Papa Secundus confirmavit. Qui Urbanus fuit circa annos Domini MXCVIII.

Henricus Patriarcha ſucceſſit, & ſedit annos VI. & menſes VI., de quo nihil reperitur.

Federicus Patriarcha ſucceſſit eidem, ſeditque annum unum, & menſes VI. de quo nihil reperitur.

Vodolricus Patriarcha primus ſucceſſit eidem, & ſedit annos XXXVII. menſes VII. dies VII. Hic cum Henrico Quarto Imperatore Romam vadens pro ipſius coronatione, propter aliquam diſſenſionem inter Paſchalem Papam, & ipſum Henricum Imperatorem, Paſchalis Papa cum Cardinalibus capitur, & ipſi Patriarchae in cuſtodia traditur. Tandem factis compoſitionibus Henricus coronatur, & poſt aliquod tempus procurante dicto Patriarcha pax firma inter dictos Papam, & Imperatorem facta eſt. Propter quod idem Imperator multa

Digitized by Google

multa privilegia Aquilejenſi Eccleſiae dedit, dataque, & conceſſa confirmavit. Ejus corpus in praeſenti in Aquilejenſi Eccleſia requieſcit.

Gerardus Patriarcha ſedit annos IX. Qui bonis moribus, & bonis operibus plenus in dicta Civitate Auſtria feliciter migravit ad Chriſtum, & optime rexit Eccleſiam ſuam antedictam.

Peregrinus Patriarcha primus ſedit annos XXXI. Tempore iſtius fuit Henricus Secundus in Aquileja. Hujus etiam tempore Lotharius a Papa Innocentio Secundo coronatur, cui coronationi interfuit idem Peregrinus Patriarcha, & de Regalibus largitionibus ab ipſo Henrico, Imperatore inveſtitus fuit.

Peregrinus Patriarcha II. ſedit annos XX. menſes VII. dies III. Hic cum Conrado II. Imperatore Cruce ſignatus ad praedicationem B. Leonardi Confeſſoris circa annos Domini MCXXXVIII. una cum Rege Franciae mare tranſivit ad Infideles, & rediens cum eodem, vitae ſuae in Aquileja diem in Domino clauſit extremum.

Gotfredus Patriarcha ſedit annos XXII. De Regali proſapia fuit. Eccleſiam, & totam ſuam provinciam mirabiliter auxit, ditavit, & honoravit. Hujus tempore Federicus Primus anno Domini MCLIII. per Papam Hadrianum IV. eſt coronatus Imperator, & hic Patriarcha huic coronationi interfuit.

Vodalricus Patriarcha ſedit annos XX. menſes VII. dies VII. Qui Legatus Apoſtolicae Sedis factus eſt, & * Federicus Imperator primi conſanguineus. Ab Hadriano IV. & Alexandro Tertio confirmationes privilegiorum ſuorum obtinuit. Huic etiam dictus Federicus omnia privilegia Imperialia, & Regalia confirmans, ſibi etiam Marchiam Hiſtriae, & Carniolae Ducatum, & Comitatum Fori Julii, & multa alia loca, & caſtra, & terram inter Plavim, & Liquentiam jacentem confirmavit. Dedit etiam Eccleſiae Aquilejenſi de Imperiali largitione Montem Silicis, qui eſt juxta Paduam per X. milliaria cum omnibus ſuis appendiciis. Et poſt reconciliationem factam inter Alexandrum Tertium, & ipſum Dominum Imperatorem ipſe Alexander fecit dictum Voldaricum per totam Italiam Vicarium ſuum generalem. Hic duplici legatione, ſcilicet Papali, & Imperiali coronatus fuit. Jacet in Aquilejenſi Eccleſia, in cujus monumento infraſcripti verſus deſcripti, & ſculpti ſunt.

Alter Volricus jacet heic Patriarcha benignus.
Fluctibus illaeſam ſchiſmatis Eccleſiam
Rexit, ditavit, Fratres hos ipſe beavit.
Cum juſtis maneat, gaudia multa habeat.

Pere-

Peregrinus Tertius Patriarcha ſedit annos XIV. menſes VII. dies III. Iſte reaedificavit Eccleſiam Civitatis Auſtriae, quae cum omnibus libris, & theſauris exuſta fuit, fecitque in ea tabulam argenteam, & alia mirabilia Clavodia auro argentoque contexta, & eam multis bonis ditavit. Sed pulchriorem fecit in Aquilejenſi Eccleſia, quae pignorata longo tempore per incuriam Paſtoris fuit Venetiis, & quam Veneti hodie ſervant pro pretioſo theſauro. Iſte primus coepit amicitiam, & pacta contrahere cum Venetis.

Volkerus Patriarcha Beatus ſedit annos XIII. menſes VII. Hic ab Henrico V. & Ottone IV. confirmationes privilegiorum Eccleſiae ſuae obtinuit, & coram eis, & coram Federico Secundo Marchionatum Hiſtriae, quem Dux Bavariae, Ludovicus nomine, tenebat, per Principum ſententias obtinuit. Et facta eidem reſignatione per dictum Dominum Ducem de hoc Marchionatu, per omnes tres Imperatores ſucceſſive praefatus Dominus Patriarcha inveſtitus eſt. Cui etiam Otto praedictus Montem Silicis donavit cum omnibus juribus ſuis. Hic multa ſanctitatis opera in vita ſua fecit, quae Deus poſt ipſius mortem mirabiliter oſtendit uſque in hodiernum diem; nam ejus archa marmorea in Aquilejenſi Eccleſia in aere pendebat viſibiliter ſtans circumquaque per quatuor digitos ſuper terram. Et nunc ab uno angulo terram tangit modicum, aliis tribus angulis minime terram tangentibus. Tempore vero ruinationis Eccleſiae praedictae ab omnibus partibus manet ſuper terram uſque in hodiernum diem.

Bertoldus Patriarcha ſedit annos XXIII. menſes IV. Iſte filius Ducis Moraviae, patruus fuit B. Heliſabet; quae filia fuit Regis Ungariae, cujus B. Heliſabet mater fuit ſoror dicti Patriarchae Bertoldi. Hic Archiepiſcopus Collocenſis exiſtens in Patriarcham aſſumtus eſt. Qui Federico Secundo adhaerens uſque ad ejus depoſitionem, multos honores, multaque privilegia, & gratias obtinuit ab eodem. Et multa bona una cum patre, & matre, Eccleſiae contulerunt, & potiſſime in Carinthia, & Marchia Carniolae. Cui praedictus Imperator etiam Montem Silicis inter alia tradidit. Hujus tempore Ezelinus de Romano tyrannidem exercebat. Et licet idem Bertoldus indignationem, eo quod adhaerebat Federico Imperatori, Sedis Apoſtolicae incurriſſet, ad Romanam Curiam cum magna Baronum, & Nobilium comitiva acceſſit, & ibi magnalia multa oſtendens, ab Innocentio IV. glorioſe ſuſceptus, gratiam, & benedictionem obtinuit. Et rediens de Curia Romana poſt aliquod tempus multa dimittens de proprio patrimonio Eccleſiis, in Aquileja felici pace quievit. Cujus corpus jacet in introitu Eccleſiae memoratae

infra

infra Eccleſiam. Et dicitur, quod quando primo Eccleſiam intravit, ubi nunc eſt monumentum ipſius, ceſpitavit fortiter, & ſtatim ibi dixit: Haec requies mea in ſeculum ſeculi, heic habitabo, quoniam elegi eam. Hic etiam Civitatem Auſtriae ampliavit, & refecit. Necnon Eccleſiam B. Odorici aedificavit in Utino.

Gregorius de Monte longo ſedit annos XIV. menſes VIII. Hic factus Patriarcha per Innocentium IV. anno Domini MCCLIII. venit ad ipſam ſuam Eccleſiam. Hic, antequam eſſet aſſumtus ad Patriarchalem dignitatem, exiſtens Notarius Papae, miſſus fuit Legatus contra Federicum jam depoſitum de Imperio. Qui dum Parmam obſideret, Parmenſes videntes auxilium ſibi paratum, egrediuntur, & idem Gregorius una cum Parmenſibus exercitum Federici aggreſſi ſunt, & ſpoliis acceptis ipſum Federicum cum exercitu ſuo non ſine magno damno, & opprobrio expulerunt. Hic glorioſus Antiſtes multa laudabilia opera operatus eſt; multas guerras pro libertate Eccleſiae ſuae cum Comitibus Goriciae perpeſſus eſt, & tandem Eccleſiam ſuam, dum vixit, potenter protexit. Mortuus eſt in Civitate Auſtriae, quam intime ſuper aliis locis diligebat. Cujus corpus in pace quieſcit juxta corpus B. Paulini Patriarchae anno Domini MCCLXIX.

Eodemque anno electus fuit Philippus Dux Charintiae, quem Dominus Gregorius Decanus voluit confirmare. Sed factus fuit generalis Capitaneus Eccleſiae Aquilejenſis. Et vacavit Sedes annos IV. Hujus tempore capta fuit Civitas Auſtriae proditorie per Federicum de Pinzano Vicarium ſupradicti Philippi, faventibus ſibi omnibus Caſtellanis, & nonnulis intrinſecis. Expulſi vero fuerunt fere omnes boni populares, & alii capti, alii gladio interemti, & omnia bona ſua ſibi abſtulerunt. Eo autem tempore, & anno Rex Bohemiae Vaſſallus Eccleſiae Aquilejenſis habens ab hac Feudum Spirituale, pro redemtione Civitatis Auſtriae miſit Vicarium ſuum cum magno exercitu, qui tandem Civitatem obſedit, quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Intrinſeci proditores ad pacta venientes, terram, & libertatem propriam, & priſtinam, reſtituerunt cum honore.

Raimundus Patriarcha ſedit annos XXV. menſes II. dies VI. Hic exiſtens Epiſcopus Cumanus, creatus eſt Patriarcha per Dominum Gregorium Papam X. anno Domini MCCLXXIII. Iſte in adventu ſuo cum Alberto Comite Goriciae pacem fecit; ſed modicum duravit. Anno vero Domini MCCLXXVII. acceſſit ad Illuſtrem Dominum Rodulphum Regem Romanorum, & habito colloquio

cum

Digitized by Google

cum eodem ad primum eſt reverſus. Et quia Veneti coeperunt occupare Terras Hiſtriae, incoepit graves facere guerras cum eiſdem. Quae quidem guerra incoepit MCCLXXIII. de menſe Martii, & duravit fere annos XI. Hoc tempore Veneti obſederunt Tergeſtum, & fecerunt terram unam juxta Tergeſtum, quam Romagnam vocaverunt. Ipſe autem Patriarcha cum exercitu ſuo valido, & potentiſſimo Venetos debellavit, ſpoliaque infinita tulit, & Romagnam praedictam deſtruxit, & tandem ſub annis Domini MCCXCI. pax inter partes facta fuit, & publice proclamata. Mortuus autem praefatus Raimundus Patriarcha in Caſtro Utini, & Aquilejam portatus, ac ſepultus in Capella S. Ambroſii, quam ipſe conſtrui, ac fabricari fecit anno Domini MCCXCIX. Ejus anima requieſcat in pace.

Petrus Patriarcha ſedit annum unum, & menſes VII. dies XXVI. Huic licet magnanimus fuerit, & antiquus dierum, ideo modicum ſupervixit. Ejus corpus in Utino jacet in Capella S. Mariae Caſtri Utini. Defunctus eſt anno Domini MCCCI. De cujus geſtis nulla fit mentio.

Ottobonus Patriarcha ſedit annos XIII. menſes II. dies XVII. Qui dum eſſet Epiſcopus Paduanus, creatus eſt Patriarcha a Sede Apoſtolica, videlicet per Dominum Bonifacium Octavum ſub annis Domini MCCCII. Hic mirabiliter regere coepit. Multa ſolvit debita Romanae Curiae. Salinas Mariani coepit, & fecit. Coepitque Caſtrum Manzani, & pretio, antequam veniret in Sede, emit Salicetum. Hujus tempore ſub annis Domini MCCCV. Ricardus de Camino cum exercitu ſuo valido expugnavit Spinginbergum, ipſumque habuit ſub certis pactis anno Domini MCCCII. Idem Patriarcha coepit Caſtrum Budii fortiſſimum & bene muratum, gentibuſque, & victualiis munitum; ſed juſto Dei judicio mirabiliter captum eſt, de gentibus ipſius Domini Patriarchae nemine laeſo; omnes autem intrinſeci captivi facti ſunt ſub ipſius Domini Patriarchae miſericordia; & relicto vexillo S. Eccleſiae Aquilejenſis in Caſtro praedicto, ad propria cum gaudio, & honore eſt reverſus. Eodem autem anno obſedit Caſtrum de Urimiſporch, ipſumque obtinuit. Eodemque anno Sacilum recuperavit detentum per dictum Dominum Ricardum de Camino. Inſuper anno Domini MCCCIX. idem Dominus Patriarcha deſtruxit, & ruinavit muros Terrae Venzoni; necnon eodem anno Ricardus de Camino fuit debellatus in Utino, & unus Nobilis de Spinginbergo fuit interfectus gladio, ac multi alii Nobiles rebelles praefato Domino Patriarchae tunc captivati ſunt. Et multa alia fecit, quae cauſa brevitatis heic omittuntur. Poſtremo cur-

mo currentibus annis Domini MCCCXIV. praefatus Patriarcha pergens ad Curiam Romanam, quadam oppreſſus infirmitate in loco, qui dicitur Arquà Comitatus Placentiae, Domino tradidit ſpiritum.

Caſtonus de la Turre Mediolanenſis Dioeceſis eidem ſucceſſit, ſeditque in Patriarchali Sede annum unum, menſes VII. dies XX. & non pervenit ad Eccleſiam ſuam; ſed veniendo de Curia migravit ad Chriſtum in Florentia, & ibi requieſcit in pace.

Paganus Patriarcha ſucceſſit eidem, ſeditque in Patriarchali Sede annos XII. menſes VIII. diem unum. De cujus geſtis non fit mentio in praeſenti. Bavarus Dux Bavariae, & Marchio Bramburgenſis a tribus eligentibus ad Imperium Laicis, duobus vero Clericis Archiepiſcopis non conſentientibus, cupiens Imperium uſurpare ſub anno Domini MCCCXXXI. manu forti, & animo ingenioſo, & cauto intravit Italiam, Romae cupiens coronari ex quorumdam ſapientum ſibi adhaerentium conſilio tempore Johannis Papae. Iſte Bavarus in Romana Civitate Papam fieri fecit, & Cardinales, & multos Praelatos, contraque Apoſtolicam Sedem multa geſſit, & ab ipſis Coronam accepit Imperii contra Eccleſiae voluntatem, a quo Papa tunc depoſitus, & excommunicatus fuit, & ſimiliter a Papa Benedicto, & Clemente VI. ſubſequentibus. Tandem ab Eccleſia miſericordiam conſequutus tempore dicti Clementis, ab excommunicatione ſolutus, migravit apud Ducatum ſuum. Cui ſucceſſit quidam ejus filius, cum quo Carolus Rex Bohemiae multas habuit guerras propter Comitatum Tirolenſem in dotem per praefatum Bavarum datum cuidam ſuae filiae in matrimonium traditae cuidam Domino Joanni fratri............. in uxorem poſtmodum a viro ſuo ſeparatam nonnullis legitimis occaſionibus. Idem Carolus habuit contra eum bella maxima, & obtinuit. Tandem bonis meritis a Chriſto exigentibus praefatus Carolus, faventibus ſibi Papa Clemente praedicto, & Domino Philippo Rege Francorum ab eligentibus ad Imperium communiter eſt electus Imperator.

Iſto autem tempore electo Carolo, & confirmatione a praefato Clemente Papa, & Romana Eccleſia comprobata, & roborata, in S. Aquilejenſis Eccleſiae Sede reſidebat tunc Bertrandus Patriarcha de S. Gineſio Doctor miri Juris, vir bonus, pius, ſanctus, & juſtus, cujus opera, & probitates multae fuerunt, quae alibi in loco ſuo ſtatum ſibi clare vendicant. Cui Carolo adeo tamquam pater erat una cum filio intime dilectus, de quo Patriarcha multa erunt ſcribenda, quae in praeſenti capitulo brevitatis cauſa omittuntur. Idem

autem Patriarcha ſedit annos XV. menſes XI. dies VI. Qui crudeliter ab inimicis Eccleſiae apud Villam, quae eſt in Richiniult juxta Tulmentum ipſo a Sacilo cum ſuis militibus, & gentibus Utinum veniente, gladio penetrante occiſus eſt, & Utinum ductus, apud cujus ſepulcrum marmoreum hiſtoriatum in S. Maria Majori in Utino per eum a Domino miracula fiunt. Et, ut ſupra praedici debebat, fabricavit Sacilum ex muris Cavolani acquiſiti per eum, & recuperavit Cadubrium armata, & potenti manu, quod tenebat Eccleſiae ſuae violenter quidam Heugilinarus, & alia infinita notabilia, & bona opera fecit, dum in hac luce, & regimine vixit, ſed in opuſculo hoc nihil ad praeſens tractatur.

In cujus S. Sede ſucceſſit Nicolaus Patriarcha ſupradicti Caroli IV. Imperatoris frater anno XI. Clementis Papae VI. videlicet MCCCL. Hic Patriarcha contra Johannem Franciſcum de Caſtello perpeti rebellem ſuum, & Eccleſiae Aquilejenſis, victoriam una cum Nobilibus, & Communitatibus ſuis, & D. Marinardo Comite Goriciae ſibi favente obtinuit. Caſtrum Tercenti obſedit, ac funditus diruit, conſumtis omnibus, & foſſatis planatis, ac duobus ejus filiis captis, poſtmodum liberatis. Caſtra eorum Tercenti perierunt, & ibi rebelles Eccleſiae perſiſtentes, per ipſum Patriarcham obſeſſa ſunt, & capta, ac funditus diruta, uno ipſorum fratrum capto, & perpetuo carceribus mancipato. Poſtquam idem Johannes Franciſcus capitur, mirifice in Civitate Caprularum per nonnullos Furlanos, & ligatus Utinum ductus eſt, & ibidem a filio primitus ſententiato, & a multis aliis capitalem ſubiit ſententiam. Cujus caput in haſta, per medium diem in platea omnibus ipſum videre volentibus permanſit. Hic quoque Patriarcha ſimiliter alias multas contra rebelles Aquilejenſis Eccleſiae obtinuit victorias, multoſque per judicium decollari fecit. Caſtellaſium, & alia loca funditus dirupta ſunt. Et heic brevitatis cauſa omittuntur, quae alibi declarabuntur. Hic etiam Patriarcha decoravit Cameram, quae omnia, ſive eorum major pars, reſtaurata ſunt poſt ejus mortem. Hic tulit brachium S. Viti de Marano, quod etiam poſt ejus obitum recuperaverunt. Et tandem divino judicio ipſo eunte, vel fugiente * con Reliquiis, & rebus antedictis in Civitatem Feltrenſem, ſeu Bellunenſem, crudeliter, & turpiter extremum vitae ſuae clauſit diem. Et ſic, ut praedicitur, ſupradicta omnia fuerunt reſtaurata. Multa etiam alia dicenda forent, quae nunc omittenda duximus. Cujus corpus ſepultum fuit in Eccleſia Majori B. Mariae de Utino.

FINIS.

Digitized by Google

ANONYMI
LIBER DE COMPUTO.

Digitized by Google

IN LIBRUM DE COMPUTO.

COMPOTUS, *ſive* Computus *apud rudium ſeculorum Scriptores nihil aliud erat, quam* Notitia curſus Lunae, ac Kalendarum, *ſive* Scientia certificandi tempus ſecundum Solis, & Lunae progreſſum, *ut Durandus ait Lib. VIII. Cap. I. Rational. Nempe nomen ductum a* computando, *quod neceſſarium ſit computare Solis Lunaeque curſum, Annos, Menſes, ac dies, ut diſcantur Cycli Decemnovennales, Epactae, Biſſextus, Saltus Lunae, Kalendae, Idus, ac praecipue Paſchatis tempus, atque alia id genus, quae omnia nunc* Kalendarii *appellatione communius ſignificantur.* Computi *vero ſcientia olim cum Presbyteris tum Clericis magna ſolicitudine commendata; legibuſque etiam cautum, ne quis ab ea addiſcenda eximeretur, ut Du Cangius in Gloſſario Latino ex multis documentis oſtendit. Et in id quidem argumentum nonnullos veterum Libros editos habemus; alios Bibliothecae clariores adhuc ſervant Manuſcriptos. In* Computi *vero explicatione praeſertim Beda excelluit, cujus non unum hac de re Opuſculum inter ejus Opera occurrit. Librum* de Computo *Rabani Mauri edidit Baluzius Tom. I. Miſcellan. pag.* 1. *In Bibliotheca quoque Cottoniana Gildae Monachi exſtare* Librum MS. de Computo *Capitulis XCIX. conſtantem, ex Uſſerio didicimus, ut Maximum Monachum, Iſaacum Argyrum, Durandum, aut alios etiam longe antiquiores, tum apud Graecos, tum apud Latinos, praeteream, qui de Cyclis Paſchalibus, aut de* Computo *egere in variis Epiſtolis, atque Tractatibus.*

Proxime autem praeteritis ſeculis, quibus Literae tam proſpero ſucceſſu excoli ſunt coeptae, ut potius veteres nobis, quam nos veteribus heic invidere jam debeamus, Kalendarii ſcientia *annis admodum erudi-*

eruditeque pertractata, celeberrimos dedit Scriptores, quos nulla non miretur aetas. Et adhuc aevo noſtro habemus Caſſinum, Blanchinium, Bonjourium, Manfredum, Quartinonum, alioſque praeſtantes viros, in quorum ſcriptis renovata, atque agitata eſt controverſia de Correctione Gregoriana. Non ingratum vero Eruditis hiſce, aliiſque Kalendarii cultoribus, factùrum me puto, ſi & hunc Librum evulgem, quum antiquorum eruditio, quamquam ſterilis interdum, atque interdum etiam fabulis ac erroribus intermixta, non parum inſervire poſſit ac ſoleat ad juvandam perficiendamque recentiorum eruditionem in hocce potiſſimum argumento.

En ergo Librum de Computo, *quem uti nondum editum deſcripſi ex Codice LXX. Lit. S. Ambroſianae Bibliothecae. Codicis characteres perantiquì ſunt, at non auſim affirmare ad ipſam aetatem referendos, qua vixit Libri Auctor. Innumera illic, ad faſtidium uſque, & in Grammaticam, & in Orthographiam peccata, quorum nonnulla, quia nimis in oculos incurrentia, ſuſtuli; reliqua verò dimiſi, condonanda illorum temporum, ſive etiam Librariorum aut imbecillitati, aut uſui. Quo tempore Auctor vixerit, non facile deprehendas; nam huc ille congeſſit aliorum Scriptorum lucubrationes, quae ad varia tempora ſpectant. Attamen Anno Ch. MCCCX. aut ſummum paucis poſt annis Auctor floruiſſe videtur, quod conjicere poſſumus e Cap. CLIII. & ex aliis locis. Non dubito autem, quin praeter multa, quae in Libris Bedae, Rabani, aliorumque repetita occurrunt, alia quoque heic habeantur, quae fruſtra alibi quaeras, quamvis à falſis ac fabuloſis non ſemper ſejuncta. Epiſtolas Proterii, Dionyſii, aliorumque omiſi, quippe à Bucherio, & partim etiam à celebri Petavio publici juris jam factas. Retinui tamen Prologum Libri, nempe Epiſtolam S. Cyrilli Alexandrini, quamquam à Petavio editam in Appendice ad Libros de Doctr. temporum, ut collatione utrorumque exemplarium, mendis ſcatentium, conentur eruditi veram Cyrilli mentem expiſcari. Cum Prologo ſive Epiſtola laudata conjungitur in Ambroſiano Codice fragmentum aliud cum hoc titulo.* Item ratio Solis, vel Lunae curſus, atque biſſexti, *quod apud Petavium non legitur, & certe Cyrillo ſive Graeco homini tribuendum nequaquam videtur, quamvis continuato ſtylo omnia nectantur in eodem Codice Ambroſiano. Sed ultra detinere Lectorem non placet.*

LIBER

LIBER DE COMPUTO.

INCIPIT PROLOGUS

S. CYRILLI ALEXANDRINI

EPISCOPI

DE RATIONE PASCHAE.

SANCTUM Paſchae myſterium, ejuſque ſacra ſolemnitas, ſicut eſt a Salvatore noſtro Apoſtolis tradita, obſervatur, inlibata manſiſſet, ſi eam quorumdam perverſitas inter cetera fidei Sacramenta minime temeraſſet. Illi etiam qui eorum pravitati reſpondere conati ſunt, & LXXXIV. annorum circulum inſtituerunt, perfectae rationis circulorum tenuiſſent, ſi in ſupputatione menſium, vel annorum humanam, ſeu Divinam traditionem ſequi potuiſſent. Unde tantis ſunt ignorantiae tenebris involuti, ut in utrumque Paſchalis ignorantiae periculum deciderint. Ita etiam XIV. Luna, quam vulgus ſextam decimam putat, cum adhuc orbis ſui circulus nonae non impleviſſet, ad veſperam Sabbati, & ante menſem noverunt, Paſcha celebrando, contra praeceptum Domini frequenter docentur erraſſe,

Digitized by Google

raſſe, quod alii pervidentes, ac reprehendentes, & quaſi emendare cupientes, quia non divina revelatione inluminatis, ſed humanae ſcientiae praeſumptiones elati ſunt, pejus aliis addiderunt, ut ſicut illis ſex quatuor decennitates, ita & iſti per ſeptem ſedecennitates, & quaſdam dimenſionum pergulas duplicatos, vel multiplicatos numeros, ac monogrammos adnotantes, diverſos, & inextricabiles circulos deſcribere niterentur. Per quorum difficultates anguſtas, & infinitas controverſias, quibus ſe invicem impugnantes ita ſunt offenſi nonnulli, ut relictis obſervationibus omnibus octavo tantummodo Kalendarum Aprilium die quotacunque Luna vel Feria incidiſſet, jam non Paſcha Domini (quod enim eſt in die ſolemnitatis Reſurrectionis, & in Luna plenitudinis luminis, ac ſocietas ſempiterni Solis) ſed in natale Mundi tantummodo irrationabiliter celebraſſent. Superfluo autem quis extendit humanum ingenium, & linguam habuit expolitam, niſi ab eo qui ſtultam facit ſapientiam hujus mundi, ad veram ſapientiam ſenſus ejus dirigatur. Cum his igitur atque hujuſmodi diſſenſionibus per univerſum orbem Paſchalis regula turbaretur Sanctorum totius orbis Synodi conſultatione decretum eſt, ut quoniam apud Alexandriam talis eſſet reperta Eccleſia, quae in hujus ſcientia clareret, quoto Kalendarum, vel Iduum quota Luna Paſcha debeat celebrari, per ſingulos annos Romanae Eccleſiae literis intimaſſet, unde Apoſtolica auctoritate univerſalis Eccleſia per totum orbem definitam Paſchae diem ſine ulla diſceptatione cognoſceret. Quod cum per multa ſecula partim cuſtodiſſent, nullamque inde ſcripturam quiſpiam crederet, ubi nulla quaeſtio ſolveretur, & nonnunquam occurreret, ut in Sabbato Luna a XX. quam illi a XXIII. XII. Kal. Majarum uſque in octavo eaſdem Kal., quaſi in ſecundo menſe Paſcha celebrare metuerent, eſſetque magna confuſio in omni Eccleſia, Praetorio, vel Palatio, Theodoſius religioſiſſimus, qui non ſolum in humanis, verum etiam in divinis legibus placere Deo ſemper ſtuduit, Sanctum Theophilum totius Alexandriae Epiſcopum urbis ſuis literis conrogavit, ut de Sacramento Paſchae evidentiſſima ratione differeret, ſibique dirigere dignaretur. Cujus ſanctiſſimis praeceptis obtemperans quatuor centorum XXVIII. annorum Cyclum Paſchale inſtituit, ejuſque clementiae a primo anno Conſulatus ejus uſque ad centum calculans, quoto Kalendarum talium, Iduum, & quota Luna Paſcha debeat celebrari, ſubjectis ſuis literis deſtinavit, manifeſtamque veritatem ſub libello fideliter, breviterque perſtrinxit, in quo revelante ſibi Domino, perfectae rationis

nis

nis ordinem pandit, omneſque errores, ac ſuperfluas quaeſtiones luce clarius expugnavit, atque diſſolvit.

Quoniam jam illi diverſi circuli per totum orbem diſſeminati, & jam noſtrorum animos inconcuſsè poſſederunt, iſte quinus eſt edictus, vix ad paucos potuit pervenire; cujus cum nimiam profunditatem paene omnes ſenſus excedere pervidiſſem, revelationem Domini poſtulavi. Et hoc, quod de ipſo fonte haurire promerui, in ipſo libello praeſumens, quia nec illos, apud quos ipſum circulum vidi, intellexiſſe cognovi. Et ne fortè quadringentorum viginti octo annorum infinita congeries aut faſtidium cognoſcendi, aut pigritiam deſcribendi quibuſdam afferat, in nonaginta quinque annos eumdem circulum breviavi, quos per illos annos volvere ſine ulla differentia cognovi. Unum tantùm aſſem in quibuſdam annis propter rationem biſſexti, qui occurrere non potuit uſque ad illum ſummum circuli ultimum annum, qui redit ad caput, adjiciendum, vel potius dimittendum admonui.

A Duodecimo autem Kalendarum Aprilium, uſque in VIII. Kalend. Majar. per dies XXXV., qui faciunt ſeptimanas quinque, Sanctum Paſcha celebrari confirmans, de ipſa ſeptimana habere manifeſtum eſt, reliquos ejus quinque dies adjecit, ut propter Dominicam diem a XIV. Luna uſque ad XXI., ſicut praeceptum eſt, diſtendiſſet. Quae quidem Luna efficitur XIV. a XII. Kal. Maj. protenditur, in primi menſis terminos pernoſcitur, & impletur, & ſecundum ſupputationem Hebraeorum, quibus Paſcha rationem Chriſti perceptum eſt. Poſt annum Emboliſmum occurrerit, qui XIII. menſes Lunares idem CCCLXXXIV. dies habere Sancto Moyſi divinitus revelatus, unde conſtat hos dies quinque menſis novorum additos, non ſecundi menſis eſſe, ſed primi, quia etiam ſecundi eſſent propter Domini reſurrectionem erga Eccleſiae plenitudinem non immerito viderentur adjecti illi etiam, qui longius habitabant, vel immundi in anima fuerint, in ſecundo menſe juſſi ſunt Paſcha celebrare, quod in typum intelligitur Sanctae Eccleſiae, quae cum omnibus Daemonibus fornicata immunda videbatur in anima; ſalubri verò confuſione mundata, & ſecundum Nativitatem quaſi ad ſecundum menſem tranſire videbatur percipitur. Ante menſem autem novorum menſis eſt ultimus veterum, in quo Paſcha fieri penitus abnegatur. Sed ut breviter dicam, quae ſint in eorum diſputatione diverſa: Luna, quam illi tertiam vel ſextam decimam, vel viceſimam tertiam improprie noncupant; hanc Sanctus Theophilus pri-

mam, quartam decimam, vel XXI. coelo demonſtrante confirmat. Paſcha autem quod ultra XII. Kal. Maj. celebrare formidant, Sanctus Theophilus uſque in VIII. differre non dubitat. In ordine annorum illorum quidam in XIV. anno, quidam in XVI. unam diem Lunarem de incrementis Lunaribus addiderunt. Hanc S. Theophilus in nono decimo anno adjecit. Unde illorum ſupputatio, quia inconveniens, ac diverſa eſt, perperat. Hujus autem, quia veritate ſubnixa eſt, ſuperat, & in perpetuum perſeverat. Ita enim XIV. Luna vult videre in coelo Theophilus in pleno orbis circulo eodem momento oriatur, quo occidit Sol, eademque nocte tranſacta Luna occidente ſol oriatur. Unde evidenter apparet, quia Luna, quam illi XXIII. vigilare in Sabbato Paſchae formidant, ipſe XXI. adſignans ſine ulla trepidatione Sanctum Paſcha cenſeat celebrari, & quam illi praeterito Sabbato XV. metientes anticipant, ipſe XVI. oſtendens, non eos juſtè celebrare contendens ad XXI. differre non dubitat. Viginti autem & novem ſemis dies Lunam habere manifeſtum eſt, qui duplicati efficiunt LIX., quibus una dies praeter illos duos ſemiſſes adjicitur, ut LX. videantur implere, & efficitur Lunaris legitimus ſaltus, ut ſi verbo tenus fuerit Luna V. alia die, non dicatur VI. ſed VII. Triceſimae autem Lunae medietatem habere minuentis, & medietatem creſcentis exinde, quae dicitur triceſima, quae & prima, calculorum nullus ignorat. Talis ergo debet videri XXIX., qualis pro pridie prima. Trigeſima autem Luna videri omnino non poteſt, quia ad ultimum finem medio ipſo triceſimo die conſumitur, ſolique conjungitur, eodemque momento renaſcitur, paulatimque ab eo recedens, & per reliquam ipſius diei triceſimam partem uſque ad aliam diem, quae prima dicitur, creſcens, poſt ſolis occubitum ſic videtur, quemadmodum, ut dixi ante, pridie viceſima nona diluculo tenebatur. Qualis ergo eſt caecitas mentis, vel dementiae, ut cum videri non poſſe triceſima videatur adhuc deficiens, & dicatur prima nonnumquam etiam & ſecunda, ac ſi per omnem ordinem mentiuntur? Sicut enim pro triceſima ſecundam, & pro prima tertiam vocant, ſic pro quarta decima ſextam decimam, & pro viceſima prima dicere compelluntur XXIII. ſicut illius parvitatem, qui dictus eſt biſſexti dies, inveniſſe, ut per hanc fallaciam Diabolus inter ipſa Fidei Sacramenta aucupetur animas Chriſtianas. Hoc itidem in ſummo & inſuperabili ponit exemplo, quod Salvator noſter Luna XIV. fer. V. Paſcha cum ſuis diſcipulis celebraſſet, & ut ſuper hac fieri ſemper imperavit. Quod hodieque,

ſicut

ſicut traditum celebratur ſanctumque Chriſma conficitur, & caena Dominica anniverſaria ſolemnitate completur. Quod & Paſcha perfectum ac maximum Sacramentum, ſicut Sanctus Apoſtolus narrat ſibi traditum, & ita tradidiſſe Corinthiis gloriatur. XIV. traditur. XV. paſſus, & XVII. reſurrexit, ea videlicet Luna, quae nullis interjectis tenebris etiam ſecundum ſupputationem vulgi ſolis lumine diluculo ſociatur. Hoc enim verae ſalutis inditium, ut poſt tergum relinquentes tenebras totius malitiae, aeterno illo ſole ſolis lumine perfruantur. Hunc ergo biduum Lunae ſuperfluum ſi dimiſeris, illoſque quinque dies menſis Novorum juxta rationem additos intellexeris, ſed & illum diem de incrementis Lunaribus in nono decimo annos, quod XIV. vel XVI. adjeceris, omnem vim, & rationem veritatis hujus miniſterii recognoſces. Lunam autem, quae ab his dicitur tertia, hodieque a Judaeis, & Graecis dicitur prima, & merito videtur ad veſperam, quia jam & ſemiſſe habere de XXX., & quae aequè prima. Item ratio Solis, vel Lunae curſus, atque biſſexti. Annus habet dies CCCLXV. menſes XII. tempora IV. ver, aeſtas, autumnum, & hyems, & per quatuor tempora duo ſunt aequinoctia, & duo ſolſtitia Nono Kal. Apr. unum aequinoctium, & VIII. Kal. Jul. in natale S. Joannis fit unum ſolſtitium, & VIII. Kal. Januar. in natali Domini noſtri J. C. fit aliud ſolſtitium. Nam & Sol in anno lucet dies CCCLXV. quadrans vero lucet dies CCCLIV. reliqui ſunt dies XI. quos ſupra videtur Sol lucere. Et hi ſunt XI. quia annis ſingulis ad Lunae curſum adduntur, & ut clarius manifeſtetur ratio: XII. ſunt menſes in anno, & VII. ex ipſis menſibus ſunt, qui habent ſupra XXX. ſingulos dies, ideſt: Januarius, Martius, Majus, Julius, Auguſtus, October, December, & ideo tolle Decembri, & Januario ſingulos dies, & adde eos Februario, qui habet dies XXVIII., & fiunt ei XXX. Reliquos verò dies, qui in capite quinque menſibus ſuper triceſimum numerum adjacent, tolle eos, & aequantur omnes menſes, ut habeant dies XXX. Et unus menſis lunaris XXIX., & ſemis, dies lucet, ſicut jam in ſupraſcripta Epiſtola praelocuti ſumus, quia triceſimum diem non complectitur. Ideoque XII. ſunt Lunares menſes in anno. Per ſingulos verò Lunares ſingulos ſemiſſes minus lucet, & ideo de duodecim Lunaribus tolle XII. ſemiſſes, & comple in unum, efficiunt dies VI. ad quos adde illos quinque dies de quinque menſibus, & efficiunt in unum dies XI. quos ad Lunae curſum addere videntur, quia eos in annum Lunae de Sole minus lucet. Quadrans verò,

qui ſuper CCCLXV. dies biſſexti facit. poſt quadriennium creſcere diem. Ipſum verò quadrans III. habet uncias, quae in anno uno creſcunt. Item in alio anno tres, in tertio IV., in quarto nihilominus III. & fiunt in unum horae XII. faciuntque diem unum, qui vocatur biſſextus; & ſicut ceteri dies, qui ducunt annum, computantur, & dimittuntur, ita & biſſextus cum venerit poſt annos quatuor, dies qui venerit in ordine ducere annum illum, utpote tertia Feria dimittenda eſt, & quarta Feria computanda, ſicque traditur per majorum traditionem biſſextus.

EXPLICIT PROLOGUS S. CYRILLI ALEXANDRINI EPISCOPI.

In nomine D. N. Jeſu Chriſti incipiunt Capitula de compoto.

1 De compoto Graecorum, vel Latinorum.
2 Item alia.
3 De die anni inveniendo.
4 De anno Communi, & Embolifmali.
5 De Epiſtolis Graecorum.
6 De Argumentis Paſchalibus.
7 Item quod verius eſt.
8 De die menſis Paſchae.
9 Item apud Graecos.
10 Item apud Latinos.
11 De nativitate Lunae.
12 Item alia.
13 De Communi anno, & Embolimaeo.
14 Item de anno Communi, & Embolimaeo.
15 De quatuor differentiis Lunae.
16 De celebrando S. Paſchate.
17 De Emboliſmo majore.
18 De augmento Lunae.
19 De Kal. menſium.
20 Item de Kal. menſium.
21 De Feriis monſtrandis in Kal. XII. menſium.
22 De Epactis in Kal. XII. menſium.
23 De feriis in quoque menſe.
24 De feria, aliter de Lunae Paſchalis termino.
25 De concurrentibus, ideſt Epactis Solis.
26 De Epactis XI. Kal. Apr.
27 De temporibus menſium.
28 Item de temporibus menſium.
29 De ſolſtitio, & aequinoctio.
30 Item de ſolſtitio, & aequinoctio.

31 Item

31 Item de ſolſtitio.
32 Item de temporibus menſium.
33 De momentis.
34 Item de momentis.
35 Item de momentis ad biſſextum.
36 Item ad biſſextum inveniendum per XII. ſigna.
37 Item ad V. dies intercalares per XII. ſigna.
38 De punctis.
39 De diebus anni, & horis.
40 De ratione Biſſexti.
41 Item de Biſſexto.
42 Item de Biſſextis.
43 Item de Biſſextis.
44 Item de Biſſexto, & quadrante.
45 Item de ſolſtitio, & aequinoctio.
46 De ſaltu Lunae.
47 De Lunae curſu.
48 De interrogatione XIX. annorum Cycli.
49 De menſibus.
50 De Luna Paſchae.
51 Argumenta ad initium Quadrageſimae inveniendum.
52 Item de Quadrageſima invenienda.
53 Item ad Pentecoſtem inveniendam.
54 De ſupputationibus.
55 De termino Paſchali.
56 De hebdomade.
57 Item de hebdomade.
58 Item de menſibus.
59 Item de menſe.
60 Item de menſibus.
61 Item de menſe, & Lunae longitudine.
62 De menſibus, & interrogatione Lunae.
63 Item de menſibus, & quot horas habent in die, & nocte.
64 Item de menſibus.
65 De puncto Lunae.
66 De numero apud Hebraeos.
67 De annis naturalibus.
68 De incendio Lunae.
69 De die Solis Orientis.
70 De die.
71 De nocte.
72 De XIV. Luna Paſchali.
73 Item de XIV. Luna quota feria ſit.
74 Item de termino Paſchali.
75 De die ſeptimanae quotus ſit.
76 De Luna in Kal. Janu.
77 De annis a principio mundi.
78 Item de annis a principio mundi.
79 De annis ab origine mundi.
80 Item de annis ab origine mundi.
81 De mundi principio.
82 Item de mundi principio.
83 De annis ab Incarnatione.
84 De Luna primi menſis.
85 De biſſexto per Cyclum Solarem.
86 Argumenta de concurrentibus monſtrandis.
87 De anno Biſſextili ab origine mundi.
88 De concurrentibus monſtrandis.

Digitized by Google

89 De diviſionibus temporum.
90 De atomis in primo momento.
91 De horis in anno quot ſint.
92 Item de horis & momentis in anno.
93 De punctis in anno.
94 De minutis in anno.
95 De momentis in anno.
96 Item de momentis.
97 De quadrante.
98 De ſeptimanis in anno.
99 De concurrentibus Solis per totum annum.
100 De partibus Lunaribus in XI. Kal. Apr.
101 De concurrentibus monſtrandis.
102 Item de concurrentibus.
103 De Feria in Kal. Janu.
104 De Cyclo Solari, & Lunari.
105 De principiis IV. Temporum.
106 De Cyclis Solis, & Lunae.
107 Ad Epactas Solis in XII. menſibus.
108 De XII. Signis Coeli, ſiderali, circulo.
109 De Cauſis quibus nomina accipiunt.
110 De curſu Solis, & Lunae.
111 De curſu Solis per XII. ſigna.
112 De ſeptem ſideribus errantibus.
113 De velocitate curſus Lunae.
114 De aſcenſu Solis, & deſcenſu.
115 De Eclipſibus Solis & Lunae.
116 De variis nominibus Solis.
117 Argumenta de initio Quadrageſimae.
118 De Cyclo magno XIX. Lunarum.
119 De numero Cyclorum.
120 Item de Cyclo XIX. Lunarum.
121 Praefatio S. Felicis Abbatis.
122 Incipit Prologus S. Cyrilli.
123 De concordia menſium.
124 De Cyclo Libri Romanorum.
125 De aetate Lunae.
126 Item de Lunae curſu.
127 Epiſtola de ratione Lunae. I. anni.
128 Item de ſecundo anno Embolimaeo.
129 De tertio anno Embolimaeo.
130 Item de primo anno Embolimeo. End.
131 Item de ſecundo anno Embolimaeo.
132 Item de tertio anno Embolimaeo.
133 Item de quarto anno Embolimaeo.
134 De curſu Lunae per XII. ſigna.
135 De curſu Solis per XII. ſigna.
136 De Luna per XII. ſigna.
137 De ſaltu Lunae per XIX. annos.
138 De flexibus Digitorum.
139 De ratione Paſchali.
140 Epiſtola Cyrilli Epiſcopi.
141 Epiſtola Paſchaſini Epiſcopi.
142 De nominibus ſtellarum.
143 Epiſtola Dionyſii Exigui.
144 Epiſtola S. Cyrilli.

145 Epi-

145 Epiſtola S. Proterii.
146 Epiſtola Moriani Epiſcopi.
147 Praefatio Patronio Epiſcopo.
148 De mundi principio.
149 Epiſtola Papae Leonis.
150 De Paſcha autem.
151 De nomine menſium.
152 De regularibus annis Domini, & Indictione.
153 De argumentis ad Incarnationem Chriſti.
154 De Cyclo Decemnovali.
155 De partibus.
156 Item de Cyclo Decemnovali Paſchali.

Expliciunt Capitula Libri de Computo.

Si vis ſcire omni die datarum, quota Feria evenerit, computa quot dies de illo Menſe habes, & ſubtrahe diem Kalendarum. Memor eſto Lector, quotam Feriam habueris in Kalendis, adde illam Feriam ad illos dies ſuperius memoratos, & partire per ſeptimam partem, & quidquid remanſerit, tota Feria erit. Si nihil remanſerit, Septima Feria erit.

Si vis ſcire omni die datarum, quota Luna fuerit, computa quot dies de illo Menſe habeas. Subtrahe diem Kalend. Memor eſto Lector, quotam Lunam habueris in Kal., adde illam Lunam ad illos dies ſuperius memoratos, & partire per trigeſimam partem, & quidquid remanſerit, tota Luna erit, & ſi nil remanſerit, trigeſima erit Luna. Similiter qui vigeſimam nonam Lunam habuerit, partire per XXIX. partem. Quicquid remanſerit, tota Luna erit, Si nihil remanſerit, vigeſima nona Luna erit.

Ad Feriam inveniendam Febr. in Kal. XXXII. uſque in finem.

Si vis ſcire hoc vel illo die, quota ſit Feria, computa dies a Kal. Janu. uſque in diem, de quo inquiris, & cum noveris, adde Feriam, quae fuit die Kal. Janu. & ſi biſſextilis annus eſt, etiam biſſexti diem. Partire omnia per VII., & quot remanent dies, adde ſeptimanae; ubicumque quaeris, oſtendit CCCL. L. ſeptem vicies multiplicati faciunt CCCL. uſque in finem.

De quota Luna in Kal. Janu.

Si vis ſcire hoc, vel illud, quota ſit Luna, computa diem a Kal. Janu. uſque in diem, de quo inquiris, & cum ſcieris, adde aetatem

Digitized by Google

aetatem Lunae, quae fuit in Kal. Jan. Partire omnia per LVIII. Et ſi amplius XXX. remanſerint, tolle XXX., & quod ſupereſt ipſa eſt Luna diei, quem quaeris. Adde in fine VI. uſque finem hoc quaere A. B. C. D.

De Luna in Kal. Jan.

Si hoc ſcire deſideras, ſume Cyclum anni praeſentis. Multiplica per XI. adde Epactam regularem. Partire per XXX. Quod remanet, ipſa eſt aetas Lunae in Kal. Jan. Sed tantum memor eſto, ut XVII. XVIII. XIX. Cyclo non I. adjicias, ſed II. adjicias regulares. Si hoc ſcire cupis, quota Luna ipſius, quemque velis, duces Cyclum; adde I. Duc eumdem ſexies, ſive * triginta poſitus, ſive I. ſuperfuit * mus totam Lunam eſſe reperies. Poſtea ſedecim duobus adjicies.

Ad Feriam	
CCCL. L.	L.
CCLXXX.	XL.
CCX.	XXX.
LXX.	X.
LXIII.	VIIII.
LVI.	VIII.
XLVIII.	VII.
XLII.	VI.
XXXV.	V.
XXVIII.	IV.
XXI.	III.
XIV.	II.
VII.	I.

Ad Lunam	
CCCLIV.	VI.
CCXCV.	V.
CCXXVI.	IV.
CLXXVII.	III.
CXVIII.	II.
LVIII.	I.

I. *Incipit compotatio Graecorum vel Latinorum qualiter calculare debemus omnibus annis.*

Januarius, Auguſtus, & December IV. Non. habent. XIX. poſt Id. & dies XXXI. Martius, Majus, Julius, & October VI. Non. habent XVII. poſt Id. & dies XXXI. Aprilis, Junius, September, & November IV. Non. habent XVIII. poſt Id. & dies XXX. Menſis Februarius IV. Non. habet. XVI. poſt Idus, & dies XXVIII. Omnes menſes VIII. Idus habent.

Item

Item alia. II.

In Januario, Auguſto, & Decembri Kal. & VI. Id. & XVIII. Kal. & XI. Kal. & IV. Kal. unus dies eſt. In Martio, Majo, Julio, & Octobri Kal., & VIII. Id., & Idus, & XI. Kal., & IV. Kal. unus dies eſt. In Aprili, Junio, Septembri, & Novembri Kal., & VI. Id., & XVII. Kal., & X. Kal., & III. Kal. unus dies eſt. In Februario verò Kalendae, & VI. Id. & XV. Kal. & VIII. Kal. unus dies eſt. Ille Menſis, qui habet IV. Non. facit in Nonis dies V. & in Idibus dies XIII. & ille menſis, qui habet VI. Nonas facit in Nonis dies VII. & in Idibus dies XV.

Hic invenies dies anni. III.

Februarius in Kal. XXXII. in Nonis XXXVI. in Idibus XLIV.
Martius in Kal. LX. in Non. LXVI. in Id. LXXIV.
Aprilis in Kal. XCI. in Non. XCV. in Id. CIII.
Majus in Kal. CXXI. in Non. CXXVII. in Id. CXXXV.
Junius in Kal. CLII. in Non. CLVI. in Id. CLIV.
Julius in Kal. CLXXXII. in Non. CLXXXVIII. in Id. CXCVI.
Auguſtus Kal. CCXIII. in Non. CCXVII. in Id. CCXXV.
September in Kal. CCXLIV. in Non. CCXLVIII. in Id. CCLVI.
October in Kal. CCLXXIV. in Non. CCLXXX. in Id. CCLXXXVIII.
November in Kal. CCCV. in Non. CCCIX. in Id. CCCXVII.
December in Kal. CCCXXXV. in Non. CCCXXXIX. in Id. CCCXLVII.
Januarius in Kal. CCCLXVI. in Non. V. in Id. XIII.
Concurrentes ad Feriam muta in Kal. Martias. Epactam muta in Kal. Sept.

Ad Kal. inveniendas.

Kal. Mart. Feria illa. Kal. April. IV. Non. Mart. Kal. Maii. Prid. Non. Mart. Kal. Jun. VI. Non. Mart. Kal. Jul. IV. Non. Mart. Kal. Aug. Non. Mart. Kal. Septemb. V. Non. Mart. Kal. Octobr. III. Non. Martias. Kal. Novembr. Kal. Mart. Kal. Decembr. V. Non. Mart. Kal. Januar. prid. Non. Mart. Kal. Februar. VI. Non. Martias.

Si vis ſcire Kal. menſium quo die intrant, hoc calculo cognoſcetur volentibus annis.

Incipit Regula ad Kal. menſium inveniendas.

Mart. V. Apr. I. Majus III. Jun. VI. Jul. I. Auguſtus. IV. September. VII. October. II. Novemb. V. Decemb. VII. Janu. III. Febr. VI.

Regulam habes. His ſemper adde ad Epactas Solis cujuslibet anni, & deinceps partire per ſeptimam partem, ſicque calculationis Feriam ſine errore reperies.

Incipit Epacta Solis.

B̄. I. II. III. IV. B̄. VI. VII. I. II. B̄. IV. V. VI. VII. B̄. II. III. IV. V. B̄. VII. I. II. III. B̄. V. VI. VII. I. B̄. III. IV. V. VI.

Incipit Regula ad lectiones Lunae.

Septemb. V. Octob. V. Novemb. VII. Decemb. VII. Januar. IX. Febr. X. Mart. IX. Apr. X. Maj. XI. Jun. XII. Jul. XIII. Aug. XIV.

Regulam habes. His ſemper adde ad Epactam Lunarem cujuslibet anni, & deinceps partire per trigeſimam partem, ſicque calculationem Lunae ſine errore reperies.

Incipit Epacta Idem ad Lectiones Lunares.

Nullae. XI. XXII. III. XIV. XXV. VI. XVII. Ogd. XXVIII. IX. XX. I. XII. XXIII. IV. XV. XXVI. VII. XVIII. End.

Incipit Epacta ſecundum Latinos.

IX. XX. I. XII. XXIII. IV. XV. XXVI. Ogd. VII. XVIII. XXVIII. X. XXI. II. XIII. XXIV. V. XVI. XXVII. End.

Incipit Terminus Quadrageſimalis.

Luna II. VIII. Kal. Mart. III. Id. Febr. VI. Non. Mart. XI. Kal. Mart. VI. Id. Febr. III. Kal. Mart. XIV. Kal. Mart. Non. Mart. IV. Ogd. VI. Kal. Mart. Id. Febr. IV. Non. Mart. IX. Kal. Mart. IV. Id. Febr. Kal. Mart. V. XII. Kal. Mart. VII. Id. Febr. II. IV. Kal. Mart. XX. Kal. Mart. II. Non. Mart. End.

Incipit Terminus Paſchalis.

Luna XIV. Non. Apr. V. VIII. Kal. Apr. Id. Apr. IV. Non. Apr. XI. Kal. Apr. IV. Id. Apr. III. Kal. Apr. XII. Kal. Maj. Ogdo. VII. Id. Apr. VI. Kal. Apr. XVII. Kal. Maj. Prid. Id. Apr. VIII. Kal. Apr. Prid. Id. Apr. Kal. Apr. X. Kal. Apr. V. Id. Apr. IV. Kal. Apr. XX. Kal. Maj. End.

Incipit iterum de termino Paſchali.

Non. Apr. norunt quin. V. VIII. Kal. inde promunt I. Id. Apr. etiam ſexies. VI. Nonae quaternae namque dipondio II. Item undenae ambiunt quin. V. IV. Id. capiunt ternos. III. Ternae Kal. titulant ſenae VI. Quatuordenae cubant in quad. IV. Ogd. Septenae Id. VII. eligent VII. Feriae Kal. ſortiuntur ternos III. Denae ſeptenae dant aſſ. I. Pridie Non. porro quaternis IV. Novenae Kal. notantur namque ſeptenis. VII. Pridie Id. panditur quin. V. Kal. Apr. unus exprimitur I. Duodenae namque docte quaternis IV. Septenae quinae ſperant duo II. Quartanae Kal. Quinae coniiciunt V. Quindenae conſtant tribus adeptae. III. End.

Incipit Terminus ad Rog.

Luna XX. VI. Id. Maj. V. III. Kal. Maj. I. XV. Kal. Jun. VI. Non. Maj. II. VI. Kal. Maj. V. Id. Maj. III. IV. Non. Maj. VI. X. Kal. Jun. IV. Ogd. IV. Id. Maj. VII. Kal. Maj. III. XIII. Kal. Maj. I. VII. Id. Maj. IV. IV. Kal. Maj. VII. XVI. Kal. Jun. V. Prid. Non. Maj. I. VII. Kal. Maj. IV. Prid. Id. Maj. II. V. Non. Maj. V. XI. Kal. Jun. III. End.

Incipit Terminus Pentecoſtis.

Luna IV. IX. Kal. Jun. V. III. Id. Maj. I. Kal. Jun. VI. XII. Kal. Jun. II. VI. Id. Maj. V. IV. Kal. Jun. III. XV. Kal. Jun. VI. VIII. Id. Jun. IV. Ogd. VII. Kal. Jun.

 VII.

VII. Id. Maj. III. III. Non. Jun. I. X. Kal. Jun. IV. IV. Id. Maj. VII. Prid. Kal. Jun. V. XIII. Kal. Jun. I. VII. Id. Maj. IV. V. Kal. Jun. II. XVI. Kal. Jun. V. X. * Jun. III. End.

De annis Communibus, & Embolimaeis.

Com. Com. Emb. Com. Com. Emb. Com. Emb. Ogd. Com. com. Emb. Com. Com. Emb. Com. com. Emb. Com. Emb. End.
Tu iſtos regulares, qui ante iſtos IV. terminos poſiti ſunt, adde concurrentibus cujuslibet anni, & deinceps partire per ſeptimam partem. Si VII. remanent, ſeptima Feria erunt illi termini. Si ſuper VII. ſunt I. II. III. IV. V. VI. VII. totae Feriae erunt illi termini.

De annis Communibus, & Embolimaeis.

IV. Primus annus Communis XV. Kal. Maj. incipit. Secundus Non. Apr. Tertius Embol. incipit VIII. Kal. Apr. Annus Solaris habet dies CCCLXV. Annus Communis habet dies CCCLIV. Annus Embolimaeus habet dies CCCLXXXIV. Communis dicitur, quia ſimilis eſt numero dierum. Embolimaeus vero Graec., quod in Latinum vertitur Augmentum, ſive Majorem annum.

De Epiſtolis Graecorum.

V. Legimus in Epiſtolis Graecorum, quod poſt paſſionem Apoſtolorum S. Pachomius Abbas in Aegypto cum Monachis ſuis in oratione a Domino rogaverit, ut oſtenderet eis quomodo Paſcha deberent celebrare. Et miſit Dominus Angelum ſuum, & ſcripſit ad praefatum S. Pachomium Cyclum decemnovalem hoc modo. Non. Apr. & reliqua uſque in finem.

Ratio qualiter ſecundum Latinos vel Graecos, Argumenta Paſchalia recto tramite invenire debeas.

VI. Latini namque a III. Non. Mart. uſque in IV. Non. Apr. diebus ſcilicet XXIX. obſervandum maxime cenſuerunt, ut quocumque eorum die Luna nata fuerit, efficiat primi Menſis initium, cujus
Luna

Luna XIV. ſi Feria VI. provenerit, ſubſequenti Dominica, ideſt Luna XVI. feſtivitatem Paſchalem ſine ambiguitate celebrabis. XIV. porro Luna menſis ejuſdem à XV. Kal. Apr. uſque in XVI. Kal. Maj. ad Fer. eſſe ſervandas.

Item quod verius eſt.

Sancta Synodus CCCXVIII. Pontificum, qui apud Nicaeam civitatem Bythiniae convenerunt, inluſtrante Spiritu Sancto, firmiter ſanxerunt, ut ab VIII. Id. Mart. uſque in diem Non. Apr. quod ſunt dies XXIX., qualiſcumque Luna nata fuerit, perhibet facere initium primi menſis. VII.

Item de die Menſis, & Lunae Paſchalis ultimae qualiter celebretur.

Statutum invenimus in Concilio Romanorum, ut nec ante XI. Kal. Apr., nec poſt VII. Kal. Maj. Paſcha non debeat fieri. VIII.

Item apud Graecos.

Sanctae memoriae contra Theophilus Alexandrinus Epiſcopus datis Epiſtolis ad Theodoſium Imperatorem, in quibus adnuntians ab VIII. Id Mart. uſque in diem Non. Apr. diebus ſcilicet XXIX. qualiſcumque Luna nata fuerit, in quolibet medio ſpatio perhibet facere initium primi Menſis. XIV. vero Luna a XV. Kal. Apr. uſque in XV. Kal. Maj. ſolerter inquiri, etiamſi die Sabbatorum inciderit, conſequenti die Dominico, ideſt Luna XV. Paſcha celebrare conſcripſit. Si die Dominico Luna XIV. ejuſdem menſis, ideſt primi Menſis evenerit, ipſa Hebdomada tranſmiſſa, ad alteram diem Dominicam Paſcha celebrari ſine dubio conſcripſit. IX.

Item apud Latinos.

Eſſet aliud exemplum de initio primi Menſis, ut quota Luna fuerit in Kal. Jan. tot dies de menſe Martio in fine computabis, & invenies procul dubio Lunam, & initium primi Menſis poteſt tantum tres aetates Lunae, hoc eſt XXV. XXVIII. XXVI. X.

Item

Item de Nativitate Lunae.

XI. Quaerenda eſt Nativitas Lunae XIV. ab VIII. Id. Mart. uſque in Non. Apr., quae primi Menſis novorum oſtendit initium. A XII. verò Kal. Apr. uſque in XIV. Kal. Maj. in quacumque die XIV. Luna occurrerit, ipſa te ad celebrationem Sancti Paſchae perducit.

Si verò XIV. Luna ante XII. Kal. occurrerit, idem aut XIII. Kal. Apr., aut XIV. Kal. Apr., aut XV. Kal. Apr. ſcito quoniam Paſchalis Luna non eſt, ſed eamdem Lunam cum ad trigeſimam perduxeris, Lunaque alia die nata fuerit, in ipſa autem Sanctum Paſcha celebrabis. Similiter cautus eſto, ut XIV. Kal. Maj. Luna XIV. non tranſcendat, ut ad XIII. Kal. Maii, aut ad XII. Kal. Maii. Nam incipies in magnum deduci errorem.

Item alia.

XII. Chriſtianorum verò Paſcha ab XI. Kal. Apr. uſque in VII. Kal. Majas, quocumque die Dominico regulae videlicet Luna occurrerit, Sanctum Paſcha modis omnibus celebrabis. Quod ſi ante XI. Kal. Apr. etiamſi Luna occurrerit, vel poſt VII. Kal. Maii, Paſcha nullatenus celebratur.

De Communi anno, & Embolimaeo.

XIII. Communium, & Embolimaeorum ratio iſta eſt, ut per Ogdoadem, & Endecadem concurrere debeant. Sunt autem Ogdoades VIII. Endecades XI. Com. Com. Emb. Com. Com. Emb. Com. Emb. Endecades XI. Com. Com. Emb. Com. Emb. Com. Com. Com. Emb. Com. Emb. Et inveniendi ſunt verbi gratia XIV. Luna Paſchalis feſtivitatis in anno praeterito. Prid. Id. Apr. fuit ipſa Luna XIV. Anno praeſente in eo datarum ſi ſuper extenderit diebus XIX., erit annus Embolimaeus, ſi retro inventa fuerit diebus XI. erit annus Communis.

Item de annis Communibus, & Embolimaeis.

XIV. Si vis ſcire, quando in anno Communi, vel quando in Embolimaeo debeat Paſcha Dominicum celebrari, accipe rationem. Namque

que decemnovalis circulus, qui Enneacædecaetiris Graeco vocabulo nuncupatur, per Ogdoadem, & Endecadem ſemper in ſe revolvitur, ideſt per VIII. & XI. annos, qui ſimul juncti XIX. faciunt. Ogdoas ergo incipit anno decemnovali primo, & clauditur ejuſdem octavo; Cujus primus, & ſecundus annus Communes ſunt. III. Emboliſmalis. IV. & V. Communis. VI. Emboliſmalis. VII. Communis. VIII. Emboliſmalis eſt. Sicque Ogdoas Communibus V. & Emboliſmalibus III. expletur. Endecas autem, quae incipit anno Decemnovali IX., & terminatur XIX taliter graditur, ut primum, & ſecundum annum Communem habeat; III. Emboliſmalem; IV. & V. Com., VI. Emb., VII. & VIII. Com., & IX. Emb., X. Com., XI. Emb. habeat. Sicque Endecas Communibus annis ideo dicitur, quia de minoris * annor. que duodenis menſibus ſecundum Lunae curſum & diebus CCCLIV. explent, invicem juncti in Paſchali felicitate ſocientur, quibus ad rationem Solis XI. dies deſunt, quos Aegyptii Epactas, ideſt adjectiones vocant, quas ſupraſcriptis diebus adjicientes numerum vocant Solaris Anni, ideſt CCCLXV. adimplent, quod etiam in Emboliſmorum ratione dirigens perſcrutatur, potens invenire, quorum vis talis eſt, ut pro ſui longitudine Communium annorum detrimenta compenſent. Emboliſmalis etenim Graece, Latine ſuperaugmentum dicitur, quia ideſt annus XIII. Lunaribus menſibus, & diebus CCCLXXXIV. impletur, Solarem annum diebus XIX. tranſcendens. Nam Communium, & Emboliſmorum talis comprobatio eſt. Si enim a XV. Luna praeteriti Feſti uſque XIV. anni ejuſdem ſequentes dies CCCLIV. fuerunt, Communis annus erit. Si autem fuerint dies CCCLXXXIV., Emboliſmalis erit. Quod ut aptius fiat, a primo anno Decemnovennali uſque ad ultimum ejuſdem ſubjecta poteris formula edoceri, cujus ordo talis eſt. Anno Decemnovennali. I. Luna XVII. a XV. Luna praeteriti Feſti Paſchalis uſque ad XIV. ejuſdem ſequentes, ideſt a XVI. Kal. Maj. uſque in Non. Apr. quia Communis annus eſt, fiunt dies CCCLIV. Anno decemnovennali. II. Luna XVIII. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque ad XIV. ſequentes, ideſt a Prid. Non. Apr. uſque in VIII. Kal. Apr., quia Communis annus eſt, fiunt dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali. III. Luna XIX. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque ad XIV. ſequentes, ideſt a VII. Kal. Apr. uſque in Idus Apr., quia Emboliſmalis annus eſt, fiunt dies CCCLXXXIV.

Anno

Anno Decemnovennali IV. Luna I. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque ad XIV. ſequentes, ideſt a prid. Id. Apr. uſque in IV. Non. Apr. quia Communis annus eſt, fiunt dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali. V. Luna II. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a III. Non. Apr. uſque in XI. Kal. Apr., quia Communis annus eſt, fiunt dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali VI. Luna III. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a X. Kal. Apr. uſque in III. Id. Apr., quia Emboliſmalis annus eſt, fiunt dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali VII. Luna IV. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a V. Id. Apr. uſque in III. Kal. Apr., quia annus Communis eſt, fiunt dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali VIII. Luna V. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a Prid. Kal. Apr. uſque in XIV. Kal. Maj., quia Emboliſmalis annus eſt, dies CCCLXXXIV.

Ogdoas.

Anno Decemnovennali IX. Luna VI. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a XV. Kal. Maj. uſque in VII. Id. Apr., quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali X. Luna VII. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a VIII. Id. Apr. uſque in VI. Kal. Apr. quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XI. Luna VIII. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a V. Kal. Apr. uſque in XVII. Kal. Maj. quia Emboliſmalis annus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali XII. Luna IX. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a XVIII. Kal. Maj. uſque in Prid. Non. Apr., quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XIII. Luna X. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a III. Non. Apr. uſque in IX. Kal. Apr., quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XIV. Luna XI. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt ab VIII. Kal. Apr. uſque in Prid. Id. Apr., quia Emboliſmalis annus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali XV. Luna XII. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt ab Id. Apr. uſque in Kal. Apr., quia annus Communis eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XVI. Luna XIII. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a Prid. Kal. Apr. uſque in XII. Kal. Apr., quia Communis annus eſt, dies CCCLIV.

Digitized by Google

Anno Decemnovennali XVII. Luna XIV. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt ab XI. Kal. Apr. uſque in V. Id. Apr. quia annus Emboliſmalis eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno Decemnovennali XVIII. Luna XV. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a VI. Id. Apr. uſque in IV. Kal. Apr., quia annus Communis eſt, dies CCCLIV.

Anno Decemnovennali XIX. Luna XVI. a XV. Luna praeteriti Feſti uſque in XIV. ſequentes, ideſt a III. Kal. Apr. uſque in XV. Kal. Maj., quia annus Emboliſmalis eſt, dies CCCLXXXIV.

Sic facies ſemper in omnibus annis, excepto in primo anno, in quo XXIV. ultimi uſque in XIV. primi numerabis a Paſch. ſolemnitatis, utrum in anno Communi, an Emboliſmali, debeat celebrari, rite, & abſque ullo errore reperies.

De quatuor differentiis Lunae.

Quatuor differentiae Lunarum. Victorinus. XXX. Onatilius, & XV.
Laterculus alius XXX. alius XXIX. apud Hebraeos XXIX. & ſemis. Apud Aegyptios XXIX. Aegyptii faciunt in omni anno XII. menſes. In unoquoque menſe XXX. dies. In uno menſe V. Ad. Communis annus habet dies CCCLIV. Adde XI. fiunt dies * CCCLV. Adde ſupra XIX., & fit Embol. Hic annus habet dies CCCLXXXIV.

* CCCLXV.

De celebratione S. Paſchatis.

Quo die debemus Paſcha celebrare, idem XXX., vel XXXI. XVI.
& hoc, ut dixi, in XIX. anno Cycli fit propter concordiam Epactarum. Iſti autem XXX. dies ſunt, idque CCCLIV. dies anni Communis ſupra creſcunt uſque in CCCLXXXIV. dies anni Emboliſmalis, quia Communi anno aut CCCLIV. dies Paſcha non licet celebrare. Supra verò hos dies licet. In Emboliſmali autem anno ante CCCLXXXIV. vel V. non debet Paſcha celebrari. Supra verò licet. Iſte ergo numerus dierum in Communibus annis, & Emboliſmalibus in celebratione Paſchae obſervandum eſt.

De Emboliſmo majori.

Incipit de Emboliſmo majori. Majorum Emboliſmorum ratio XVII.
probatur exiſtere, quod Communium annorum videtur damna ſupplere.

plere, quatenus & Solare tempus Lunaris exſequitur excurſio, Embolifmus quare fit, & quomodo fit, & quid eſſet, ſi non fuiſſet, quomodo id fit. Commune & Commune, & fiunt duo anni Solares, & reſident XXII. dies de duobus annis Solis. Fit tertio anno, & ſuperſunt XXXIII. dies ſolis. Fit Emboliſmus tertio anno Lunae, & deponit XXX. dies, & ſuperſunt III., & fiunt ſimiliter Com. Com. duo anni ſingulares III. tertio anno Lunae id Emboliſmus deponit XXX. dies. Superſunt III. id VI. dies de VI. anno Communi. id XI. dies ſuperſunt anni Solis, quia ſi Com. aliter an. id ſuperſunt a Sole XXII. inter II. annum, & VI. ſuperiores, ideo neceſſe eſt ut in altero anno fiat Emboliſmus, & non ſolum Emboliſmus implet dies XIX., ſed ſuperſunt duo dies Lunae.

De augmento Lunae.

XVIII. Incipit augmentum Lunae. Augmentum Lunae quare fit, & quomodo fit, & quid eſſet ſi non fuiſſet. Quare idem, quia eſt in natura Lunae tarditas, quod ſuperius aſcenſio ejus in natura, quam putaretur, addit tarditas ejus, donec nox intereſt, quod addit in capite XIX. in noctem, quam adderet id per quam venerint XIX. per XV., quando putaretur aſcenſio Lunae eſſe in Plenitudine, licet prius deprehenderetur.

De Kalendis Menſium.

XIX. Kalendae Graecus ſermo eſt, ſed ad colendum dicitur in Latinum vocationem dicuntur. Apud Graecos de Calo Kalendae, apud Latinos de voco vocationes derivantur. Nonae Graecus ſermo eſt, unde veniunt Nonae. Nonae a nundinis derivantur apud Graecos. Apud Latinos mercatum, vel mercimonia dicuntur. Idus Graecus ſermo eſt. In Latinum dicitur cor menſium, vel medietas menſium.

Item de Kalendis Menſium.

XX. Quid ſunt dictae Kalendae? Kalendae, Nonae, Idus Graecus ſermo eſt. Propter feſtos dies Romani inſtituerunt, vel propter officia Magiſtrorum; in his enim diebus congregabantur in urbibus. Quidam autem Kalendas, colendo appellari exiſtimarunt, vel a Calo, ideſt voco, nam Aſtrologus vocabat populum, ut viderent acceſum

Digitized by Google

cenſum Lunae, ideſt initium primae Lunae, vel ſtellarum curſum, quae ante, aut retro currunt; apud veteres enim omnium menſuum principia colebantur. Nonae pro quo dicuntur? Nonae a nondinis vocatae. Nondinae enim ſunt publicae conventiones, ideſt a negotiatione ſive a mercimonia nondinae ſolemnitas dicitur. Quare antiqui IV. Non. vel VI. Non. ideo diviſerunt? IV. Non. vel VI. Non. non ideo diviſerunt, ut non ſcirent latrones mercatum illorum, quando eſſe deberet, qui abſcondebant ſe per diverſa latibula in ſecretis locis juxta viam, & venientes ad mercatum occidebant, & ſpoliabant. Qua cauſa dictae ſunt Idus cor menſium, vel medietas menſium? Idus autem plerique Latinorum ab edendo dictas putant, quod hi dies apud veteres epularum eſſent, vel ſpecies menſis ſequentis, vel propter medium menſis, quia Iduvare Graecè medium dicitur.

De Feria monſtranda in Kal. XII. Menſium.

Si vis noſſe Feriam, hoc eſt diem VII. in Kal. XII. menſium, XXI.
ſcito quot regulares habet unuſquiſque menſis, a Martio incipiens, quia in illo die factus eſt Mundus, & ille Menſis fuit principium anni apud antiquos Romanos tempore Romuli, & in illo menſe diſcurrunt Epactae ſolis, ideſt concurrentes VII. dies, & IX. Kal. Apr. in Cyclo XXVIII. annorum. Martius ergo habet regulares V., Aprilis I., Mad. III., Jun. VI., Jul. I., Aug. IV., Septemb. VII., Octob. II., Novemb. V., Decemb. VII., Janu. III., Febr. VI. Hos ergo regulares adde concurrentibus praeſentis cujuslibet anni per XXVIII. annos, tunc enim Cyclus ſolis in ſe revertitur totus. Qua ſumma in ſeptem diviſa, quotus numerus remanſit, tota erit Feria in Kal. XII. menſium. Si autem totum numerum per VII. diviſeris, Sabbato erunt Kalendae illius menſis, de cujus Feria quaeritur. Si verò ille numerus regularum, & concurrentium ſimul ad VII. non pervenerit, quotus numerus fuerit, tota erit Feria praeſens in Kal. uniuſcujuſque menſis per totum annum.

De Epactis in Kal. XII. Menſium.

Si vis ſcire Epactas in Kal. XII. Menſium, ſcies quot regula- XXII.
res habet unuſquiſque Menſis incipiens a Septembri, quia ille eſt principium Anni, & principium Menſium apud Aegyptios, & in

principio Septembris mutant Aegyptii Epaſtas, & illas Epaſtas primas, quas Aegyptii habent in principio Cycli in Kal. XII. Menſium nos regulares habemus. V. G. a Sept. V. Oſtob. V. Inſunt ergo regularibus additis Epaſtis, quaecumque fuerint in XI. Kal. Apr., quolibet anno invenies Epaſtas in Kal. XII. Menſium.

Ad Feriam in unoquoque menſe.

XXIII. Si vis ſapere, quota Feria eſt in unoquoque die datarum per totum annum, ſume dies a principio menſis, qui tibi praeſens fuerit, uſque ad terminum Paſchalem, qui eſt anno praeſenti XV. Kal. Maii. Dies Menſis ſunt XVII. adde dies Septimanae, qui praeceſſerint Kal. illius menſis, ideſt VI. mitte ſimul cum XVII. fiunt XXIII. Hos divide per ſeptimam partem, dimitte XXI., fit ter ſepties, remanent II. Secunda Feria eſt terminus Paſchalis anni praeſentis, ſicque per omnes menſes, qualis ſit Feria in unaquaque die oſtenditur, colligens omnes dies a Kal. illius menſis uſque ad praeſentem diem quem volueris. Adde dies Septimanae, qui praeceſſerint Kalendas illius menſis, quicumque fuerunt. Si autem prima Feria fuerint Kal., ideſt die Dominico, nihil addes, niſi dies menſis. Divide per VII., quotus numerus remanſerit, tota erit Feria praeſens. Si autem totum numerum per VII. partitus fueris, Sabbatum erit illa Feria, quae quaeritur.

Item de Feria, ſeu ad Terminum Paſchalem.

XXIV. Si vis noſſe, quota Feria ſit, qualicumque die computare volueris, tene regulares menſis praeſentis, adde concurrentes cujus volueris anni, comprehende in unum. Si uſque ſeptem pervenerint, ſeptima Feria eſt. Si autem minus a ſeptem, talis erit Feria. Si autem ſuper ſeptem creverint, ſubtrahe VII., & quidquid ſuperfuerit, tota Feria erit. Hoc quidem de Kal. diſtum eſt. Similiter & ſi Luna ſcire vis quota ſit, die quocumque volueris. Scito quota in Kal. ipſius menſis per Epaſtas, & regulares inventa fuerit, & tene ſupradiſtum numerum. Adde etiam dies menſis praeteritos, ſicut ſupra ad Feriam diximus, & unum ſemper ſubtrahe. Comprehende in unum. Si uſque XXX. pervenerint, trigeſima Luna eſt. Si autem minus a XXX., ita & Luna. Quod ſi ſuper XXX. fuerint, ſubtrahe XXX., & quotquot remanſerint, tota eſt Luna. Hoc autem

tem memento, ut diem praeſentem ſemper ſubtrahas, & ſi triceſima Lunatio eſt XXX. ſubtrahe. Si autem XXIX., tunc XXIX. ſubtrahe. Quia ab initio Janu. uſque ad Kal. Decembris una Lunatio XXX., alia XXIX. Quando vero biſſextus eſt, vacat dies cum Luna. V. G. ſi hodie computatur ſexta, & in craſtino ſexta.

De Epaƈtis in XI. Kal. Apr.

Si vis noſſe Epaƈtas in XI. Kal. Apr., ſcito quota Luna fuerit in XI. Kal. Apr. talem Epaƈtam habebis omni tempore. Quia Graeci verò Epaƈtas XI. Kal. Apr. ponunt pro eo quod Luna primatum noƈtis, jubente Domino, tenet; dicit enim Scriptura: *Et fecit Deus duo magna Luminaria, & poſuit ea in firmamento coeli. Luminare majus, ut praeeſſet Diei, & Luminare minus, ut praeeſſet noƈti;* & ideo tres dies, quos atros appellat antiquitas, qui antequam luminaria crearentur a Domino faƈta in Geneſi deſcribuntur ſuis partibus, ſibique vindicant. Ad quem, ut diƈtum eſt, finem faciunt anni initium * que praevaluit. XXVI.

De tempore Menſium.

Tempora menſium quot ſunt? Quatuor, Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems. Ver quippe exoritur VIII. Kal. Mart. permanens diebus XCI., & conſtat ex humore, & igne. Aeſtas incipit VIII. Kal. Jun. permanens diebus XCI. & conſtat ex igne, & ſiccitate. Autumnus ſumit principium X. Kal. Septemb. permanens diebus XCII. & conſtat ex ſiccitate, & humore. Hyems inchoatur VIII. Kal. Decembr. permanens diebus XCI., & conſtat ex frigore, & humore, & inde fiunt anni vertentes diebus CCCLXV. XXVII.

Item de tempore Menſium.

Tempora menſium IV. ſunt. Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems. Diƈta ſunt tempora a communione temperamentorum, quod invicem ſe humore, ſiccitate, calore, & frigore temperent. Haec & curricula dicuntur, quia non ſtant, ſed currunt. Conſtat autem, poſt faƈtum mundum ex qualitatibus curſu ſolis tempora in ternos menſes fuiſſe diviſa, quorum temporum talem veteres diſcretionem faciunt, ut primus menſis Ver novum dicatur, ſecundus adultum, XXVIII.

tertius

tertius praeceps. Sic Aeſtas in ſuis tribus menſibus nova, adulta, & praeceps; ſic & Autumnus novus, adultus, & praeceps, ſive extremus. Unde & eſt illud: *Extremae ſub caſum hyemis*. Ver autem dictum, quod viret; tunc enim poſt hyemem veſtitur tellus herbis, & in florem cuncta rumpuntur. Aeſtas dicitur ab aeſtu, ideſt a calore, & aeſtas quaſi uſta, ideſt exuſta, & arida. Nam calor aridus eſt. Autumnus a tempeſtate vocatus, quando folia arborum cadunt, & omnia matureſcunt. Hyemem ratio hyemis feri * ideſt dici nuncupavit, quia tunc breviori ſol volvitur circulo, unde & hoc tempus bruma dicitur quaſi braxim, ideſt brevis, vel a cibo, quod major ſit tunc veſcendi adpetitus, edacitas enim graecè bruma appellatur, unde & inbrumati dicuntur, quibus faſtidium eſt ciborum. Hybernus autem inter hyemem, & vernum eſt, quaſi hybernus plerumque a parte totum hyemem ſignificat. Haec tempora ſingulis etiam coeli partibus adſcribuntur. Ver quippe orienti datur, quia tunc ex terris omnia oriuntur. Aeſtas vero meridiano, eo quod pars ejus calore flagrantior ſit. Hyems Septentrioni, eo quod frigoribus, & perpetuo gelu torpet. Autumnus occiduo, propter quod graves morbos habet, unde & tunc omnia arborum folia defluunt. Ut autem autumnus abundat morbis, facit autem finem frigoris, & caloris, & pugnantia intra ſe contrariorum.

De Solſtitiis & Aequinoctiis.

XXIX. Solſtitia duo ſunt. Primum hyemale VIII. Kal. Janu., quod Sol ſtat, & creſcunt dies, & eſt ipſa die in Bethleem Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti ſecundum carnem. Alterum aeſtivale VIII. Kal. Jul., quod Sol ſtat, & creſcunt noctes, & eſt ipſa die in Provincia Pelaeſtinae civitate Natale S. Johannis Baptiſtae, & in Epheſo S. Johannis Evangeliſtae. Hiſce contraria duo Aequinoctia ſunt, unum vernale ſecundum Latinos VIII. Kal. Apr., & ſecundum Graecos XI. Kal. Apr., ex quo dies creſcunt, & ipſa die in Hieroſolyma D. N. J. C. Crucifixus fuit, & eſt Conceptio Sanctae Dei genetricis Mariae, quando ſalutata eſt ab Angelo. Alterum Autumnale VIII. Kal. Octobr., ex quo dies minuuntur, & fuit in Macheronte Caſtello Conceptio S. Johannis Baptiſtae.

Item

Item de Solſtitiis, & Aequinoctiis.

Solſtitium dictum quaſi Solis ſtatio, quod tunc Sole ſtante creſcunt dies, vel noctes. Duo ſunt autem Solſtitia, unum hyemale VIII. Kal. Janu., quo tempore Sol altiores incipit circulos petere. Aſcendit unoquoque die duo momenta, & medium, & ſextam partem momenti. Alterum aeſtivale VIII. Kal. Jul., de quo tempore remeare Sol ad inferiores incipit circulos; deſcendit unoquoque die duo momenta, & medium, & ſextam partem momenti, unde hyemali Solſtitio dies minimus, ſicut aeſtivo maximus invenitur. Item duo ſunt Aequinoctia, unum vernale, & alterum autumnale, quae Graeci εὐκομενίας vocant. Aequinoctium appellatum, quod tunc dies, & nox horarum ſpatia aequalia conſtituunt. Sunt autem Aequinoctia die XI. Kal. Apr. alterum Autumnale VIII. Kal. Octobr. quia annus olim in duas partes tantum dividebatur, hoc eſt in hyemalem & aeſtivum. Solſtitium in duo Hemiſpheria ideſt dici * XXX.

De Solſtitiis.

Si ſapere vis duo Solſtitia per XII. ſigna quomodo creſcit dies, & nox per momenta & horas, Solſtitia duo ſunt, hyemale VIII. Kal. Janu. alterum aeſtivale VIII. Kal. Jul., quod aſcendit ſol, & deſcendit. Si hoc ſcire vis, ita inveſtigandum eſt a XII. Kal. Janu. uſque in XI. Kal. Jul. dies incipit creſcere in unaquaque die duo momenta, & medium, & ſextam partem momenti, ideſt duas tertias momenti. Primo ſigno ideſt a XII. Kal. Janu. uſque in XIV. Kal. Febr. fiunt momenta LXXX., & ipſa momenta faciunt horas duas, & ſunt dies XXX. Secundo ſigno, ideſt a XIII. Kal. Febr. uſque in XII. Kal. Mart. fiunt momenta LXXX., & ipſa momenta faciunt horas duas diebus XXX. Tertio ſigno, ideſt ab XI. Kal. Mart. uſque in XI. Kal. Apr. fiunt momenta LXXX., ipſaque momenta faciunt horas duas diebus XXXI. In his tribus ſignis in unoquoque ſigno tricenis diebus, & uno die addito, hoc eſt XCI. tot dies ſunt, momenta CCXL., & ipſa momenta faciunt horas VI. a XII. Kal. Janu. uſque in XI. Kal. Apr., & tunc Aequinoctium vernale diebus, noctibus, & momentis, & horis aequalibus conſiſtit. Quarto ſigno, ideſt a X. Kal. Apr. uſque in XI. Kal. Mai. fiunt momenta LXXX. & ipſa momenta faciunt horas duas diebus XXX. Quinto ſigno, XXXI.

ideſt

Digitized by Google

ideſt a X. Kal. Mai. uſque in XI. Kal. Jun. fiunt momenta LXXX., ipſaque momenta faciunt horas duas diebus XXXI. Sexto ſigno, ideſt a X. Kal. Jun. uſque in XI. Kal. Jul. fiunt momenta LXXX. horae duae diebus XXX. Et ita tribus Signis, hoc eſt ab Aequinoctio vernali uſque ad Solſtitium aeſtivum, ideſt ab XI. Kal. Apr. uſque in XI. Kal. Jul. XCI. tot dies ſunt momenta CCXL., & ipſa momenta faciunt horas VI. in VI. Signis fit ſumma ad creſcendum momentorum CCCLXXX. horarum XII.

Incipit in nocte Solſtitium aeſtivum, quod nox creſcit, & dies minuitur. Creſcunt autem in unaquaque nocte duo momenta, & medium, & ſextam partem momenti, ideſt duas tertias momenti. Septimo ſigno ideſt a X. Kal. Jul. uſque in XI. Kal. Aug. fiunt momenta LXXX. horae duae diebus XXXI. Octavo ſigno ideſt a X. Kal. Aug. uſque in XII. Kal. Septembr. fiunt momenta LXXX. horae duae, dies XXX. Nono ſigno ideſt ab X. Kal. Septemb. uſque in XII. Kal. Octobr. fiunt momenta LXXX., horae duae dies XXX. Et ita in tribus ſignis a Solſtitio aeſtivo uſque ad aequinoctium autumnale in unoquoque ſigno dies XXX., & uno addito die fiunt XCI. dies. Sunt autem momenta CCXL. horae VI. a X. Kal. Jul. uſque in XII. Kal. Octobr., & tunc Aequinoctium Autumnale diebus, & noctibus, momentis, & horis aequalibus conſiſtit. Decimo ſigno ideſt ab XI. Kal. Octobr. uſque in XII. Kal. Novemb. fiunt momenta LXXX. horae duae diebus XXX. Undecimo ſigno ideſt ab XI. Kal. Novemb. uſque in XII. Kal. Decemb. fiunt momenta LXXX. horae duae diebus XXX. Duodecimo ſigno ideſt ab XI. Kal. Decembr. uſque in XI. Kal. Jan. fiunt momenta LXXX., horae duae diebus XXX. In his tribus Signis in unoquoque ſigno tricenis diebus, & uno die addito fiunt XCI. dies, momenta CCXL. horae VI. ab XI. Kal. Jul. uſque in XI. Kal. Janu. In noctibus ad creſcendum fiunt momenta CDLXXX., horae XII. In toto anno dies CCCLXV. momenta DCCCCLX. horae XXIV.

Item de Temporibus Menſium.

XXXII. S. Auguſtinus Epiſcopus adloquitur de annis. A V. Id. Febr. uſque in V. Id. Maii tempus vernum eſt, dies ſunt XCI. A V. Id. Maj. uſque in V. Id. Aug. tempus aeſtatis eſt, dieſque ſunt XCI. A V. Id. Aug. uſque in V. Id. Novemb. tempus autumni eſt, dieſque ſunt XCII. A V. Id. Novemb. uſque in V. Id. Febr. tempus

hyemis

hyemis eſt, dieſque ſunt XCI. Decemb. Janu. Febr. hyems eſt, Mart. Apr. Maj. tempus vernum eſt. Jun. Jul. Aug. aeſtas eſt. Septemb. Octob. Novemb. tempus autumni eſt.

De Momento.

Momentum Graecum eſt. Anatholius Graecus Epiſcopus dixit: XXXIII. Per XV. dies Sole aſcendente per ſingula momenta, ideſt per IV. in una die ab XI. Kal. Janu. uſque in XI. Kal. Apr. hora diminuitur, & dimidio. Unum verò punctum facit X. momenta. Duo puncta faciunt XX. momenta. Tria puncta faciunt XXX. momenta; Quatuor puncta faciunt XL. momenta. Iſta quadraginta momenta faciunt unam horam. Sex horae faciunt unum quadrantem. Quatuor quadrantes per quatuor annos faciunt diem, & noctem.

Item de Momentis.

Momentum a velocitate dictum eſt, quaſi motus mentis. Ni- XXXIV. hil enim aliud velocius habemus motione mentis, ex quibus duobus nominibus momentum nomen accepit. Minutum vero dictum eſt, quaſi aliquid minutum, etenim minuo verbum activum tertiae conjugationis correptae invenitur, & exinde participia minutus minuta minutum derivantur, quod ut nomen aliquod accipitur ad parvitatem pertinens, ut per ejus etymologiam dignoſcitur. Punctus autem a punctione etymologiam nominis accepit, quia fit pungor, & inde punctus puncta punctum. Hoc autem nomen a Graecis definitur. Eſt igitur Punctum intervalli principium, & natura inſecabile, quod Graeci Atomum vocant, ideſt ita diminutum atque parviſſimum, ut ei par inveniri non poſſit unum non de numero * puncto dicitur. Interrogandus eſt denique quot momenta, vel quot minuta, aut quot puncta in unaquaque hora inveniantur. XL. vero momenta, & X. minuta, quatuor quoque puncta in unaquaque hora fiunt, quia in IV. momentis in uno minuto duo quoque minuta, & dimidium in puncto implicantur. In XXIV. horis diei, noctiſque DCCCCLX. momenta, minuta autem CCXL. puncta verò XCVI. computari dicuntur. In hebdomada verò momènta $\overline{\text{VI}}$. Mil. DCCXX. minuta MDCLXXX. puncta DCLXXI. eſſe creduntur. Sume adſpirationem, ut alii quaſi de * milite dicta, eo quod ſunt diei noctiſque limites. Lunae * a meridie uſque ad meridiem dies dictus ſit,

qui dies jucundus ſit, ſive dividendo lucem, & tenebras dies Solis ab ortu Solis uſque ad ortum diei. Numerus a numerando nomen accepit, aut de Numeria Dea. Eſt collectio unorum, ut Auguſtinus ait, qui cum duo ſint ſinguli, & plus quatuor ſunt, quibus conſtat definitio numeri, & quo haeret numerus XC. mil. murias * initium anni Lunaris ab initio primi menſis apud Hebraeos, & ita ſecundum regulam Eccleſiae. Graeci autem enumerant annum a XV. uſque in XIV. praeter decemnovennalem Cycli annum, qui incipit a XIV. propter commutationem Lunae.

Item de momentis ad Biſſextum.

XXXV. Momentum Graecum eſt, Latinum dicitur minimum, atque anguſtiſſimum tempus a motu ſiderum dictum; eſt enim extremitas horae in brevibus intervallis, cum aliquid ſibi cedit, atque ſuccedit. Anatholius Alexandrinus Lauditiae civitatis Graecus Epiſcopus dixit: Per medium ſignum, ideſt per XV. partes, & fiunt XV. dies Sole aſcendente per momenta, idque in unoquoque die a XII. Kal. Jan. uſque in XI. Kal. Apr. aſcendit unoquoque die duas partes momenti. In primo ſigno momenta XX. ſit media hora dies XXX. In ſecundo ſigno momenta XX. In tertio ſigno momenta XX. In his tribus ſignis a XII. Kal. Januar. uſque in XI. Kal. Apr. fiunt momenta LX. Ipſa momenta faciunt horam unam, & mediam, dies XC. a XII. Kal. Janu. uſque in XI. Kal. Apr. hora diminuitur, & dimidia de tenebris creſcit in lumine. Item tria Signa a X. Kal. Apr. uſque in XI. Kal. Jul. fiunt momenta LX. hora una, & media, dies XCI. Iterum tria ſigna a X. Kal. Jul. uſque in XII. Kal. Octob. fiunt momenta LX. hora una & media, dies XCI. Itemque tria Signa ab XI. Kal. Octob. uſque in XI. Kal. Janu. fiunt momenta LX. hora una, & media, dies XCII., & fiunt in anno XII. ſigna, dies CCCLV., momenta CCXL., & ipſa momenta faciunt horas VI., & ipſae horae faciunt unum quadrantem, quatuor quadrantes per IV. annos faciunt diem & noctem, quia VI. horae quadragies ductae faciunt horas XXIV., & ipſae horae faciunt diem, & noctem, qui additur VI. Kal. Mart.

Digitized by Google

Ad Biſſextum inveniendum per XII. Signa.

Si vis cognoſcere, quomodo biſſextus creſcit ſingulis annis, & menſibus, & diebus Solis curſu per XII. ſigna in unoquoque ſigno media hora ex duobus punctis, & ipſa media hora facit XX. momenta. Da unicuique diei ex XXX. diebus duas partes momenti. Secundo die momentum unum & tertiam partem momenti. Tertio die mom. II. Quarto II. & II. part. momenti. Quinto momenta III. & III. par. mom. Sexto mom. IV. Septimo mom. IV. & duas partes mom. Octavo mom. V. & III. partem momen. Nono momenta VI. Decimo mom. VI. & duas partes mom. Undecimo mom. VII. & tert. part. mom. Duodecimo die mom. VIII. Decimotertio mom. VIII., & II. partem mom. Decimo quarto mom. IX. & tertiam partem mom. Decimo quinto mom. X. Decimo ſexto mom. X. & II. partes mom. Decimoſeptimo mom. XI. & tertiam partem mom. Decimo octavo mom. XII. Decimonono mom. XII. & II. partem mom. Vigeſimo mom. XIII. & III. partem mom. Vigeſimo primo mom. XIV. Vigeſimo ſecundo mom. XIV. & II. partem mom. Vigeſimo tertio mom. XV. & III. partem mom. Vigeſimo quarto mom. XVI. Vigeſimo quinto mom. XVI. & II. partem mom. Vigeſimo ſexto mom. XVII. & III. partem mom. Vigeſimo ſeptimo mom. XVIII. Vigeſimo octavo momen. XVIII. & II. partem mom. Vigeſimo nono mom. XIX. & III. partem mom. Trigeſimo die mom. XX. XXXVI

Haec in unoquoque Signo fit ſumma momentorum XX. & ipſa momenta faciunt mediam horam, & dies XXX. Secundo ſigno mom. XX. ex dimidia hora, ibi XXX. dies. Tertio ſigno mom. XX. ex dimidia hora, ibi XXX. dies, & ſic de ſingulis. Haec XII. Signa faciunt DCCCLX. momenta. CCXL. ipſa momenta faciunt horas VI. & ipſae horae faciunt unum quadrantem in uno anno, & quadragies ductae per IV. annos faciunt horas XXIV., quod eſt unus dies naturalis, quem Latini biſſextum vocant.

Ad quinque dies intercalares inveniendos per XII. Signa.

Si noſſe vis, quomodo adcreſcunt quinque dies intercalares ſingulis menſibus & diebus in uno anno Solis curſu per XII. Signa in unoquoque ſigno X. horae creſcunt. Multiplico decem per decies XXXVII.

 fiunt

fiunt C., quia una hora decem minuta facit. Multiplica decem per decies, fiunt C. minuta. Da unicuique diei ex XXX. diebus tria minuta, & tertiam partem minuti, quia omni die ex XXX. diebus adcreſcunt III. minuta, & tertia pars minuti. Primo anno p. * biſſextus initium prima hora noctis in primo ſigno intret in Arietem in unoquoque die ex XXX. diebus creſcunt tria minuta, & tertia pars minuti. Secundo die VI. momenta, & ſecunda pars minuti. Tertio X. minuta. Quarto XIII. minuta, & tertia pars minuti. Quinto XVI. min., & ſecunda pars min. Sexto XX. min. Septimo XXIII. min., & tertia pars min. Octavo XXVI., & duas partes minuti. Nono XXX. min. Decimo XXXIII. min., & tertia pars min. Undecimo XXXVI. min., & II. part. min. Duodecimo XL. min. Decimotertio XLIII. min., & tert. part. min. Decimoquarro XLVI. min. & II. part. min. Decimoquinto L. min. Decimoſexto LIII. min., & III. part. min. Decimoſeptimo LVI. min., & II. part. min. Decimo octavo LX. min. Undevigeſimo LXIII. min., & tert. part. min. Vigeſimo LXVI. min., & duas partes min. Viceſimo primo LXX. min. Vigeſimo ſecundo LXXIII. min., & II. part. min. Vigeſimo tertio LXXVI. min., & II. part. min. Vigeſimo quarto LXXX. min. Vigeſimo quinto LXXXIII. min. & III. part. min. Vigeſimo ſexto LXXXVI. min., & II. part. min. Vigeſimo ſeptimo XC. min. Vigeſimo octavo XCIII. min. & III. part. min. Undetrigeſimo XCVI. min. & duas partes min. Trigeſimo die C. minuta.

Haecque unum Signum integrum, & fit ſumma centum minutorum. Ipſa minuta faciunt horas X., & XXX. dies. Similis numerus in XII. Signis; in unoquoque ſigno C. minuta, ipſaque minuta faciunt horas X. & XXX. dies. Haec XII. Signa faciunt dies CCCLX., horas CXX. ipſae horae faciunt minuta MCC. Partire CXX. horas per XXIV., & fiunt quinquies XXIV., quod ſunt V. dies qui dicuntur Intercalares, & erunt totius anni dies CCCLXV.

De Punctis.

XXXVIII. Unus punctus quarta pars horae eſt. IV. puncti faciunt unam horam. Unus punctus facit X. mom. IV. puncti XL. mom. & iſta XL. mom. faciunt unam horam. Et VI. horae in uno anno faciunt unum quadrantem, & IV. quadrantes in IV. annis faciunt diem, & noctem, & ipſi IV. quadrantes ideſt VI. quater ducti faciunt horas XXIV., & eſt unus dies ex XXIV. horis, qui dicitur biſſextus, quia bis legitur VI. Kal. Mart.

Unus punctus facit duo minuta, & medium. Duo Puncti V. minuta. IV. puncti X. minuta. ipſa minuta faciunt unam horam. XL. puncti faciunt horas X. & faciunt ipſae horae C. minuta. Ipſa minuta quater ducta faciunt CD minuta, quia unum minutum quater ductum facit IV. minuta. In XII. menſibus ter. quater ducta faciunt minuta MCC. Ipſa minuta quater ducta faciunt momenta MMMMDCCC. ex CCCLX. diebus in uno anno.

De Diebus anni.

Unus annus habet dies CCCLXV., & inter dies & noctes VIII. mil. DCCLX. Fac ex ipſis ſeptem partes millenas, remanent MDCCLX. Ex ipſis fac ſeptem partes ducentenas, remanent CCCLX. Fac ex ipſis ſepties quinquagenes, ſuperſunt X. Ex his fac ſepties unum, ſuperſunt tres horae, quae faciunt in IV. annis diem unum, qui additur VI. Kal. Mart. XXXIX.

De Ratione Biſſexti.

Annus habet menſes XII. Hebdomadas LII. & diem unum, & quando biſſextus evenerit, dies duos, & habet ipſe annus horas MDCCLXX., & habet punctos MXXXV., & inſuper horas XL. Ipſas horas divide in VII. partes, ſeptima pars ex ipſis horis ſunt horae MCCLX., & de ipſis remanent horae tres extra portionem horarum, & ipſae tres horae faciunt biſſextum. XL.

Item de Biſſexto.

In menſibus XII. adcreſcunt puncti XII. in anno uno, qui faciunt horas III. In alio anno horas III. In tertio horas III. In quarto anno horas III., & ipſae horae faciunt horas XII. Et VI. Kal. Mart. faciunt diem unum, & ipſam diem menſis Februarius, quando biſſextus evenerit, accipit. XLI.

Item de Biſſexto.

Biſſextum non ob illum diem fieri, ut quidam putant, cum Joſue Solem orabat ſtare, credendum eſt, quia ille dies fuit, & praeteriit. Sed ob hoc dicitur biſſextus, quod in unoquoque menſe XLII.

punctus

punctus unus adcreſcat. Punctus verò unus quarta pars horae eſt. Quatuor verò puncti unam horam faciunt. XII. verò puncti tres horas explent. Ergo in IV. annis quatuor ternae horae, quod ſunt XII. diem faciunt unum qui additur Februario, cumque VI. Kal. Mart. habuerit, & ut in craſtino ſic habeat. V. G. ſi hodie VI. Kal. Mart. additur ille dies, qui quarto anno expletus eſt, ut & in craſtino ſic habeat VI. Kal. Mart. Et ideo biſſextus dicitur, quia bis legitur VI. Kal. Mart.

Item de Biſſexto.

XLIII. In ſex diebus fecit mundum Deus, in ſeptimo requievit. Ergo ut plenius intelligatur compotus, vide quot horas habeat unus annus, & divide illas in ſeptem partes, quotquot remanent exinde. Primum computa dies CCC. quomodo horas decies centeni ſunt $\overline{\text{III}}$. Bis trecenteni DC. fiunt. In CCC. dies $\overline{\text{III}}$DC. fiunt. Iterum facies decem ſexagen. CXX. fiunt horae DCCXX. Iterum facies quinquies decem, fit L. & bis quinque fit X. Ecce habebis LXV. dies. Fiunt ſimul inter dies, & noctes horae in toto anno $\overline{\text{VIII}}$DCCLX. Divide illas in VII. partes. Primum facies ſepties mille, remanent MDCCLX. Iterum facies ſeptem CC. fiunt MCCCC. Iterum facies ſepties quinquagent. fiunt CCCL., remanent X. Iterum facies ſeptuag. VII. remanent III. Iſtae III. horae faciunt unum diem in IV. annis. Anni Ogdoas habet horas $\overset{r}{\overline{\text{LXX}}}$LXXX. Anni Endecas habet horas $\overset{m}{\overline{\text{XCV}}}$CCCLX. Fiunt inſimul Ogdoas & Endecas $\overset{m}{\overline{\text{CLXV}}}$DCCCC.

Item de Biſſexto.

XLIV. Quare fit Biſſextus, & quomodo fit, & quid eſſet, ſi non fuiſſet? Quare, ideſt quia non implent CCCLXV. dies Solarem annum, niſi fuiſſet quadrans. Fit quadrans per totum annum, & menſem, & diem. Primo anno incipit quadrans a ſolis ortu uſque in medium noctis. Incipit quadrans anno ſecundo a dimidio noctis uſque ad ſolis ortum. Quadrans tertio anno uſque ad ſextam horam. Quadrans quarto anno a ſexta hora uſque ad ſolis occaſum. Turbaretur ordo temporum, ſi non fuiſſet quadrans. Quadrans namque dicitur quarta pars diei naturalis, vel cujuslibet rei: & ideo quarta

pars

pars diei, quia XXIV. horis cum ſua nocte completur, ideo horas VI. quadrantem vocare ſolemus. Quare Biſſextus VI. Kal. Mart. intercaletur? Reſpondetur, ob hoc Biſſexti diem in menſe Februar. placuit intercalari Romanis, quia hic brevior ceteris extremus anni menſis erat. Verum ideo nondum explete * eo quemadmodum Aegyptii, & Graeci decurſo totius anni circulo facere volebant, & omnino deciſa lege ſua veter. initium Martii menſis a Febr. fine ſejungere, ideo non a VI. Kal. Mart. die quem terminum colentes Terminalia ſacraque XXIII. menſis ejuſdem die ſemel inſtituerant, & alium diem mutare prorſus non audebant. Sed hi ſunt * rite celebrantes unum quadrantem interponebant diem.

Item de Solſtitio, & Aequinoctio.

Solſtitia duo ſunt. Primum hyemale VIII. Kal. Janu., quo XLV. Sol ſtat; & creſcunt dies, & eſt ipſa dies Nativit. D. N. J. C. ſecundum carnem. Alterum aeſtivale VIII. Kal. Jul. quo Sol ſtat, & creſcunt noctes, & eſt in Provincia Palaeſtinae Natale S. Jo. Baptiſtae. His contraria duo Aequinoctia ſunt. Unum vernale ſecundùm Latinos VIII. Kal. Apr., ſecundum Graecos ab XI. Kal. Apr., quia S. Synodus non permittit ut illi tres dies, ideſt quinta feria, in qua Dominus a Judaeis comprehenſus eſt, & ſexta, in qua crucifixus eſt, & ſeptima Feria, quando jacuit in ſepulcro, foras terminum excludantur. Et tunc incipiunt creſcere dies. In ipſa Dominus noſter J. C. Crucifixus, & eſt Conceptio S. Dei Genitricis Mariae, quando ſalutata eſt ab Angelo. Alterum autem autumnale VIII. Kal. Octob. ex quo dies minuuntur, & fit in Macherunte Caſtello conceptio S. Jo. Baptiſtae & Martyris. In iſtis enim quatuor temporibus, ideſt vere, aeſtate, autumno, & hyeme univerſus annorum ordo currit, per quos certiſſime Conceptionis, & Nativitatis Domini, & Salvatoris noſtri, nec non S. Praecurſoris Joannis pleniſſime dignoſcuntur.

De ſaltu Lunae.

Saltum Lunae anno primo decemnovennali ponunt pro eo, XLVI. quod ideo ultimus annus decemnovennalis Epacta Lunaris decemnovennalis tunc retinens anno I. decemnovennali non XI. dies ut in caeteris annis ſolet fieri, ſed XII. dies accommodat. Et quia XXX. dierum

dierum ſine volvuntur, nullae Epactae in principio ipſius ponuntur; ſecundo autem anno Epactas ſuſcipit. Unde autem ſumant exordium, dicendum eſt. Fac de anno ſolari, qui habet dies CCCLXV. annum communem, qui habet dies CCCLIV. hoc modo: prius ſubtrahe CCC. remanent LXV. Iterum tolle L. remanent XV., itemque ſubtrahe IV. remanent XI. Inde ſumunt exordium, & inde multiplicant ceterae Epactae. Saltus autem Lunae ideo in XIX. annis protenditur, quia ſicut ſolis curſui adcreſcit dies, quae ſit per puncta, & momenta, & quadrantes, quae in IV. annis facit biſſextum, ita per Lunae curſum XIX. annis decreſcit nox, quae facit Lunae ſaltum; Luna enim tardiorem habet curſum, quam ſol, quia ſol propter velocitatem ſui curſus ab ea prolongat ſpatium.

De Lunae curſu.

XLVII. Omnes igitur Lunares curſus ſecundum Hebraeorum Aegyptiorumque ſupputationem poteſt facere juxta naturalem curſum per ſingulos menſes dies XXIX., & ſemiſſem, & dimidium horae, & X. paene momenta. Omnis namque dies & Lunae computatione, non eodem numero cum mane incipit, ad veſperam finit, quae dies quae * mane in Luna minus ad * ſexta, & dimidium horae horam XIV. adnumeratur. Idem veſperam * XIV. invenitur. in quo manifeſtè dicere videtur in XXIX. diebus, & ſemiſſe, ideſt VI. horis, & dimidio horae, ideſt XX. momentis Lunarem curſum finiri, ad ditis tamen ut ſupra dictum eſt X. paene momentis, & tunc ad alteram Lunam incipit prima. Kalendae à Calendo dictae, vel a calo ideſt voco. Aſtrologus vocabat populum, ut viderent aſcenſionem Lunae, ideſt initium primae Lunae, vel ſtellarum curſum, quae ante, vel quae retro currerent. Nonae, ideſt nundinae, negotium, mercatum. Inter IV. Non. vel VI. Non. ideo diviſerunt, ut non ſcirent Latrones mercatum illorum, quando eſſe deberet, quia reponebant ſe in ſilvis, & in ſecretis locis juxta viam, & venientes ad mercatum occidebant, vel praedabant. Idus, ideſt ab edendo dictae, vel ſpecies menſis ſequentis. Per ann. VIII. in Nicaena ſynodo computaverunt XIV. Lun. & iterum per annum XVIII. computaverunt ſine quadrante, & non revertebantur in ſe niſi in annum * addidiſſent, nec concordabat Solis curſus cum Lunae curſu, & ideo in Ogdoadem, & Endecadem diviſerunt circulum decennovennalem. Indictio dicta juxta cenſum Romanorum, & non juxta V. dies intercalares

calares Aegyptiorum. Indictiones VIII. Kal. Apr. incipiunt in capite annorum * V. Romam reveniebant ſemper cum cenſu, capite autem XV. revertebantur in primum ordinem. Si autem de auro eſſet forma Caeſaris, aurum dabant, ſi argentum, argentum, ſi aes, aes erat.

De interrogatione XIX. annorum Cycli.

Prima igitur ratione debeas interrogare de XIX. annorum cyclo, ſecundo quomodo Luna per Kal. menſium. Tertio qualiter Luna in ſuo menſe habeat numerum. Quarto quali die & Luna ſit Paſchalis ſolemnitas. Quinto quomodo Paſcha memoriter computandum. Sexto de Lunae accenſione, & Solis deſcenſione. Septimo reſponſum his qui diſcordant in Paſchae compoto. Licet omnis homo quoad compunctionem cordis, ſalutemque animae pertinet, haec debet meditari. Quae compotum ſcire vult, debet inſtare, qualiter Sancti viri in Paſchali Dominica Reſurrectionis feſtivo ordine celebranda inquirentes pervenerint. Non eſt igitur hoc otioſum ſcire, vel quemadmodum illi cyclum ſcripſerunt, & ad ipſam intelligentiam pervenerunt. XLVIII.

De Menſibus.

Quibus modis dicuntur Menſes IV. quomodo ſub Idolis, ſub rebus, ſub Regibus, ſub numeris. Januarius quibus modis dicitur? duobus, ſub Idolo, & ſub re. Sub Idolo dicitur eo quod a Jano pagano accepit nomen, & bifrons fuit. Et ſub re dicitur, quia ſicut homo ingreditur per oſtium in domo, ita anni ingrediuntur per iſtum Januarium. Febr. quibus modis dicitur? duobus, ſub idolo, & ſub re. Sub Idolo erat generatio, quae appellabatur Luperci, vel Lurconis, quia omnes immunditiae, quae per totum annum fiebant, vel lavabant eorum corpora, niſi tantum in iſtum Februarium, & ſic febrizabant in aqua frigida. Et ſub re dicitur, eo quod omnes creaturae Dei omnes conjunguntur in eo. Martius ſub idolo accepit nomen, & a Marſo pagano, ita & dies Martis. Aprilis ſub re dicitur, & ab aperiendo dicitur eo quod aperit mundum, & floret in eo. Majus a Maja matre Mercurii accepit nomen, vel a Majorum ſapientia Romanorum. Junius a Juniorum ſapientia Romanorum. Julius Caeſar, & Auguſtus ad dignitatem acceperunt no- XLIX.

mina. Sept. Oſt. Nov. & Decemb. a numero acceperunt nomina. Sept. quia ſeptimus a menſe Martio; Oſtob. quia oſtavus; Nov. quia nonus; & Decemb. eo quod decimus, & imber pluviae eſt.

De Luna Paſchali.

L. Luna in Paſcha non poteſt fieri minor, quam XV., major quam XXI. In Quadrageſima verò minor non poteſt fieri quam III. nec major quam IX., niſi Biſſextus evenerit. in Rogationibus minor non poteſt fieri, quam XXII. nec major quam XXVIII. In Pentecoſte minor non poteſt fieri, quam Quinta, nec major quam XI. Si fuerit in Paſcha Luna XV. in Quadrageſima erit III. in Rogationibus XXII. in Pentecoſte V. Et quantos dies creverit in Paſcha, tantos creſcit in Quadrag. ſimiliter in Rogation. ſeu in Pentecoſte.

Argumentum ad initium Quadrageſimae inveniendum.

LI. Quantos dies Paſcha fuerit ante prid. Kal. Mart., in Febr. habebis Quadrageſimam, & quantos dies poſt prid. Id. Apr. habueris Paſcha, tantos dies poſt Kal. Mart. habebis Quadrageſimam, Et ſi prid. Id. Apr. habueris Paſcha, Kal. Mart. habebis Quadrageſimam.

Item ad Rogationes inveniendas.

LII. Quantos dies ante Kal. Apr. habueris Paſcha, tantos dies ante Non. Maj. habebis Rogationes. Et quantos dies prid. Kal. Apr. habueris Paſcha, tantos dies prid. Non. Maj. habebis Rogationes, & ſi evenerit ut Kal. Apr. habueris Paſcha, Non. Maj. habebis Rogationes.

Item ad Pentecoſtem inveniendam.

LIII. Quantos dies ante Kal. Apr. habueris Paſcha, tantos dies ante XIII. Kal. Jun. habebis Pentecoſtem, & quantos dies prid. Kal. Apr. habueris Paſcha, tantos dies poſt XIII. Kal. Jun. habebis Pentecoſtem. Et ſi evenerit ut Kal. Apr. habueris Paſcha. XIII. Kal. Jun. habebis Pentecoſtem.

De

Digitized by Google

De Suppotationibus.

Subpotatio Euſebii, Hieronymi ab Adam, uſque ad Diluvium LIV.
anni $\overset{m}{\overline{\text{II}}}$CCLII. A diluvio uſque ad Abraham anni CMXLII. Ab Abraham uſque ad Moyſen anni DV. a Moyſe uſque ad Salomonem, & primam aedificationem templi, anni CDLXXXVIII. In * ſecundum minorem quae tertius Regnorum liber continet jam juxta judicium anni DCL. A Salomone uſque ad inſtaurationem templi quae ſub Dario Rege facta, colliguntur anni DXII. Porro a Dario uſque ad praedicationem D. N. J. C., & uſque ad XV. annum Tiberii primus * explentur anni DXLVIII. Itaque fiunt ſimul ab Adam uſque ad praedicationem Chriſti & XV. Tiberii anni * $\overset{m}{\overline{\text{V}}}$CCXXVIII. Aetas proprie duobus modis dicitur; aut enim homines ſic infantia, juventus, ſenectus. Aut mundi ab Adam uſque ad Noe. Secunda a Noe uſque ad Abraham. Tertia ad Abraham uſque ad David. Quarta a David uſque ad tranſmigrationem Judaeae in Babyloniam. Quinta deinde uſque ad adventum Salvatoris. Sexta quae nunc agitur uſque quo mundus iſte finiatur.

Si vis ſcire annos ab initio mundi multiplica quindecies, CCCC. & XV. & X. & XV. IX. Adde indictionem ejuſdem anni, & partire per XV. partem.

De Termino Paſchali.

Si vis invenire ſubito, quotus terminus Paſchalis ſit, ſi in LV.
menſe Martio evenerit terminus, tene de martio regulares XXXVI. ſubtrahe Epactam Lunarem ipſius anni, & quotquot dies poſt ſubtractam Epactam de ipſo numero remanſerunt, collige numero in articulis, & in quo datarum evenerit, talem habebis terminum. Si autem in menſe Aprili terminus incurrerit, tene de Aprili regulares XXXV., & de ipſis regularibus XXXV. Eodem modo calculabis, quo ſuperius diximus. Quod ſi Menſe Martio poſt deductam Epactam XXX. tantum remanſerint, XXX. die Kal. Mart., ideſt III. Kal. Apr. habebis terminum. Incipiente autem anno primo Decemnovennali in menſe Apr. Epactam minime habes, quod recedas de ipſis regularibus XXXV. De Aprili recede XXX., remanent V,

 Quinto

Quinto die de menſe Apr. ideſt Non. Apr. habebis terminum, & ſic omnibus annis.

De Hebdomada.

LVI. Hebdomada apud Graecos, & Romanos VII. dierum curſu peragitur. Apud Hebraeos autem VII. anni ſunt. Declarat hoc Daniel de hebdomadibus. Hebdomada autem feriis conſtat. Feria quoque a fando dicta, quaſi fari, eo quod in creatione mundi per ſingulos dies dixit Deus: Fiat. Item quia dies Sabbati ab initio feriatus habetur, inde dies Solis prima Feria nuncupatur, quia primus eſt a Feria. Item Luna perinde ſecunda Feria, quia ſecundus eſt a Feria, ideſt a Sabbato, quod eſt feriatum. Sic & ceteri dies alii ex numero ſumpſerunt vocabula. Apud Romanos autem hi dies a planetis, ideſt erraticis ſtellis nomina acceperunt. Primus enim dies a Sole vocatus, qui princeps eſt omnium ſiderum, ſicut & idem dies caput eſt cunctorum dierum. Secundus a Luna, quae Soli ſplendore proxima eſt, & magnitudine, atque ex eo nutrit lumen. Tertius a ſtella Martis, quae Veſper vocatur. Quartus a ſtella Mercurii, quam quidam candidum circulum dicunt. Quintus a ſtella Jovis, quam Feton dicunt. Sextus ab ſtella Veneris, quam Luciferum aſſerunt, quae inter ſidera plus lucis habet. Septimus a ſtella Saturni, quae * ſexto coelo collocata XXX. * annis fertur explere curſum ſuum. Proinde autem Gentiles ex his ſeptem ſtellis nomina diebus dederunt, eo quod per eoſdem aliquid ſibi effici exiſtimarent dicentes: habere ex Sole ſpiritum, ex Luna corpus, ex Mercurio linguam, & ſapientiam, ex Venere voluntatem, ex Marte fervorem, ex Jove temperantiam, ex Saturno tarditatem. Talis quippe extitit Gentilium ſtultitia, qui ſibi finxerunt tam ridiculoſa figmenta.

Item de Hebdomada.

LVII. Hebdomada dicta eſt a Graeca appellatione, quaſi Hebdom a numero VII. dierum dicta. Hebdomada enim apud Graecos VII. adeſt.* dies Veteres dicebant. Inde dicitur Hebdomada, & reliquae hebdomadae. Apud Graecos & Latinos ſeptem dierum curſu peragitur, apud Hebraeos VII. annis dicebant. Hoc Daniel de Septuaginta Hebdomadibus, ideſt ab exitu ſermonis, & exultationis captivitatis de Babylonia ſub Eſdra, & Nimian, & Zorobabel ſeptuaginta Hebdomadae.

madae. ideſt ſeptem vicibus ſeptuaginta anni ſunt, quae efficiunt CDXC., quod ſpatium fuit a reditu captivitatis Babyloniae uſque ad Nativitatem Chriſti. Et idcirco ſeptem diebus Hebdomada completur, quoniam ſcilicet univerſitatem creaturarum VI. diebus Deus operatus eſt, in ſeptimo requievit. Prima die condidit lucem, ſecunda firmamentum, tertia mare & terras, quarta ſidera, ideſt Solem & Lunam, quinta volucres & reptilia, ſexta hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ſeptima die requievit ab omnibus operibus ſuis. Nomina dierum Hebdomadae ſecundum Hebraeos duobus modis dicuntur, ideſt ordinem, & requiem, hoc modo. Prima Sabbati, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta Sabbati, Sabbatum. Secundum Graecos dictione, & ordine nuncupantur hoc modo. Prima feria, ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, ſeptima feria. Secundum Latinos a diis Gentilium & reliquiae nominantur. Habuerunt enim duos Deos coeleſtes, & quinque terrenos. Martem patrem Romuli, Mercurium Eloquentiae, & ingenii dominum, Jovem virtutis, & humor * ejus idolum, Venerem libidinis, concupiſcentiae, & omnis turpitudinis inventricem. Saturnum patrem Jovis, frugum, & ventorum moderatorem. His deluſa erroribus vetuſta Gentilitas, quae propter frequentiam uſitandi nomina Deorum diebus ſaeculi impoſuerunt. Sed propter eorum confuſionem haec ipſa nomina Chriſtiani non mutaverunt, ut cum ſingulis diebus nominantur, ſingulis horis deſpiciantur tam ipſi, quam & cultores eorum.

Item de Menſibus.

Menſis a menſura quadam nomen accepit, quoniam omnis menſis ſecundum Lunae curſum XXIX. diebus, & ſemiſſe menſuratur. LVIII.
Menſes primitus in Lunari curſu reperti ſunt, & ab Hebraeis haec obſervatio primitus abſtracta eſt, apud illos enim primum Kalendae, & Neomeniae dictae ſunt. Menes enim apud Hebraeos Luna, vel Neomenia dicitur. Inde Neomenias novae Lunae obſervatione celebrant. Deinde apud Latinos Menſes Solares reperti ſunt. Arcades enim annum ſuum tribus menſibus numerabant, ideſt in nomine CXX. & uno diebus computabant. Archanenſes verò ſex, ideſt ſingulos menſes LXII. diebus computabant. Graeci reliqui CCCLIV. annum proprium computabant. Incipiebat a Martio, computabatur menſibus XI. Romani verò auctore Romulo annum ſuum X. men-

ſibus

ſibus computabant. Incipiebant a Martio menſe, perficiebatur a Decembrio menſe diebus CCCI. Symphronius autem adjunxit unum menſem, qui dicebatur Februarius, qui & modò Februarus dicitur, & computabant annum CCCXXII. diebus. Aurelius Clepa addit menſem XXX. dierum, quem Graeci Afronitem vocant, quem nos Aprilium dicimus, & computabatur annus hoc modo CCCLXIV. diebus. Numa Pompilius addidit unum diem in honorem paris numeri, & annum XII. menſibus, & quatuor temporibus per inciſionem duorum ſolſtitiorum, & duorum aequinoctiorum in numerando diſtinxit. Nomina menſium ſecundum Aegyptios ita dicuntur: Dius, Apollonius, & Dyneus, Filiſteus, Diſtreus, Artemiſius, Pharemeneus, Laus, Scurpeus, Iperventius.

Item de Menſibus.

LIX. Menſis eſt luminis Lunaris circuitus, ac redintegratio, ſive nova ad novam, in cujus figura plerumque hujus vitae curſus intelligitur, quae ſuis incrementis quaſi menſis peragitur, eodem * nationibus ſuis certiſſimis terminatur. Menſem autem antiqui definierunt: quamdiu Zodiacum circulum perducit. Antiqui autem Gentiles Menſibus nomina quaedam ex Diis ſuis, quaedam ex cauſis ſuis, quaedam verò ex numero impoſuerunt, incipientes a Martio, quia ex ipſo anni orientis ordinem ſervaverunt. Hunc enim Martium propter honorem Romuli ſic appellaverunt, quia Martis filium eum crediderunt. Aprilem verò nullo Deorum ſuorum nomine, ſed de re propria, quaſi Aprilem nominaverunt, eo quod tunc primum germina aperiantur in florem. Inde Menſem Majum pro Maja Mercurii matre, quam Deam aeſtimaverunt, vel propter majores. Deinde Junium a Junone, quam ſororem, vel conjugem Jovis fuiſſe teſtantur. Alii autem ſicut majoribus, ita pro junioribus Junium vocari dixerunt. Item Julium a Julio Caeſare, Auguſtum vero ab Auguſto Caeſare Octaviano vocari dixerunt. Nam prius Julius Quinctilis, & Auguſtus Sextilis vocabantur, ſed eorum nomine a Caeſaribus Julio, & Auguſto ſunt commutatà. Jam September, quod ſeptimus ſit a Martio, qui eſt principium Veris, ſimiliter quoque October, November, & December ex numero imbrium atque aeris acceperunt vocabulum. Porro Januarium ex nomine Jani vocaverunt, ſed ſpecialiter Januarius appellatur, eo quod janua ſit anni, atque principium. Februarium autem a Febribus Lupercorum ſacris appella-

appellarunt. Apud antiquos itaque Latinos X. menſibus curſus anni computabatur, ſed Januarium Romani, Februarium verò Numa Pompilius addidit, atque in XII. menſes diſtinxit. Plerique autem aſſerunt Cyminum Sabinorum Regem prius annum in menſibus diviſiſſe Id. Kal. & intercalares dies inſtituiſſe; in Codicibus autem ſanctarum Scripturarum XII. menſes fuiſſe in anno etiam ante diluvium oſtenduntur: Sic enim ibi legitur: *Aqua autem minuebatur uſque ad undecimum menſem. Undecimo autem menſe prima die menſis apparuerunt cacumina montium*, ſic enim tunc menſes denumerabantur, non ſicut nunc, hos enim Kal. & Idus, illos vero Luna finita concludebat. Kalendae a colendo dictae, apud antiquos enim ſemper menſium principia celebrabantur. Idus quoque dictae a diebus, & Nonae a nundinis. Menſes autem apud Latinos ex Kal. ſumunt principium. Apud Hebraeos ex Lunae naſcentis recurſu. Apud Aegyptios autem principia menſium eſſe ante Kal. III. aut II. dies pronunciantur. Annum autem quaſi quidam anum dici putant, ideſt Cyclum, unde anuli dicti ſunt diminutivè. Principium anni alii ab Roma putant, ut populi Romani, alii ab Aequinoctio vernali, ut Hebraei, alii a Solſtitio, ut Graeci, alii ab Autumno, ut Aegyptii. Æra a die Kal. Januar. adcreſcit. Biſſextus autem a VI. Non. Mart. uſque ad diem Kal. Jun. Lunae curſu proponitur. Annus Aegyptiorum ſine biſſextis habet initium VII. Kal. Septemb., cum biſſextus autem annus evenerit, ut * Kal., ut ſupra Scripturarum. Solſtitium autem dicitur quaſi Solis ſtatio. Aequinoctium vero, quod tunc dies & nox in aequitatem horarum duodenarum revertantur, coaequatis ſpatiis ſuis. Solſtitium aeſtivum ideo lampas dicitur, eo quod ex eo infundat diem lampas Solis, claritatem majorem accipiat, caloremque novum advenientis aeſtatis.

Item de Menſibus.

Sini ut hii * menſes Aegyptiaci, Orientales, Mauri, & Grae- LX.
ci, Macedones, Alexandrini, Aſiani, Perſae, Medi, Chaldaei non numerant dies Menſium per Kal., & Non., & Idus, ſed his Romani praejudicant. Sed Graeci, & hi ſupradicti omnes XII. menſes habent, & ſub menſe eorum dies XXX. ſemper praeter Aegyptios concordant omnes. In eodem menſe bis, & in Sole * Lunae exceptis Aegyptiis, qui XIII. menſes faciunt, decimo tertio menſe de V. diebus remanentibus completo Aguſto * ann. III. ſine biſſexto,

& III.

& III. anno cum intret biſſextus, ſex dies adhuc de Agusto remanent propter biſſextum, & fit iſte menſis decimus tertius VI. dierum, quos dies vocant Aegyptii Epagomenas, ideſt Latinè concurrentes.

Item de Menſibus, & Lunae longitudine.

LXI. Menſes quoque Lunae ſecundum Latinos longitudine diſpares: VI. longi, & VI. breves per omnem * communium Lunae longe in anno Emboliſmali ſimul cum Luna Emboliſmus, & dies biſſextus, in eumdem annum conveniunt. Ut ſi Luna trigeſima in Kal. Janu., & Luna ipſius Janu. trigeſima, & Luna Februar. pro biſſexto trigeſima computabitur. Et Luna Mart. ſemper trigeſima ſecundum Latinos. Sed quod dicimus Lunares menſes longitudine diſpares ſecundum numerum, non ſecundum naturam omnes Lunae menſis aequales ſunt. Unde apud Hebraeos omnes menſes XXIX., & ſemiſſem ſemper habent aetates, V. G. ſi accendatur Luna media die, & ejuſdem dies quatuor hebdomadibus in medio expletis, altera media die XXIX. Luna * eſſe deinde ſemis uſque in medium noctis. una enim vice apud Hebraeos media die, altera menſis vice media nocte accenditur Luna. Sed parum Romani ab Hebraeis diſcrepant, non enim multum diſtat, ſi in altera Luna diem integrum adiicias, an duos menſes dividens aequas partes utriuſque diſtribuas. Cum autem media die Luna accenditur, locus accenſionis medium Auſtri adfirmatur. Cum vero media nocte illuminatur, in medio Septemtrionis, ſed ignito coeli loco inluminari traditur. In duobus horis apud Hebraeos Luna accenditur, ideſt in media hora poſt VI., & in medio noctis apud Romanos quibus videatur altera Luna trigeſima, altera XXIX. poſt VII. accenditur. Quia facilius eſt apud eos ad tenendam rationem unum imponere diem, qui efficit XXX. Ideo Aquilonares hanc regulam non obſervant, quia conſequens eſt apud eos, ut menſis XXXI. die Luna XXX., menſis XXX. die Luna XXIX. habet. Sed ſi hoc dixerimus propter praeparationem biſſexti vel Solis accenſio variatur, ut in toto coeli orbe circulo, quo Luna currit, nullum locum arbitremur ejus accenſione vacare Luna longa XXX. Luna brevis XXIX. Luna Janu. trigeſima, Luna Febr. XXIX., ſic & omnes Menſes. Sed Lunas menſis adſignare magis traditione magiſtrorum, & maxime Latinorum, quam literis divulgatum eſt. Aegyptios autem Lunae narrat litera ſingulas Lunas ſingulis menſibus diſtribuere. Neceſſe eſt vero Lectorem

rem ſcire quamlibet Lunam cuilibet menſi adſcribat, utrumque in eo accenditur, an illo in quo ea extinguitur. Nam ſi ſemper Kalendis menſium Lunae deficere eſſent ſolitae, & ſemper in Kal. menſium primae Lunae compotibus praebere, & alterius menſis Luna in alterum non vagaretur, profectò quaeſtio ſolubilis foret, & ea Luna quae in eodem menſe extinguitur, & accenditur ejuſdem menſis eſſe definirent. Sed quod eſſe in Kal. Menſium, & reliquis in exordio menſis diebus Lunae deficiunt, & Lunae accenduntur immobili ratione defigitur, ut Luna quaelibet, in quo menſe defecerit, & non inluſtraverit, de eodem menſe niſi unum diem tantum menſe ipſius erit Luna, excepta Luna Embolimaea, quae XIII. ſine menſe vel Luna menſibus non deputatur, dum fit menſis, in quo duos * extinctionis fiunt, & menſis ſine extinctione invenitur.

De Menſe, & interrogatione Lunae.

Dic de unoquoque menſe Luna quot dies habet, & qualiter menſes Solares numerantur. Diximus namque unoquoque menſe Lunam habere dies XXIX., & dimidium, & ob hoc in una Lunatione XXIX. ſequente autem die jam prima numeratur; altera verò Lunatione cum illa alia medietate, quae relicta fuerat numeratur Luna trigeſima, etiam ſequenti die prima, ſic per totum annum uno menſe Luna XXIX., alio menſe trigeſima, ſicque fit ut VI. menſes Luna numeretur uſque XXIX. Sex autem alii menſes uſque Luna trigeſima, & in capite anni Solaris inde fertur habere Luna minus dies XI., ideſt ſex ſuperius memoratos, & V. qui ad menſem Solarem adduntur ſupra trigenos dies. Et cum ergo Lunae XIII. menſe, ideſt dies XI. ad annos Solares implendos fuerint adjuncti, reſtant de eodem menſe Lunae dies XIX. Et hinc Emboliſmorum ratio probatur exiſtere, quod communium annorum videtur damna ſubplere, uſque expleto Decemnovennali curſu conveniunt in unum. Hoc quoque non eſt admittendum, quod in illo Solari, in quo Luna incipit accendi, ſi habet dies XXXI., tunc dicitur Luna XXX., in illo verò, qui habet minus, quam XXXI., tunc dicitur XXIX., & inde prima, niſi quando in Kal. Aug. fuerit XXIX., quod ceteris rationibus intermiſſo die noſcitur addere, vel minuere. Ipſum quoque numerum clare noſcitur, quibus menſibus XXXI. dies habere dicitur. Scilicet Janu., & Mart., Maj., Jul., Octob., ceteri verò IV. Non. & cuncti VIII. Id. LXII.

Item de Menſibus quot horas habeant in die, & nocte.

LXIII. Aprilis, & Sept. habent horas in nocte XII., in die XII. Majus, & Auguſtus horas in nocte XI., in die XIII. Junius, & Julius horas in nocte IX., in die XV. October, & Martius horas in nocte XIII., in die XI. November, & Febr. horas in nocte XIV., in die X. Decemb. & Jan. horas in nocte XV., & in die IX.

Item de Menſibus.

LXIV. Januar. IV. Non. XIX. dies XXXI., Luna XXX. Febr. IV. Non. XVI. dies XXVIII. Luna XXIX. Mart. VI. Non. XVII. dies XXXI. Luna XXX Apr. IV. Non. XVIII. Dies XXX. Luna XXIX. Majus VI. Non. XVII. dies XXXI. Luna XXX. Junius IV. Non. XVIII. dies XXX. Luna XXIX. Julius VI. Non. XVII. dies XXXI. Luna XXX. Auguſtus IV. Non. XIX. dies XXXI. Luna XXIX. September IV. Non. XIX. dies XXX. Luna XXX. Octob. VI. Non. XVII. dies XXXI. Luna XXIX. Novemb. IV. Non. XVIII. dies XXX. Luna XXX. Decemb. IV. Non. XIX. dies. Luna XXIX.

De Punctis Lunae.

LXV. Luna prima IV. punctis lucet, ideſt XL. momentis.
Luna II. una hora, & III. punct.
Luna III. duab. horis & II. punct.
Luna IV. trib. horis, & I. punct.
Luna V. quatuor horis lucet.
Luna VI. quatuor horis, & IV. punct.
Luna VII. V. hor. & III. punct.
Luna VIII. VI. hor. & II. punct.
Luna IX. VII. hor. & I. punct.
Luna X. VIII. hor. lucet.
Luna XI. VIII. hor. & IV. punct.
Luna XII. IX. hor. & III. punct.
Luna XIII. X. hor. & II. punct.
Luna XIV. XI. hor. & I. punct.
Luna XV. LX. puncta, ideſt XII. horas.
Luna XVI. XI. hor. & I. punct.
Luna XVII. X. hor. & II. punct.
Luna XVIII. IX. hor. & II. punct.
Luna XIX. VIII. hor. & IV. punct.
Luna XX. VIII. hor. lucet.
Luna XXI. VII. hor. & I. punct.
Luna XXII. VI. hor. & II. punct.
Luna XXIII. V. hor. & III. punct.
Luna XXIV. IV. hor. & IV. punct.
Luna XXV. IV. hor. lucet.
Luna XXVI III. hor. & I. punct.
Luna XXVII. II. hor. & II punct.
Luna XXVIII I. hor. & III. punct.
Luna XXIX. IV. punct. habet.
Luna XXX. II. punctis creſcit, & II. decreſcit.

Dic

Digitized by Google

Dic mihi quot horas lucet Luna, vel quot punctos habet Luna, quibus partibus hoc reperiri poſſit. Quare per IV. partem multiplicas ipſam Lunam: quia quarta die factus eſt Sol, & Luna. Quare per quintam dividis, & quinque puncti unam horam explicant.

De Numeris.

Numerus apud Hebraeos, Chaldaeos, & Syros Mina dicitur, LXVI. cum Graecis Arithmus nuncupabatur, apud Aegyptios Laterculus, penes Macedones Calculus, cum Latinis compotus, Ema cum Hebraeis, apud Graecos Emera, penes Latinos dies. Libia in Hebraeo, Nicta in Graeco, nox apud Latinos. Primus apud Gentiles dies nominatur a Sole, ſecundus a Luna, tertius a Marte, quartus a Mercurio, quintus a Jove, ſextus a Venere, ſeptimus a Saturno.

De Annis naturalibus, & magnis ſeu ſolſtitialibus.

Annus naturalis eſt, ut cum ſe Soli Luna ſubponit, ut inter LXVII. orbem Solis, & oculos noſtros media facta tenebras totius orbis efficiat, quod dicitur Eclipſis.

Annus Magnus dicitur, quando omnia ſidera certis temporibus, numeriſque completis ad ſuum locum, vel ordinem revertuntur, quem annum antiqui finire, vel adimplere dixerunt.

Annus Solſtitialis eſt cum Sol expleto per omnia ſigna circuitu in id, unde principium curſus ſui ſumpſit, recurrit. Ipſe eſt Solaris annus, vel civilis, qui diebus CCCLXV. peragitur.

De incendio Lunae.

Incenduntur Lunae CCXXV. certis computatis minutis, ideſt LXVIII X. paene minuta in unaquaque hora per ſingula continent momenta X. Ita dies & nox raro diminuitur, donec in fine anni XIV. id efficiunt. Sic mutatio Lunae intelligitur per XIX. annos.

De die Solis Orientis.

Dies eſt Solis Orientis praeſentia, quouſque ad occaſum perveniat. Dies autem geminatur appellari ſolet propriè a Solis ortu LXIX. uſque quo veniat ad occaſum, ſpatie, * die duo ſunt inter diurnum, & no-

& noctturnum, & eſt dies horarum XII. Partes abuſivae diei III. ſunt, mane, meridies, & ſuprema. Initia diei alii a Solis ortu putant, ab occaſu, alii a media nocte. Nam Chaldaei a Solis ortu diei initium faciunt, totum id ſpatium hi diem appellantes. Aegyptii autem ex initio noctis ſequentis diei originem trahunt. Romani autem a medio noctis initium oriri diei volunt, & in medio noctis finiri. Faſti dies ſunt, quibus fatur, ideſt dicitur, ut nefaſti quibus non dicitur. Feriati dies, in quibus res divina fit, & abſtinere homines a litibus oportet. Profeſti dies Feſtis contrarii, ideſt ſine religione. Atri dies ſunt, qui & communes vocantur. Siderales, in quibus ſidera moventur, & homines a navigationibus excluduntur, iſti continuo XXX. Praeliares, quibus fas eſt hoſtem bello laceſſere. Intercalares dies ſunt V. qui juxta Aegyptios ſuperſunt XII. menſibus, & incipiunt IX. Kal. Sept. & V. Kal. memoratarum finiuntur. Dies Epactarum ſunt XI., qui per ſingulos annos ad curſum Lunarem adcreſcunt. Nam in anno XII. Lunae CCCLIV. dies habent, remanent ad curſum anni Solaris dies XI., quos Epactas Aegyptii vocavere, pro eo quod ad inveniendam Lunam per totum annum adiiciantur. Solſtitiales dies ſunt, in quibus Sol ſtat, creſcente ſpatio dierum, vel noctium. Aequinoctiales dies ſunt, in quibus dies, & nox in aequalibus horarum ſpatiis concordant, ſeu evolvuntur. Nox eſt Solis abſentia, quamdiu ab occaſu rurſus ad ortum recurrat. Noctem autem umbram fieri terrae tamquam datum ad requiem corporis credimus, non ad alicujus operis officium; nox autem a nocendo dicta, eo quod oculis noceat.

De Die.

LXX. Dies eſt prima creaturarum, oſtenſio rerum, comes Solis. Item dies Solis praeſentia, quouſque ad ortum perveniat. Iſidorus dicit: *Dies geminè appellari ſolet, proprie ab ortu Solis, donec rurſus oriatur, abuſive vero ab ortu Solis, uſque quo ad occaſum perveniat, quae ideo dies dicta eſt a dividendo lucem a tenebris.* Item Phragonus dicit: *Sol ſuper terram dies eſt, Sol ſub terra nox eſt. Initia dierum IV. ſunt ſecundum Hebraeos; ab ortu Solis dies. In principio operum Domini*, & reliqua. Secundum Chaldaeos a medio die. Secundum Graecos, & Aegyptios ab ortu ſtellarum. Secundum Romanos a media nocte. Ab ortu Solis Hebraei computant propter Phyſicam ſcientiam rerum, quia natura creaturarum a lumine initium

tium ſumpſit. Prima enim die condidit lucem teſtimonio Moyſis: *Fiat lux*, *& facta eſt lux*. Chaldaei ideo a media die incipiunt, quia curſum Lunae obſervant, quae aſſiduè circa mediam diem accenditur, & extinguitur. Aegyptii vero quia Aſtrologi ſunt, & circulum ſiderum obſervant, a veſpere & ortu ſtellarum incipiunt, quarum curſus, & tempora obſervant. Romani a media nocte incipiunt, ſequentes illud, quod ſcriptum eſt: *Media nocte factus eſt Mundus*, *& media nocte iterum deſtruetur*. Et in Evangelio: *Media nocte clamor factus eſt*, & reliqua. Et iterum: *Sicut fur in nocte*, *ita veniet*. Partes diei tres ſunt, mane, meridies, ſuprema. Mane dictum eſt a manibus Infernorum Diis, qui res ad gaudendas fruges diſtillant, quorum * converſata Luna ad terram eſt. Vel mane a Manibus diis, quos antiqua Gentilitas oriente colebat. Vel mane a Mano dictum eſt, quod veteres Latini bonum dicebant, ut Iſidorus meminit. *Mane a Mano*, & reliqua. Meridies, quaſi medies, hoc eſt medius dies; tunc enim purior micat lux, quando Sol medio coelo rutilat, & totum orbem pari claritate inluſtrat. Vel meridies, quaſi meridios, quia tunc purior micat aether; merum enim purum dicitur. Suprema dicta eſt pars diei noviſſima, quia ſupereſt ultima. Tunc dies ad Veſperum ſupprimitur, quando nubiloſae noctis caligine obumbratur. Mane ab ortu ſolis uſque ad horam quartam dicitur, quod ut quadrans artificialis. Meridies V. VI. VII. VIII. horam tenet. Suprema IX. X. XI. XII. horam obtinere videtur.

De Nocte.

Nox eſt obſcuritas mundi, Latibulum, requies vivorum. Nox LXXI.
dicta eſt a nocendo, eo quod obtutibus nocet humanis, vel quia fures, & beſtiae in ea noceant. Vel quia negotiis, & laboribus humanis nocere, vel impedire videtur. Vel quia ab Etymologia Graeca nomen accepit; nictus enim Graeci, noctem Latini dixerunt, ut in Pſalmis legitur: *in meraſce nictus*, ideſt, die ac nocte. Partes noctis ſex ſunt: Veſper, crepuſculum, conticinium, intempeſtivum, gallicinium, matutinum. Veſperum dictum eſt a ſtella Occidentali, quae Veſper vocatur, & ipſa ſtella ab Heſperia regione nomen adſumpſit, mutata u pro h. veſper dicitur. Heſperia autem dicta eſt pridiem Spania ab Heſpero * regionis filio, qui hanc regionem bellicis virtutibus ſubjugavit. Et hanc ſtellam nautae, ne nocturna in

naviga-

Digitized by Google

navigatione oberrarent, navigantes a Gallograecia obſervabant. Hanc ſtellam alii ferunt uno anno Solem praecedere, cum Lucifero lumen matutinum aequalibus radiis praeclarare, & duobus annis poſt in occaſu Solis remanere. Mutato nomine Veſper nominatur, cum Lucifero vero Lucifer dicitur. Crepuſculum dictum eſt nocturni temporis ſpatium a crepero, ideſt commixtione tenebrarum, & luminis, quia Graeci diaſodi nominant, ideſt dubitantia inter exceſſum diei, & introitum noctis, aut exitum noctis, & introitum diei; & ob hoc dubium, quia ſi quis expergefactus fuerit a ſomni gravitudine in hoc tempore incertum ſe putat eſſe, utrum tranſacto noctis ſpatio ad diei claritatem pervenerit, aut exacto die ad initium noctis perducit. Conticinium, hoc eſt ſilentium; conticeſcere enim ſilere eſt, quia in ipſo tempore omnes tacent, & ſilent, & primi ſomni gratia adgravantur. Intempeſtivum, medium, & inactuoſum ſpatium noctis, tempus, quando nihil agi poteſt, & omnia ſopore quieta ſunt. Gallicinium dictum eſt a clangore volucrum nuncupatum quaſi gallicanium, propter gallos, videlicet lucis praenuncios, & hoc tempus antelucinium dicitur, quia galli antelucani nuncupantur, eo quod naturaliter praeconio, & plauſu alarum Lucis adventum praenunciant. Matutinum dictum eſt noctis tempus a maturitate lucis accedente die, recedente Aurora. Aurora dicta eſt, quaſi Eurora ab Euro vento dicta, quia in ipſa hora Euri ſpiramen ad excitandas fruges ab Auſtro emittitur. Inter veſperum, & veſperam, & veſperem hoc intereſt, quia veſperum diei, veſpera inclinatio Solis ad occaſum, veſper uniuſcujuſque rei conſummatio veſpere nuncupatur. Haec ſunt VI. ſpatia noctis, & binas horas obtinent.

De XIV. Luna Paſchali.

LXXII. Si vis ſcire quibus annis noni decimi circuli Martio menſe XIV. Luna Paſchalis incurrat, hoc eſt anno II. V. VII. X. XIII. XVI. & XVIII. Hos ſupraſcriptos VII. in Martio menſe reperies; reſiduos vero XII. ſecundum regulam ſubter adnexam Aprili menſe indubitanter calculabis.

Item de XIV. Luna Paſchali quota Feria ſit.

LXXIII. Incipit calculatio quomodo reperiri poſſit, quota Feria ſingulis annis XIV. Luna Paſchalis, ideſt Decemnovennalis primi circuli. Anno

Anno primo, quia non habet Epactas Lunares pro eo quod cum noni decimi inferioris anni XVIII. & ſuas XI. Epactas * additur etiam Aegyptiis die uno fiant XXX., ideſt Luna menſis unius integra, & nihil remanet de Epactis. Et quia Apr. menſ. incidit in eo anno Luna Paſchalis XIV. tene regulares ſemper in eo menſe XXXV. ſubtrahe XXX. ideſt ipſam Lunam integram, & remanent V. quinto die a Kal. Apr., hoc eſt Non. Apr. occurrit Luna XIV. Paſchalis. Tene ſupraſcriptos, adde concurrentes ejuſdem anni V. fient X., adde & regulares in eodem ſemper menſe Aprilis. VII. fiunt XVII. Hos partire per VII. ideſt bis ſepties, fit XIV. remanent III. Tertia feria incurrit Luna Paſchalis XIV. & Dominicus Feſti Paſchalis dies Luna XIX.

Item praefati circuli anno ſecundo, a quo ſumunt exordium Epacta XI., & incidit in eodem anno Luna Paſchalis XIV. in menſe Martio. Tene XXXVI. regulares ſemper in eo menſe, ſubtrahe Epactas XI., remanent XXV. Viceſimo V. die menſis Martii a Kal. quod eſt VIII. Kal. Apr. occurrit Luna Paſchalis XIV. Tene ſupraſcriptos XXV. adde concurrentes ejuſdem anni V. fiunt XXX., adde ſemper in fine hujus menſis Martii regulares IV. fiunt XXXIV. Hos partire per VII., ideſt ſepties quaterno, fiunt XXVIII., remanent VI.; ſi nihil remanſerit Sabbatum eſt, VII. feria erit XIV. Luna Paſchalis, & Dominicus Feſti Paſchalis dies Luna XV.

Iterum Menſe Aprili ſaepe dicti circuli anno tertio tene ſemper in primis regulares XXXV. ſubtrahe Epactas ejuſdem anni XXII. remanent XIII. tertio decimo die menſis ideſt Id. Apr. occurrit Luna Paſchalis XIV. Tene hos XIII., adde concurrentes ejuſdem anni VI., fiunt XIX. Adde in Apr. menſe ſemper inferius regulares VII., fiunt XXVI. Hos partire per VII. ter ſepties, fiunt XXI., remanent V. ſexta feria erit XIV. Paſchalis, & Dominicus dies Feſti Paſchalis Luna XV. Ita annis ſingulis a primo anno uſque ad XCV. annum calculabis. Si quando menſe Martio XIV. Luna Paſchalis incurrit, XXXVI. regulares in primis teneas. Ex quibus Epactas cujus volueris anni deducas, & concurrentes adjicias, & in finem ſemper IV. regulares augmenta.

April. verò menſ. XXXV. in capite tene, ex quibus deduc ſupra ſcriptas Epactas, & adjectis ejuſdem anni concurrentibus ſuis, & regularibus in finem VII. augmenta. Latinius namque ac brevius omnia argumenta Paſchalia calculabis. Hoc tamen propterea Lectori ſit cognitum, quoties in utroque menſe ſupraſcripto in prima regula

gula contingit, ut deductis Epactis amplius quam XXX. remaneant; demittenda eſſe XXX. Quod ſi unus, aut III., aut amplius ſuperfuerint tot dies ipſius menſis a Kal. ſit Luna Paſchalis XIV. Quando hoc deductis Epactis infra XXX., ut puta XX., ſeu amplius, minuſque remanſerit, idem * tot dies menſis a Kal. occurrit Luna Paſchalis XIV. Si enim deductis Epactis XXX. tantum remanſerint, quod ſemel in XIX. annis accidere manifeſtum eſt, XXX. die a Kal. erit Luna Paſchalis XIV.

Item de Luna Termino Paſchali.

LXXIV. Si vis cognoſcere, quota Luna Feſti Paſchalis occurrat; ſi in Martio menſe Paſcha celebratur, compota menſes a Septembri, fiunt VI. His ſemper adiice regulares II. fiunt VIII. adde & Epactas, ideſt adjectiones Lunares cujus volueris anni, ut puta Indictione III. Epactas XII. qui fiunt XX., & diem menſis, quo Paſcha celebratur, ideſt de Martio menſe dies XXXI., fiunt ſimul dies LI. De his deduc XXX. remanent XXI. vigeſima prima Luna in die Reſurrectionis Domini. Si verò menſe Apr. Paſcha celebratur, computa menſes a Septembri uſque ad Martium fiunt VII. His ſemper adiice regulares II., fiunt IX. adde & Epactas Lunae cujus volueris anni, ut puta Indictione IV. Epactas XXIII., qui fiunt XXXII. & diem menſis Apr., quo Paſcha celebratur adde, ideſt de Aprili dies XIII., qui ſimul fiunt XLV., de his deduc XXX., remanent XV. Quinta Decima Luna eſt in die Reſurrectionis.

De die Septimanae quotus ſit.

LXXV. Sis vis ſapere, quotus dies Septimanae ſit, ſume dies a Januario menſe uſque ad menſem, quem volueris, ut puta uſque ad XXXI. diem menſis Martii, fiunt dies XC. His ſemper adiice I., fiunt XCI., & ſemper adde concurrentes cujus volueris anni, ut puta anni praeſentis Indictione III. concurrentem I. fiunt ſimul XCII. Hos partire per VII. ideſt ſepties X., fiunt LXX. Iterum ſepties III. fiunt XXI., remanent I. ſic quamlibet diem a Kal. Janu. uſque ad trigeſimum primum diem menſis Decembris, quota feria fuerit invenies computando, ut & regularem I., & concurrentes ejuſdem anni, quae a Januario menſe ſemper incipiunt, pariter adſumes.

Si re-

Si requirere volueris, quotus dies Septimanae ſit hodie, quocumque die computare volueris, fac omnes menſes eſſe dier. XXIX., & quicquid ex eis remanſerit XXIX., praetende in manu tua propter compotandum, & quanti dies venerint de menſe tunc tibi praeſenti quando hoc computare volueris, adde & acceſſores Solis anni cujus volueris, & Indictionem anni, quem quaeris, & divide in ſeptimas, & dimitte ex eis quanti fuerint, & quicquid tibi remanſerit, ipſe dies eſt Septimanae, ut puta Indictione prima anno quo fecimus Paſcha VII. Id. Apr., habet Sol adjectiones IV., adde unum Indictionis. His adde I. Kal. Janu. III., & tolle de IX. II. & de X. III. VIII. ergo & VI. quid ſunt niſi XIV. ſi non remanſerit tibi aliquid Sabbatum VI. feria erit Kal. Janu. iſto anno. Si remanſerit I. Dominica, ſi II. ſecunda Feria. Ita in reliquis Feriis obſervandum eſt.

Si noſſe vis Kal. Janu. per ſingulos annos quota Feria intrent, ſume annos ab Incarn. D. N. J. C. DCCCVIII., hos partire per ſeptimam partem, & quartam partem, quam partitus es, adiice ſuper DCCCCIX., fiunt ſimul Mille, & XI. Hos partire per VII., remanent III. tertia Feria erit Kal. Janu., ſi IV. quarta Feria, ſi nihil Sabbatum, ſi I. Dominica.

Si vis ſcire Kal. Menſium qua die intrent, hoc argumento cognoſcitur volventibus annis, hoc modo. Octob. I. literam habet. Novemb. IV. Decemb. VI. Janu. II. Febr. IV. Mart. V. Apr. I. Maj. III. Jun. VI. Jul. I. Aug. IV., Septemb. VII. His ſemper adde Epactam Solis cujuslibet anni, & deinceps partire per VII. ſepties I., aut ſepties II., ſicque calculationis ſeriem ſine ullo errore reperies, excepto in biſſextili anno. In his V. menſibus vacat, hoc eſt Octob., Novemb., Decemb., Janu., Febr., deinde in ſupradicto numero decidit.

Si vis agnoſcere, quota Feria ſit Septimanae cujuslibet menſis, computa hoc modo. Octob. III. Novemb. II. Decemb. III., ut qui XXXI. diem habent III. adſumas de eo menſe, & qui XXX., de eo menſe ſemper adſumas II., & diem menſis quo requiris; deinde partire per VI., & quicquid remanſerit in manu tua, adjectis acceſſoribus Solis, quae eo anno eveniunt, ipſa eſt Feria cujuslibet anni. Febr. autem menſe praetermittas, quia imperfectum numerum habet, niſi tantum dies ipſius menſis, quando intrat, uſquequo exeat.

Digitized by Google

De Luna in Kal. Jan. & XI. Kal. Apr.

LXXVI. Si vis agnoſcere, quota Luna ſit in XI. Kal. Apr., ſume annos Domini, qui fuerint eodem anno, quoſque computare volueris, deinde partire per XIX. partem, & quicquid remanſerit ex eis in manu tua, rurſum ipſas multiplica per XI., ac deinde partire per XXX. partem, & quicquid remanſerit de eodem compoto, tota Luna erit in XI. Kal. Apr. eo anno. Si requirere volueris a Septembri in Decembrem in his IV. menſibus III. regulares adjicies. In biſſexto autem ſolummodo anno II. regulares ſemper in menſe numerabis, & pro XXX. die XXXII. annis ſingulis, & menſ. adſumes in fine.

Si vis ſapere, quota Luna fuerit menſe, quo volueris, ut puta anno, quo facimus Paſcha III. Id. Apr. fuit V. G. IX. menſe poſt iſtud Paſcha. Computa Lunam ejus tali modo. Tolle de Septemb. I. ideſt pro eo uno pones de Octob. I. Mitte II. regulares, fiunt ſimul IV., pone & dies menſis, qui tranſierunt de eo, quem computas, ut puta modo hodie quando hoc compotavi XXIII., vel qualiter evenerit, mitte & adjectiones Lunae XXII., adde VII., fiunt ſimul dies LII. Tolle de his XXX., remanent XXII. hodie quando hoc compotavi, XXII. Luna eſt Menſis Novembris. Tali ordine Lunae aetatem omni die menſium invenire facile poteris, ſi ſic ſemper compotaveris.

Si vis noſſe quota Luna ſit Kal. Janu. ſcito quotus Cyclus Lunaris ſit. V. G. Cyclus XV. Tene tibi I., ideſt ipſas Kal. Janu. adjice quinquies decies quinquies, fiunt LXXV., quos adjicies ſuper I., & fiunt ſimul LXXVI. Item decies ſexies quindecies faciunt XC. quos adjicies ſuper LXXVI., & fit ſumma numerorum CLXVI. in quibus partitis per XXX. remanent XVI. ſexta decima Luna erit Kal. Janu., & puncti XVI. Iſto modo per Decemnovennalem Cyclum Lunares computabiles ſemper, & Kal. Janu. quota ſit Luna ſine errore reperies. Dum autem veneris ad ſeptimum decimum Cyclum Lunarem, & dixeris quinquies decies ſepties ſuper Kal. Janu., qui faciunt LXXXV. ſi partiris ſexageſimam, & adjicies ſuper LXXXV. ipſum I. fiunt LXXXVI. Deinde decies ſexies decies ſepties fiunt CII., quos adjicies ſuper LXXXVII., & fiunt CLXXXIX. ibi triceſim. remanent IX. nona Luna eſt Kal. Janu., & puncti XXVII. Sic & XVIII. & XIX. Cyclo facies. A primo vero Cyclo Lunari uſque XVI. non partire LX. partem, ne in errorem incidas.

Digitized by Google

Item aliud compendioſum nuper inventum. Scito quotus Lunaris Cyclus ſit. V. G. praeſenti anno III. multiplica hoc per XI. undecies III. fit XXXIII. Divide per XXX. remanent III. adde & primum diem Kal. Janu. fiunt IV. quanta Luna erit in Kal. Janu. praeſente anno, ſicque per XIX. annos Cycli Lunaris facile poteris invenire, ut ſcias quotus Cyclus Lunae ſit abſque eo dividente per XIX., atque eis iterum multiplicatis per XI. Iterum partiris per XXX., & ex eis quicquid remanſerit addito etiam uno Kal. Janu. tota Luna erit in Kal. Janu. Hoc autem firmiſſime memento, ut quotiens ad IX. cyclum Lunarem perveneris deinde ſumas & aliud I. uſque ad primum Cyclum, & abſque titubatione reperies, quota Luna ſit Kal. Janu.

De qua re juxta Aegyptiorum argumenta veracia talis ſupputationis probantur adhibuiſſe compendium. Ponunt in primis Epactas, ideſt adjectiones Lunares, quae per hanc Indictionem IV. XXIII. ſunt. In his adjiciunt IV. ideſt medietatem numeri VIII. menſium, a Septembri ſcil. uſque ad Apr. fiunt XXVII. Super hos addunt & quota die menſis Paſcha contingat, ideſt a Kal. Maj. dies XIX., & quia V. dies Aegyptii praeire noſcuntur, fiunt ſimul XXIV., & ita LI. omnis ſumma colligitur. Ex his ſubtrahunt XXX., remanent XXI. ipſe eſt numerus Lunae Paſchalis. Haec autem verae rationes expliciunt. Deo gratias. Amen.

De annis a Principio Mundi.

A principio mundi uſque ad diluvium anni ĪĪCCXLV. Item a diluvio uſque ad Nativitatem Abrahae anni CMXLII. Natum autem XLIII. Abraham regnante jam Nino eadem monumenta teſtantur, a cujus tempore etiam geſtarum rerum publici ſcriptores apud barbaros eſſe coeperunt, anni IIIDCLXXXVIII. V. feria IX. Kal. Apr. Luna XIII. incipiente jam veſpera doceantur impleti, cujus ſequenti die tertio milleſimo ſcilicet anno ac ſexcenteſimo nonageſimo procedente menſe primo VIII. Kal. Apr. Luna XIV. noctis initio Hebraeos claruit agni ſacrificium peregiſſe: Paſſum autem D. N. J. C. peractis * ĪĪCCXXVIII. annis ab ortu mundi, quod geſtum eſt incohante XXIX. anno non poteſt dubitari VI. Feria ideſt VIII. Kal. Apr. crucifixus eſt, & ſepultus. Tertia autem die, hoc eſt VI. Kal. Apr. Dominica reſurrexit a mortuis. Per CD. & XXX. annos cum Conſulibus, ac deinceps ſine Conſulibus per annos C. & II. futuros ut DXXXII. annorum omnis ſumma conſtat.

LXXVII.

Digitized by Google

Item de annis a Principio Mundi.

LXXVIII. A principio mundi uſque ad diluvium anni ĪICCXLV. A diluvio autem uſque ad Abraham anni DCCCCXLII. Ab Abraham verò uſque ad egreſſionem filiorum Iſrahel ex Aegypto uſque ad aedificationem templi Salomonis anni CDLXXXI. Ab aedificatione ergo templi uſque ad diſſolutionem ejus, & tranſmigrationem in Babyloniam anni CCCXC. A tranſmigratione igitur Babyloniae uſque ad Paſſionem Domini anni DCLIX. a paſſione uſque ad tranſitum S. Martini anni CCCCXII. A tranſitu S. Martini uſque ad tranſitum Chlodovaei Regis anni CXLI. A tranſitu Chlodovaei uſque ad tranſitum Theodoberti anni XXX. A tranſitu Theodoberti uſque ad tranſitum Sigiberti anni XXIX. Ab initio mundi uſque ad Regnum Theodorici ſunt anni VDCLX.

De numero annorum ab origine Mundi uſque ad adventum Domini.

LXXIX. Anni ergo ſunt ab origine mundi uſque ad Nativitatem Chriſti, ſicut in Oroſio legitur, V̄CXCVIIII. Hinc ipſe dixit ab orbe condito uſque ad Urbem conditam anni ſunt ĪV̄CDLXXXIV. Ab urbe autem condita uſque ad Nativitatem Chriſti anni ſunt DCCXV. Colliguntur ergo anni ab origine mundi uſque ad adventum D. N. J. C. V̄CXCIX.

De annis ab origine Mundi, vel Incarnatione:

LXXX. Ab Incarnatione autem D. N. J. C. uſque ad praeſentem annum, ſicut in omnibus Cyclis, qui rectè ſcripti ſunt, & ſicut per argumenta oſtenditur, anni ſunt DCCLXXXIV. Sed tamen ſecundum Lunam Nonageſimus caepit annus a XVI. Kal. Maj. ſimul autem anni ſunt ab origine mundi uſque in praeſentem annum V̄CMLXXXIX. In chronicis legitur. Anni autem ab origine Mundi uſque ad praedicationem D. N. J. C. quae facta eſt XV. anno Tiberii Caeſaris, & uſque ad Baptiſmum Domini. V̄CCXXVIII. Item Oroſius dicit: Sunt autem ab Adam primo homine uſque ad Ninum magnum, ut dicunt, primum regem Perſarum, quando natus eſt Abraham anni MMMCLXXXIV. qui ab omnibus Hiſtoriographis vel omiſſi, vel ignorati ſunt. A Nino autem vel Abraham uſque

uſque ad Caeſarem Auguſtum, ideſt uſque ad Nativitatem Chriſti, quae fuit anno Imperii Caeſaris XLII. cùm facta bella toto orbe ceſſarunt, colliguntur anni II. mil. XV. Fiunt ſimul VCXCIX. Item in Chronicis legitur ſecundum Euſebium, & Hieronymum, & Proſperum ab Adam uſque ad diluvium anni ſunt IICCXLII. ab Abraham uſque a Moyſen, & egreſſum Iſrahel ex Aegypto computantur DV. a Moyſe uſque ad Salomonem, & primam aedificationem Templi ſunt anni CDLXXIX. A Salomone uſque ad inſtaurationem Templi, quae ſub Dario Perſarum Rege facta eſt colliguntur anni DXII. Porro a Dario uſque ad praedicationem D. N. J. C. & uſque ad XV. annum Tiberii Caeſaris Principis Romanorum explentur anni DXLVII. Omnes autem anni uſque ad praedicationem D. N. J. C. VCCXXV. Iſidorus autem dicit: Ceſſante regno ac Sacerdotio Judaeorum D. N. J. C. ex Virgine naſcitur anno XLII. regni Caeſaris Auguſti XV. annis de regno ejus adhuc reſtantibus. regnavit autem annis LVI. Poſt illum regnavit Tiberius Caeſar XXIII. annis; XV. autem anno regni Tiberii Dominus crucifixus eſt, peractis annis a principio mundi VCCXXVIII. Hunc eumdem numerum Victorius confirmat dicens: Paſſum ergo D. N. J. C. & reliqua.

IIICLXXXVII. IIIDXCII. IVCLXXI. IVDCLXXXIII. VCCXXX.

Incipit de mundi principio.

Quomodo factus eſt mundus, initio creaturarum Dei &c. *Reliqua omittuntur, quòd eadem infra Cap. CXXXXVIII. habeantur.* LXXXI.

Item de mundi principio.

Interrogatio de mundi principio, quomodo factus ſit initio creaturarum Dei? in quo die? & in diebus ſeptimanae? & in quo anno? & in quo tempore? Si in die anni? in nocte? & in qua hora? interrogamus. In aequinoctio autem & in die Dominico, & in communi anno ſecundo, & in Ogdoade, & in prima hora creatus eſt, & in momento oculi omnia ſimul creata ſunt a Deo. Latini namque aequinoctium VIII. Kal. Apr. facere volunt, ſed hoc S. Synodus minime permiſit propter illos III. dies, ideſt V. feriam, quando D. N. J. C. tentus eſt, & ſextam feriam quando crucifixus eſt, & ſeptimam feriam, quando in ſepulcro quievit, quos foras limitum etiam tanto minimè abjiciendos putavit, & ideo in ipſo S. Concilio ſtatutum eſt, ut aequinoctium ab XI. Kal. Apr. computetur. LXXXII.

De annis ab Incarnatione Mundi.

LXXXIII. Si vis ſcire, quotus ſit annus ab Incarnatione Mundi, compota CCCXCI. per XV., fiunt V̄DCCCLXV. His ſemper adde XXXIII. regulares, anni fiunt V̄DCCCCIII. Iſti ſunt anni ab initio mundi, anni ſcilicet ab Incarnatione Domini DCCIII. memor eſto in XV. Indictione ſupradictam regulam obſervare.

Si vis ſcire, quota ſit Indictio, ſume annos a mundi initio, ut puta V̄DCCCCIII. His ſemper adde VII. regulares, fiunt V̄DCCCCXI. Partire per XV. quindecies CCCIV̄D. remanent MCCCXI. quindecies LX. DCCCC. remanent DXI. quindecies XXX. CDL. remanent LXI., quindecies III. LX. remanet I. prima indictio. Si nihil remanſerit, decima quinta Indictio eſt.

Si vis ſcire, quotus ſit annus Solaris circuli, & quot vicibus in ſe revolutus ſit: ſume annos ab initio Mundi, ut VDCCCCIII. Partire hos per XXVIII. vicies octies CCX. V̄DCCCCLXXX. remanent XXXIV. viceſimus annus quartus annus eſt Solaris circuli.

Si vis ſcire concurrentes ſeptimanae dies, tene ſupraſcriptum numerum XXIV. tolle ſemper unum, remanent XXIII. Adde quartam partem, fit XXVIII. & partire per VII. partem, ideſt IV. ſeptem, fit XXVIII. nihil remanet, Sabbatum eſt. in IX. Kal. Apr. quicquid ſupra VII. remanſerit, tota feria erit.

De prima Luna primi menſis monſtranda.

LXXXIV. Si vis agnoſcere, quomodo initium primi menſis, hoc eſt prima Luna invenitur: Scito eodem anno quolibet, & quot Epactae ſunt in Kal. Janu., & quota Luna fuerit, tot dies in Martio menſe a fine retro ſubtrahe, & ubi deveneris, ibi initium primi menſis invenies, exceptis tribus emboliſmis, ideſt noviſſimo Emboliſmo Ogdoadis, & primo Endecadis, & noviſſimo. In noviſſimo enim Emboliſmo Ogdoadis initium primi menſis in Non. Apr. invenitur. In primo autem Emboliſmo Endecadis in IV. Non. Apr. invenitur prima Luna primi menſis. In ultimo vero Emboliſmo Endecadis in III. Non. Apr. initium primi menſis invenitur.

De

De Biſſexto monſtrando per Cyclum Solarem.

Si vis ſcire de Biſſexto, tene annos Solaris Cycli quotcunque LXXXV. fuerint in praeſenti quolibet anno. V. G. XIV. anno Cycli Solaris; dimitte ſemper unum; remanent XIII. Partire per IV. partes. dimitte XII. quater quaternos, remanet unum; primus annus eſt praeparationis Biſſexti. Si nihil remanſerit, Biſſextus erit.

Item argumenta de concurrentibus monſtrandis.

Si vis ſcire adjeſtiones Solis, ideſt concurrentes ſeptimanae dies LXXXVI. IX. Kal. Apr. ſume annos ab Incarnatione Domini, quicumque fuerint. V. G. DCCCX. Hos divide per quatuor partes, & annorum qui fuerint quartam partem ſemper adjice biſſextilem diem quarto ſemper anno invent. * hic addit. In CD. ergo annis biſſextiles dies ſunt C. in CC. dies L. biſſextiles. Item in CLX. annis, hoc eſt in duobus octogenis XL. dies. Biſſexti XXVIII. annis VII. ſunt. ſimul autem in DCCCX. annis biſſextiles dies ſunt CCIV. Quod adjicit Dionyſius ſuper annos Domini, peractis V̄CCXXVIII. annis ab ortu mundi eadem Chronicorum relatione monſtratur. Item in Chronicis legitur. Omnes anni ab origine Mundi uſque ad praedicationem D. N. J. C., quae facta eſt XV. anno Tiberii Caeſaris, & uſque ad Baptiſmum Domini V̄CCXXVIII., uſque ad annum autem praeſentem V̄IXXXVIII.

Ad ann. praeparationem biſſexti ab origine Mundi.

Si vis ſcire iterum, biſſextilis annus num ſit, an etiam annus LXXXVII praeparationis biſſexti: ſume annos ab initio mundi uſque ad praeſentem annum V. G. V̄DCCCCLXXXIX. Hos divide per quatuor. dimitte per quatuor Mille, quae quatuor partes aequales ſunt, & poſtea dimitte MDC. quia quatuorcenti ſunt IV. vicibus remanent CCCLXXXIX. dimitte CCCXX. quia quatuor octogeni ſunt; remanent LXIX. dimitte XL., quia quatuordeni ſunt; remanent XXXIX. dimitte XXVIII., quia quatuor ſeptem ſunt; remanet unus. Primus annus eſt praeparationis biſſexti. Si autem duo remanent, ſecundus annus praeparationis biſſexti. Si tres, tertius. Si autem totum numerum annorum ab origine mundi per IV. partes aequales partitus fueris, biſſextilis annus erit.

Digitized by Google

De Concurrentibus monſtrandis per annos ab origine Mundi.

LXXXVIII. Si vis ſcire, quot concurrentes ſunt in unoquoque anno praeſenti, ſume annos ab initio Mundi V. G. $\overline{V}$DCCCCLXXXIX. Hos divide per IV. partes hoc eſt MCDXCVII. quatuor vicibus; & quartam partem, quam partitus fueris, hoc eſt MCCCCXCVII. mitte ſuper $\overline{V}$DCCCCLXXXIX. fiunt ſimul $\overline{VII}$CDLXXXVI. Hos divide per VII. partes, quia diem ſeptimanae quaeris; dimitte $\overline{VII}$., quia ſeptem partes aequales ſunt, hoc eſt MVII., remanent CDLXXXVI. dimitte VII. vicenos, remanent LVI. dimitte LXIII. quia IX. ſeptem ſunt, remanent III. Tres concurrentes ſunt anno praeſenti, ſicque per alios annos hoc argumento concurrentes invenies, totum numerum annorum ab initio mundi uſque in praeſentem annum colliges, & quartam partem ſuperaddendo per VII. divides. quotus numerus remanſerit, tot concurrentes erunt in praeſente quolibet anno. Si autem totum numerum per VII. partitus fueris, VII. concurrentes erunt in illo anno, & IX. Kal. Apr. ſabbato erunt in illo anno.

De diviſionibus temporum.

LXXXIX. Diviſiones temporum XVI. ſunt. Ideſt Atomus, momentum, minutum, punctum, hora, quadrans, dies, Hebdomada, menſis, tempus, annus, Cyclus, viciſſitudo triformis, ſaeculum, aetas, Mundum. Atomus nomen Graecum eſt, quod interpretatur indiviſibilis, nam atomon apud Graecos indiviſum, vel indiviſibile interpretatur. Omne enim quod in mundo eſt ſive corporale, ſeu incorporale,
1. quod dividi, ac partiri non poteſt, atomus eſt. ſicut ait Iſidorus: Atomos Philoſophi dicunt quaſdam partes in mundo minutiſſimas, ut viſui non pateant, nec ſectionem recipiant. Huc illucque feruntur ſicut minutiſſimi pulveres, qui effuſi per tenebras Solis radiis videntur. Atomorum genera quinque ſunt, ideſt atomus in re, atomus in corpore, atomus in oratione, atomus in numero, atomus in tempore. In re ſicuti praedicti pulveres. In corpore veluti cum partiris quamlibet partem lapidis in mille particulas, milleſima pars quae partiri, vel dividi non poteſt, atomus in corpore dicitur, ideſt indiviſibilis. Atomus in oratione, ſicuti oratio in verſus, in partes, in ſyllabas dividitur, ita ſyllaba in literas, litera autem dividi, vel ſolvi

Digitized by Google

ſolvi non poteſt, ideoque atomus a Latinis Philoſophis dicta eſt. Atomus in numero ſicuti ſolvitur millias in mille, mille in centum, centum in XX. XX. in X. X. in V. V. in II. II. in unum, unum verò quod dividi, aut ſolvi non poteſt, atomus in numero dicitur. Atomus in tempore, ſicuti ſolvitur ſaeculum in aetates, aetas in annos, annus in menſes, menſis in Hebdomadas, hebdomada in dies, dies in quadrantes, quadrans in horas, hora in punctos, punctus in minuta, minutum in momenta, momentum in atomos XVI. XVI. pars, quae dividi non poteſt, atomus dicitur, ideſt indiviſibilis. Sed de hoc Philoſophi mundum factum eſſe dicunt.

Item de Atomis in primo momento.

Si vis ſcire, quot atomi ſint in uno momento, divide unum momentum in XII. partes, & unamquamque partem in XLVII., quia XLVII. pars XII. partes momenti atomus eſt in tempore XLVII. duodecies multiplicati fiunt DLXIV. tot atomi ſunt in uno momento. Momenta autem ſunt in uno die CDLXXX. XC.

Si vis ſcire, quot atomi ſunt in una hora, duc DLXIV. quadragies, fiunt $\overline{\text{XXII}}$DLXIV. Item ſi ſcire volueris, quot atomi ſunt in uno die naturali, qui habet XXIV. horas, multiplica ſupradictum numerum atomorum unius horae, qui ſunt $\overline{\text{XXII}}$DLXIV. Hos ergo multiplica vicies quater XXIV., fiunt ſimul $\overline{\text{DXLI}}$CDXL. Tot atomi ſunt in uno die. Tu nobis Lector ignoſcas, quia haec calculandi & litteriolo * doxibus.

De horis in hanno quot ſunt.

Si vis ſcire, quot horae ſunt in anno, multiplica vicies quater CCCLXV. CCCXX. quater multiplicati fiunt $\overline{\text{VII}}$CC. Item LX. vicies quater ducti MCDXL. fiunt. Simul autem & praedictus numerus $\overline{\text{VIII}}$DCXL. fiunt. Item V. vicies quater, vel XXIV. quinquies ducti CXX. ſunt. hos mitte ſupra numerum ſupradictum, fiunt ſimul $\overline{\text{VIII}}$DCCLX. Tot horae ſunt in anno. Propterea autem CCCLXV. vicies quater multiplicari diximus; quia XXIV. horae ſunt in uno die naturali, ideſt inter diem & noctem. Per hunc ergo numerum horarum unius diei naturalis, hoc eſt XXIV. omnes dies totius anni, qui ſunt CCCLXV. multiplicati vel XXIV. vicies tre- XCI.

centies ſexagies quinquies VIIIDCCLX. horas efficiunt. In biſſextili autem anno VIIIDCCLXXXIV. horae ſunt.

Item de horis & momentis quot ſunt in primo anno.

XCII. Primus annus in VII. dividitur partes, & VII. partes LII. dies, & noctes, & VII. LII. dies, & noctes CCLXXXVIII. horae. alii XII. dies & noctes ſimiliter CCLXXXVIII. horae. Junge duo. Summa facit DLXXVI. horas LII. LII. LII. Adde alios XX. dies & noctes, faciunt MCLII. ſupra IV. LII. LII. LII. dies & noctes LX. LVI. faciunt. Et ita in iſta prima parte M. in CIL. LIII. invenies, & in ſecunda ſimiliter, & in tertia eodem numero, & in CCCLX. quarta aequali, & quinta aequali ſimili, & in ſexta non impari, & in ſeptima in quinque dies quoque numerabis eumdem numerum, & ſuperfluus dies, & nox, & quadrans XXVII. horas horas habet, & totus numerus horarum, dierum & noctium anni ſepties ſupputatus VIIIDCCLXIII. horae. Momentorum numerus dierum, ac noctium anni incipit hora XL. momenta habet. IV. horae CLX. Junge. Summa facit CDLXXX. momenta. Nox ſimiliter XII. & facit eumdem numerum CDLXXX. Junge diem, & noctem CMLX. XXV. dies, & noctes XXIV. momentorum. Alii XXV. dies & noctes XXIV. momentorum. Nullus ambigat. Summa L. dierum, & noctium XLVIII. duos dies, & noctes, qui reliqui ſunt. MM. ſi adjiciantur duae horae, ideſt LXXX. momenta duobus ipſis diebus de LIII. die, & de eodem ſupradicto die ſuperſunt CCCLXXX. momenta, & pars ſecunda, ideſt LII. dies & noctes. L., & adjiciuntur duae horae de eodem die ſupradicto, & ſuperſunt die illo a CCC. momenta. Et tertia pars ſimiliter L., & adjiciuntur duae horae de ſupradicto, & ſuperſunt a CCXX. momenta. Et quarta ſimili modo L. & duae horae adjiciuntur de eodem die, & ſuperſunt a CXL. momenta. Et quinta pars pari modo L., & duae horae adjiciuntur de eodem die, & ſuperſunt a LX. momenta. Et ſexta pars aequaliter L., & duae horae adjiciuntur de eodem die, & ſuperſunt a CDLXXX. Et VII. pars ſimiliter L. momenta, & duae horae adjiciuntur de eodem die ſingulis partibus, ut ſupra, & ſuperſunt CD. momenta, & quadrans ſupputatur, ideſt III. horae, & facit CXX. momenta, & ut breviter dicam: Annus CCCLXV. dies, & quadrans habet horas VIIIDCCLIII. momenta habet CCCL. & XL.

De Punctis in anno.

Si noſſe deſideras, quot puncti ſunt in anno, duc quater illum XCIII.
numerum horarum, quem diximus, hoc eſt $\overline{\text{VIII}}$DCCLX. Si ergo $\overline{\text{VIII}}$. per IV. multiplicati fuerint, XXXII. ſunt. DCC. autem quater ducti $\overline{\text{II}}$DCCC. ſunt. Simul autem $\overline{\text{XXXIV}}$DCCC. fiunt. Item LX. quater multiplicati. CCXL. ſunt. Mitte ſimul ad ſupradictum numerum, fiunt $\overline{\text{XXXV}}$XL. Tot puncti ſunt in anno. Ideo autem diximus numerum horarum totius anni, hoc eſt $\overline{\text{VIII}}$DCCLX. per IV. multiplicari, quia IV. puncti unam horam in Sole perficiunt. In anno autem biſſextili puncti ſunt $\overline{\text{XXXV}}$CXXXVI.

De minutis in anno.

Si vis ſcire, quot minuta ſint in anno, multiplicabis nume- XCIV.
rum ſupradictum punctorum, ideſt $\overline{\text{XXXV}}$XL., qui multiplicati bis, fiunt $\overline{\text{LXX}}$LXXX. Adde dimidiam partem punctorum ſupradictorum, hoc eſt $\overline{\text{XVII}}$DXL. ſimul autem fiunt $\overline{\text{LXXXVII}}$DCXX. Tot minuta ſunt in anno. In biſſextili autem anno minuta ſunt $\overline{\text{LXXXVII}}$DCLXXX. Id autem totum numerum punctorum bis multiplicari diximus, & dimidiam partem addi, quia duo minuta, & dimidium unum punctum faciunt.

De momentis in anno.

Si vis ſcire, quot momenta ſunt in anno, multiplica quater XCV.
ſupradictum numerum minutorum, hoc eſt $\overline{\text{LXXXVII}}$DCXX. qui numerus quater ductus $\overline{\text{CCCLII}}$CDLXXX. facit. Tot momenta ſunt in anno. In biſſextili autem anno ſunt mom. $\overline{\text{CCCLII}}$DXL. Ideo autem numerum momentorum per IV. vices multiplicari diximus, quia IV. momenta unum minutum efficiunt.

Item de Momentis.

Momentum minutum atque anguſtiſſimum tempus a motu ſi- XCVI.
derum dictum. eſt enim extremitas horae in brevibus intervallis, cum Sol aliquid ſibi cedit, atque ſuccedit. Item momentum quaſi motum mentis eſt; ſcit enim mens noſtra mutatam eſſe creaturam.

Digitized by Google

Tunc enim mutatur mens in ſcientia mutatae creaturae. Momentorum genera VI. ſunt. In Sole, id eſt de eo quod Sol * hora orbis ſui ſuperiore oſtendit, quouſque inferiora * horam ibidem poſuerit. Ideſt dum ſe totum * momenta erit mora temporis, qui ibidem eſſe videtur certus lectus ſolis eſt in coelo. In mente momentum dicimus, cum per aliquid offendiculum, ſeu quodlibet detrimentum mens humana mutatur. Nam poſtquam protoplaſtus noſter patrato delicto vidit omnia elementa ex vi peccati mutaſſe virtutem, tunc repente propter detrimentum creaturae mens ejus de ſublimi culmine Beatitudinis, & incorruptae laetitiae tramite in mortalem moeſtitiam mutata eſt. Et inde primum momentum dierum, & motus ſcilicet mentis. In tempore momentum dicitur, cum tempus a ſerenitate in nubilum, a tranquillitate in tempeſtatem mutatur. Momentum in coelo cum ſphaera ſuperior coeli ab occaſu ad ortum convertitur, vel mutatur. Momentum dicitur in volucri, dum quilibet ales quantocumque tempore quietis pinnis volatum duxerit uſquequo alas concitans mutaverit tempus, quod in hac tranſigitur, aut Gallus cum plauſu alarum praeſagio lucem indicat, uſque dum in cantu vocis duxerit moram temporis in medio poſitam. Momentum in homine dicitur, cum quislibet obtutum immotis palpebris ſuſpenderit; ac momentum in oculo dicitur, de quo Philoſophi dicunt, quia facta ſunt omnia in momento, vel ictu oculi. In rota * commutatur de cantu; in cantu momentum dicitur, quod eſt unus paſſus. Eſt praeterea momentum magnum, quod eſt motus coeli ab Occaſu in meridiem. Momentum malus motus ſuperioris ſperae ab occaſu in orientem, quod eſt ſpatium XII. horarum. Momentum maximum coeli per duas Hemiſperias motus naturalis ab Oriente in orientem, aut ab Occaſu in occaſum, quod tenet ſpatium XXIV. horarum, & ab aliis amplum momentum nuncupatur. Sophonias Propheta minutum ex minutis elementis dictum, cujus viſus tactuſque acuitur. Iterum: minutum velut minus momentum, quia minus numerant id, quod majus implet. Punctum pungendo aciem oculorum dictum, tunc enim poſt hyemem, & brumalis frigoris caliginem adjunctis XI. momentis ab acie Solis de luminis gratia oculos obtenſos tranſactis frigoris nebulis acies Solaris, quaſi pungere, ſeu rutilare humanus viſus videtur, & inde illud ſpatium temporis punctum nominatur. Aliter Iſidorus dicit: Punctum opus illorum, qui horologia faciunt, nam in fine XII. Lunarum ponebant: de hac hora eſt finis temporis. Sic horae ſunt fines Maris, fluvio-

fluviorum, veſtimentorumque, ſed hora finium per O. hora dierum per H. ſcribendum. Item hora dicta eſt quaſi hora, eoquod temperat articulos diei. Horam autem maris, & horas veſtimentorum dicimus. Hoc nomen Graecum eſt, quod Latinè dicitur ſpecies vel pulchritudo, filiae enim Jovis X. horae apud Homerum dictae ſunt, ideſt X. pulchritudines.

De Quadrante.

Quadrans dicitur eo quod quarta parte unciae appendit. Apud enim Geometras quarta pars uniuſcujuſque rei quadrans dicebatur. Quarta pars diei dicitur. Item in Scripturis divinis quarta pars actus humani quadrans dicitur; actus enim hominis quatuor modis probatur conſiſtere, ſive in bono, ſive in malo. Idem opere, conſenſu, & cogitatione. Ut in Evangelio legitur: *Non exiet inde, donec reddat noviſſimum quadrantem*, ideſt ultimam culpae cogitationem. Et quadrans temporis dicitur quarta pars anni, ſicut legitur de Antichriſto tribus annis, & duobus quadrantibus decepturum eſſe mundum, & iluſurum gentibus tribus annis, & ſex menſibus. Item Theophilus dicit: *Quadrans dictus eſt a quadrata figura, quae in ſua ſoliditate conſiſtit*. Sublata enim quarta parte cujuslibet rei, trina figura remanet. De qua apertius dicit: *Quadrans dicitur, eo quod quartam partem diei ſuſpendit, quem Hebraei quadrantem, Graeci dodrantem, Latini quadrantem vocant*. Quadrans ſine N. ſcribi deberet, ſicut gigas non gigans, ita quadras non quadrans; lex enim literaturae eſt * in gentem a nominativo creſcat amplius literis, vel ſyllabis. Hieronymus dicit: *Non ut imperiti gigans gigatis, ſed ut gigaphi * gigantes, ita & quadras quadrantis*. XCVII.

De Septimanis in toto anni Circulo.

Si vis ſcire, quot Septimanae ſunt in anno, duc quater XII. fiunt XLVIII. Tot ſeptimanae ſunt in XII. menſibus, ideſt IV. ſeptimanae uniuſcujuſque menſis, illi autem reſidui dies, qui ſuperſunt, ideſt a quatuor tricenis, & XXII. a VII. menſibus, qui XXXI. dies habent, ſimul fiunt XXIX. hoc eſt quatuor ſeptimanae, & unus dies. Quandocumque autem biſſextus fuerit, tunc annus habet LII. ſeptimanas, & dies II. XCVIII

De

De Concurrentibus Solis per totum annum.

XCIX. Si vis ſcire a die datarum per totum annum V. G. IX. Kal. Apr. ubi diſcurrunt Concurrentes Solis quali feria erunt in centeſimo anno, ſic inveſtigare debes. Qualiſcumque feria fuerit in IX. Kal. Apr. in praeſenti anno, computa VI. dies ſeptimanae ſequentes illam feriam, & ille ſextus dies qui tibi occurrerit, ſcias eumdem futurum eſſe in illo die datarum centeſimo anno. V. G. iſto anno praeſenti IX. Kal. Apr. tertia feria fuit. Sume VI. dies ſequentes, ideſt quartam, quintam, ſextam, ſeptimam, primam, & ſecundam feriam, haecque ipſa ſecunda feria ſex dies occurrit poſt tertiam feriam in illa ſecunda feria erunt IX. Kal. Apr. centeſimo anno, quia qualiſcumqne feria fuerit in qualibet die datarum in praeſenti anno ſupra diximus IX. Kal. Apr. III. concurrentes, quia III. feria fuit IX. Kal. Apr. anno praeſenti; ſic erit poſt XXVIII. annos III. feria erit VIII. Kal. Apr., ideſt III. concurrentes. Sed poſt LVI. annos VII. incipiente III. feria erunt IX. Kal. Apr. Et ita poſt LXXXIV. quinto anno incipiente III. feria erit, & III. concurrentes, ideſt primus annus praeparationis biſſexti. Remanent tibi XVI. anni de centum annis. Curre ergo per ordinem recurrentium, ideſt IV. V. VI. cum biſ. I. II. III. V. cum biſ. VI. VII. I. II. cum biſ. IV. V. VI. I. cum biſ. ſecunda feria erit ille centeſimus annus. In illo erunt VIII. Kal. Apr. ideſt II. concurrentes centeſimo anno. Sic & alios dies quoslibet datarum per totum annum inveſtigare debes, quali feria erunt uſque ad centeſimum annum. Qualiſcumque enim tibi feria praeſens erit in illa feria praecedenti hoc eſt heri. V. G. ut in ſexto die ſeptimanae, quae ſequitur, eadem feria erit. In eodem die datarum erit in centeſimo anno, & in qualicumque ordine fuerit illa feria, in illo anno concurrentes, ideſt * ſive cum biſ. ſive primus, aut ſecundus, vel tertius annus poſt biſſextum in illo ipſo ordine erit illa feria, aut concurrentes in centeſimo anno.

De Partibus Lunaribus in XI. Kal. Apr.

C. Si noſſe deſideras partes Lunares a praeſenti qualibet die uſque ad C. annum, ita obſervare debes. Qualiſcumque Epacta fuerit in praeſenti quolibet die datarum per totum annum V. G. XI. Kal. Apr.

Apr. XX. Epacta fuerit anno praeſenti. Collige XI. undecies Epactas per V. annos ſequentes, quae ſunt LV. Si autem ſaltus fuerit, erunt LVI. Mitte ſimul & Epactam praeſentis anni, ideſt XX. fiunt LXXV. Dimitte LX. remanent XV. Decima quinta Epacta erit in V. anno poſt praeſentem annum haec etiam Epacta erit, & in anno centeſimo, quia qualiſcumque Epacta fuerit in praeſenti quolibet anno V. G. ſicut diximus XI. Kal. Apr. XX. eadem erit, & in anno vigeſimo, ideſt vigeſima Epacta, & ita in trigeſimo octavo anno XX. erit, & in ſeptuageſimo ſexto anno XX. erit, & in XCV. anno XX. erit. Remanent tibi V. anni de C. Curre per ordinem Epactarum prima XII. XXIII. IV. XV. haecque in centeſimo anno XV. Epacta erit, ſicut etiam diximus. In quinto anno futuro XV. erit, hoc eſt quartum. Fiunt ergo ſimul DCCCCLXXXVI. His ergo adde III. Regulares, quia in anno Incarnationis Chriſti VIII. Kal. Apr. IV. Feria fecerunt. Quatuor ergo additis ad ſupradictum numerum fiunt DCCCCXC. Hos divide per VII. dimitte DCC. centies ſepteni ſunt. Remanent CCXC. dimitte CCXIV. viceni ſunt, hoc eſt bis VII. viceni, qui habent XLVII. remanent X. dimitte ſeptenos, remanent III. Tres concurrentes ſunt anno praeſente IX. Kal. Apr. tertia feria fuerunt. Hoc argumento etiam oſtenditur, quota feria ſit in Kal. Janu. in unoquoque anno praeſente, uno tantum regulari dimiſſo, ſicut bonus Sanctus Primicerius oſtendit.

De Concurrentibus monſtrandis.

Si vis ſcire Concurrentes ſeptimanae dies in IX. Kal. Apr. ſcies CL. quotus annus ſit Cycli Solaris V. G. XIV. adde ſemper quartam partem, hoc eſt modo III. fiunt ſimul XVII. divide per VII. dimitte XIV., quia bis ſepteni ſunt, remanent III. tres concurrentes fuerunt in IX. Kal. Apr. ideſt III. Feria anno praeſente. Sicque per alios annos facies, quicumque fuerint, divide per IV. partes, & quartam partem adjicies V. G. Quinto anno Cycli poſt IV. addas unum. Nono anno poſt VIII. addas II. XIII. anno poſt XII. addas III. poſt XVI. addas IV. poſt XX. addas V. poſt XXIV. addas VI. poſt XXVII. addas VII. Et ſic invenies concurrentes praeſentis cujuslibet anni. Iſte ergo Cyclus Solaris habet annos XXVIII. in ſe, ideſt IV. ſeptimanas, vel VII. quaternos, quia non poteſt conſummari, priuſquam biſſextus, qui quarto anno redire ſolet, cunctos ſeptimanae dies circumeat, & contingat, ideſt Dominicam VI. feriam,

Digitized by Google

riam, IV. feriam, II. feriam, VII. feriam, V. feriam, III. feriam; hoc enim ordine circumeunt, & percurrunt omnes ſeptimanae dies, namque unaquaeque anni dies ſuos concurrentes habet, qui concurrentes adfixi ſunt in IX. Kal. Apr. videlicet ut proprias feſtivitates Paſchalis XIV. Lunae quota ſit feria pandunt, & diem Epactarum, ac per hos & Paſchalis diei inventionum planum faciunt iter. Dionyſius de concurrentibus dicit: *Concurrentium autem Hebdomadum ratio, quae de Solis curſu ſupervenit ſepteno annorum circulo quater ducto jugi circuitu terminatur.* In quo per annos ſingulos ideſt III. unum addere, & concurrentes praeteriti anni curabis. In eo tantummodo anno, ideſt IV., in quo biſſextus fuerit duos adjicias. Iſtas ergo Epactas Solis, ideſt concurrentes ſeptimanarum dies IX. Kal. Apr. auctores ponunt, quia ſecundum traditionem divinae Auctoritatis, vel Sancti Nicaeni Concilii ſidera Coeli Solem, & Lunam in ea datarum die a Domino creata, & in Coelo poſita ad officium humani generis eſſe adſcribunt.

Item de Concurrentibus.

CII. Si vis ſcire ſubito, quot Concurrentes ſint eodem anno, ad feriam curre. Inveni Kal. Apr. quota feria ſit, & ubi Kal. inveneris, ſtatim retro inveni IX. Kal. Apr. Et in quota Feria IX. Kal. Apr. inveneris V. G. in Feria I. II. III. IV. V. VI. vel VII. quia plus non creſcunt, talem habebis concurrentem, quia Graeci Epactam Solis, ideſt concurrentes ſeptimanae dies, qui de Solis curſu perveniunt, IX. Kal. Apr. ponunt. Quia ſecundum traditionem Divinae auctoritatis, vel. Sancti Nicaeni Concilii ſidera Coeli, ideſt Solem & Lunam, & Stellas in eo datarum a Domino creata, vel in Coelo poſita ad officium humani generis eſſe adſcribunt.

Ad Feriam monſtrandam in Kal. Janu.

CIII. Si vis ſcire diem Kal. Janu. per ſingulos annos, quota ſit feria, ſume annos ab Incarnatione D. N. J. C. ut puta modo DCCCX. ſubtrahe ſemper unum, remanent DCCCIX. hos partire per IV. partes, & quartam partem, quam partitus es, adjice, hoc eſt CCII. fiunt ſimul MXI. hos partire per VII. partem, dimitte DCC. fit ſepties centum, remanent CCCXI. dimitte CCLXXX. ſepties XL. ſunt remanent XXXI. dimitte XXVIII. quater ſepties ſunt, remanent III. Tertia feria fuerit Kal. Janu. anno praeſente.

Digitized by Google

De Cyclo Solari, & Lunari per digitos demonſtrando.

Quidam ad compendium calculandi utriuſque ordinem circuli, Solaris videlicet, & Lunaris, transferunt in articulos. Nam quia manus humana articulos habet XIX. adjunctis unguibus ſingulis artubus, & unguibus ſingulos aptantes annos Lunarem curſum per XIX. annos. In laeva manu intrinſecus radice pollicis incipiunt, & in ungue minimi digiti, hoc eſt auricularis intrinſecus eumdem Cyclum Lunarem conſumunt. Et quia manus binae articulos habent XVIII. intrinſecus autem exceptis unguibus his ſingulis artubus ſingulos annos aptant in quantas * a minimo digito laevae manus hoc eſt ſummo articulo auricularis, quaſi prima feria cum biſſexto, & in ſiniſtro pollice hoc eſt a ſummo articulo in VI. feria Cyclum Solarem complentes, & terminantes, non ut in Lunae cyclo ſingulos exordio * ne digitos expedientes in numerum, ſed propter rationem quadrantis per quaternos intrans verſum digitos quadriennium omne ſignantes, ita ut minimorum digitorum, hoc eſt auricularium bis terni articuli, ideſt VI. ad totidem annos biſſextiles deputant. Item proximorum digitorum a minimis bis terni articuli ante hos eſt VI. * primus annus praeparationis biſſexti in utraque manu demonſtrat. Similiter ſecundi digiti a minimis duabus manibus per VI. articulos II. ſex annos praeparationis biſſexti oſtendunt, & tertii digiti a minimis utriuſque manus III. ann. VI. praeparationis biſſexti per VI. articulos utriuſque digiti demonſtrat. Porro ſeptimus biſſextilis annus cum tribus annis ſequentibus bis binos articulos duorum pollicibus teneat. In hoc ergo ordine calculator biſſextiles VII. annos per XXVIII. percurrens invenit, incipiens biſſextum in prima feria a minimo digito in ſummo articulo auricularis, & ſic dicis prima feria cum biſſexto. In ſecundo articulo minimi digiti VI. feria cum biſſexto. In tertio articulo IV. feria cum biſſexto. Deinde in dextera manu in ſummo articulo minimi digiti dicis ſecunda feria cum biſſexto. In ſecundo articulo VII. feria cum biſſexto. In tertio articulo hoc eſt in radice minimi digiti V. feria cum biſſexto. Deinde in radice pollicis dextrae dicis III. feria cum biſſexto. Hucuſque de Concurrentibus. CIV.

De Principiis quatuor temporum.

CV. Si vis ſcire, qua die ſeptimanae intrant quatuor tempora, hoc eſt Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems, ſume principium a Kal. Maii. quacumque enim feria fuerint Kal. Maii, ſequenti die ſeptimanae intrant Kal. Aug., hoc eſt principium Autumni tertia die Kal. Hyemis, quarta die principium Veris, hoc eſt Kal. Febr., nec biſſextus mutat hanc rationem.

Item Sefebutus de Eclipſibus Solis & Lunae dicit.

CVI. Sefebutus dicit:

Quur feſſo Luna * libeſcit circulus orbe
Purpureumque jubar nivei quur tabeat horis
Infima vicinis novum quam decolor umbris
Fratre * curet vacuaque exanguis defficit hora.
Inviolatum * erit ſed vaſto corpore tellus
Quae medium tenet immo polum dum culmina fratres
Deſerit umbriferis noctibus dum ſidere caſſo
Polleſcit terrae umbra rotae dum tranſeat axem
Agere velox cumulo ſpeculoque roſanti
Fraternas reparet per coelum libera flammas.
Quur autem ſola ſpolietur lumine Luna
Nil vero mirum eſt quippe illam lucis egentem
Lux aliena fovet, quam cum pars proxima metae
Invidet, expectat radius male caerula fratres.
Ad chorum Auſtrorum reliquus non tangitur umbris, (Fort. At Chorus Aſtrorum.)
Et proprium cunctis jubar eſt, nec Sole rubeſcunt,
Sed porro ultra Solem rapitur cum vertice coeli.
Jam quur menſtruo non ſemper palleat orbe
Inflexi praeſtant illico jam tramite, curſus
Namque vagans errore rato cum devia tortus
Tum legit anfractus, metam ſol eminus exit
Intorquetque peplum noctis, radiatque ſororem.
Haec eadem ratio eſt ſubitis ubi frangitur umbris
Auguſti Solis rutilum jubar indiga lucis,
Quando inter terram & Solem rota corporis albi
Lunam erat fratrem rectis arguens.

Argumentum ad Epactas Solis in Kal. XII. Menſium.

Si vis ſcire uniuſcujuſque menſis diem ſeptimanae in Kal. per unam ſeptimanam, ita invenies, hoc eſt per illos dies VII. Primus Mart. Menſis uſque ad Non. Mart., quia qualicumque feria fuerint Kal. Mart., in illa erunt Kal. Novemb., & qualicumque die ſeptimanae fuerint VI. Non. Mart., in illa ipſa die erunt Kal. Jun., & Kal. Febr. Et in quali feria fuerint VI. Non. Mart. in ipſa erunt Kal. Febr. & Decembr. In quacumque feria fuerint IV. Non. Mart. in illa erunt Kal. Apr. & Kal. Jul. Item III. Non. Mart. Kal. Octob. Prid. Non. Mart. Kal. Maii, & Kal. Janu. Non. Mart. Kal. Aug. in eadem feria ſunt. CVII.

De duodecim Signis Coeli, quae currunt in Zodiaco circulo, qui circulus ſignifer dicitur, hoc eſt ſideralis curſus.

Zodiacus curſus ideſt ſiderius, vel ſideralis, & ſignifer dicitur, eo quod XII. ſigna inferre videtur. Undique enim gyrum coeli rotundiſſimum per lineam Zodiaci circuli, quaſi perſonam ampliſſimae ſperae circumdatam diſtincti ordines gemmarum XII. ſeſe invicem contingentium ab Oriente uſque in Occidentem, ita obſident, & cohaerent. Haec ergo Zona, quae Zodiacus, & ſideralis dicitur, & Mazaroth, & horum cobus cingit coelum XII. ſtellis diſtincta, per quae Sol & Luna diſcurrunt. Et ſunt tantae magnitudinis, ut non minus quam duabus horis ſingula ſigna oriri, vel occidere, vel de loco moveri poſſint. Tantum vero ambitum Zodiaci iſtis LXV. diebus, & VI. horis peragit. Luna autem XXVI. diebus, & VIII. horis eadem XII. ſigna pervolat, binis verò diebus, & VI. horis, ac beſſe unius horae unumquodque ſignum percurrit. Haec autem ſigna XII., per quae Sol & Luna currunt, ita vocantur: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. In unoquoque ſigno ex his Sol moratur XXX. diebus, & X. horis, & dimidia hora. Luna autem duobus diebus, & XI. horis unumquodque ſignum percurrit. Et haec XII. ſigna cum firmamento currunt Linea obliqua candido circulo ab Oriente in Occidentem, & ab Occidente in Orientem ſemel in die & nocte per XXIV. horas. Sol autem & Luna, & Stella Saturni, ſtella Jovis, ſtella Martis, ſtella Veneris, ſtella Mercurii con- CVIII.

tra firmamentum currunt, ſed fortitudo curſus firmamenti trahit ea ſecum retro, unde retro gradiuntur. Et haec cauſa eſt inaequalitatis dierum, & noctium in longitudine & brevitate obliquitas ſigniferi, per quem Sol & Luna currunt, cum pars aequa mundi ſuper, ſubterque terras omnibus fiat momentis: Inde Iſidorus dicit: *Sol enim obliqua linea pergit ad Boream, & ita ad Orientem revertitur.*

De cauſis quibus nomina acceperunt XII. ſigna.

CIX. Signa XII. vel a cauſis annalibus, vel a Gentilium fabulis nomina ſumpſerunt. Nam Arietem Martio Menſi propter Ammonem Jovem tribuunt, qui ut fabula fert, in illo Menſe Libero patri cum ſuo exercitu in India in arenoſis locis, ubi aquam non habebant, & illis ſitientibus Jupiter oſtenſus eſt in forma arietis, & oſtendit illis fontem. Propterea in ejus ſimulacro Arietis cornua finxerunt. Item Euſebius in Chronico ait: *Frixus cum Helle ſorore ſua fugiens inſidias novercales viſus eſt per eram vehi ab Ariete velleris aurei.* Fuit autem navis parata ei fugienti, cujus inſigne aries erat. Taurum Aprili tribuunt propter eumdem Jovem, eo quod in bovem converſus ſit, ut fabulae ferunt. Geminos, ideſt Caſtorem, & Pollucem, quibus Majum propter inſignes virtutes eorum adſignarunt. Porrò Cancrum Junio adſignarunt, eo quod Sol in illo Menſe ad inferiora revertitur, ſicut Cancer impulſus retro curſum dirigere ſolet. Leonem, quem occidit Hercules, Julio propter vim fervoris adſignant. Virginem Auguſto, eo quod tunc tellus exuſta caloribus nihil pariat. Libra Septembri, ob aequalitatem diei, & noctis. Scorpium & Sagittarium equinis cruribus formatum propter fulmina menſium ipſorum Octobrem, & Novembrem accipiunt, Capricornum December ſortitur propter capram Jovis nutricem, cujus extrema piſci ſimilia pinguntur, eo quod hujus menſis ultima ſpatia ſunt pluvida. Aquarium Januario, & Februario Piſces tradunt propter menſes illos imbriferos. Unumquodque ergo ſignum de his XII. annis a medio die Menſis ſemper incipit. hoc eſt XXV. Kal. Jun. cujuſque menſis exceptis duobus menſibus Januar. & Febr., quia XVI. Kal. Febr. Sol intrat Aquarium & XIV. Kal. Mart. ingreditur Piſces. In aliis autem X. ſignis Sol intrat principium uniuſcujuſque ſigni XV. Kal. Primum ſignum Arietis oriri incipit medio Martio, ideſt a XV. Kal. Apr. Secundum Tauri incipit XV. Kal. Maj. Tertium Geminorum XV. Kal. Jun. Quartum Cancri XV. Kal. Julias.

Digitized by Google

lias. Quintum Leonis incipit XV. Kal. Aug. Sextum ſignum Virginis incipit XV. Kal. Septemb. Septimum ſignum incipit Librae XV. Kal. Octob. Octavum ſignum Scorpio XV. Kal. incipit. Nonum ſignum Sagittarius XV. Kal. Decemb. incipit. Decimum ſignum Capri XV. Kal. Janu. incipiunt. Undecimum ſignum Aquarii incipit XVI. Kal. Febr. Duodecimum ſignum Piſcium incipit XIV. Kal. Mart. Decem horae & ſemis, quae plus ſunt in ſignis ſingulis, computari negliguntur, ſed tamen computari, & memorari debent. Tricenis enim diebus, & X. horis & ſemis hoc eſt XX. momentis Sol in unoquoque Signo moratur. Singulis ſignis XXX. partes, ternae verò decades deputantur, & ſingula ſigna X. punctos habent, ideſt duas horas V. Emm. puncti in luna unam horam faciunt. Singuli igitur menſes ſua ſigna habent. Aprilis ſignum Arietis, Majus Tauri, Junius Geminorum, Julius Cancri, Auguſtus Leonis, September Virginis, October Librae, November Scorpionis, December Sagittarii, Januarius Capricorni, Februarius Aquarii, Martius Piſcium, ſicut quidam veterum etiam verſibus explicavit.

De curſu Solis, & Lunae, ideſt in quo ſigno currit Sol, & in quo ſigno Luna.

Si vis ſcire, in quo ſigno Luna eſt, & quot ſigna, quot partes CX.
ſunt inter Solem & Lunam in unaquaque die, ſume Lunam, quam volueris, ut puta primam. Multiplica unum per IV. fiunt IV. In IV. ergo punctis Luna prima ſemper a Sole diſtat. Duc quater ter, fiunt XII. Duodecim ergo partibus hoc eſt XII. diebus Luna prima ſemper a Sole elongatur. Propterea autem quotacumque Luna fuerit per IV. multiplicatur, quia IV. punctis ſemper creſcit ſplendor Lunae recedendo a Sole, & IV. punctis ſplendor Lunae decreſcit ſemper omni die poſt plenilunium adpropinquando ad Solem uſque ad accenſionem & IV. punctis ſemper Luna creſcens omni die elongatur a Sole uſque ad plenilunium. Sic etiam Luna decreſcens IV. punctis omni die adpropinquat ad Solem. Propterea, ſicut diximus, quaecumque Luna fuerit per IV. multiplicatur. Et ideo poſtea ille numerus quaternarius quotuſcumque fuerit ter ducitur, quia tres partes ſunt in unoquoque puncto, & ita in IV. punctis ter ductis XII. partes ſunt. Aut eo amplius, hoc eſt XIII. partibus. Quod enim Luna currit in unoquoque die per IV. punctos illud ſpatium coeli, & temporis, non poteſt Sol currere minus, quam XII. vel XIII. partibus

Digitized by Google

partibus hoc eſt diebus. Item Luna ſecunda multiplica II. quater, fiunt VIII. Tot puncti ſunt inter Solem & Lunam, hoc eſt una hora, & III. puncti. Quando Luna ſecunda eſt, duc VIII. ter, fiunt XXIV. Tot partes ſunt inter Solem & Lunam, quando ſecunda eſt. Item tertia Luna multiplica ter quater: XII. fiunt. Duc ter, fiunt XXXVI. Uno ergo ſigno & VI. partibus Luna III. elongatur a Sole. Sic Luna IV. multiplica, XVI. fiunt. Duc ter, fiunt XLVIII. Uno ſigno, & XVIII. partibus Luna quarta elongatur a Sole. Item Luna V. multiplica quinque quater, fiunt XX. Tot puncti ſunt inter Solem, & Lunam, quando Luna quinta eſt, hoc eſt duo ſigna integra. X. enim puncti in Luna, hoc eſt duae horae unum ſignum faciunt. XX. autem puncti duo ſigna complent. Si enim ter duxeris LX. ſunt, hoc eſt bis XXX., qui faciunt duo ſigna. Tricenae enim partes unum ſignum faciunt. Item Luna VI. ſi vis ſcire, quantum a Sole diſtet, multiplica VI. quater, fiunt XXIV. Hos partire per decies. bis deni ſunt, hoc eſt duo ſigna. remanent IV. Multiplica ter, fiunt XII. Duobus ergo ſignis, & XII. partibus Luna VI. ſemper a Sole diſtat. Item Luna ſeptima multiplica VII. quater, fiunt XXVIII. Duc ter, fiunt LXXXIV. Duobus ſignis, & XXIV. parte tertii ſigna * Luna a Sole elongatur. Item Luna VIII. multiplica VIII. quater, fiunt XXXII. His ductis ter fiunt XCVI. tribus ſignis, & VI. partibus Luna VIII. elongatur a Sole. Sic Luna nona ſi volueris ſcire quantum diſtat a Sole: multiplica IX. quatuor vices, fiunt XXXVI. Duc ter fiunt, CVIII. tribus ſignis, & XVII. partibus Luna nona a Sole elongatur. Item Luna X. multiplica X. quater, XL. fiunt XL. punctis, hoc eſt VIII. horis Luna decima elongatur a Sole. X. ergo puncti, ideſt duae horae unum ſignum faciunt. Et XL. puncti, hoc eſt XIV. IV. ſigna complent. Et ita Luna X. IV. ſignis ſemper a Sole diſtat. Luna ergo XV. ſi vis ſcire, quantum a Sole diſtet, & quot ſigna ſunt inter Solem, & Lunam, quando plenilunium eſt, multiplica XV. per IV. vices, fiunt LX. Tot puncti ſunt in Luna XV., & tot punctis lucet, hoc eſt XII. horis, & tot punctis, & tot horis diſtat Luna decimaquinta, hoc eſt VI. ſignis; ſi enim LX. per decem partitus fuerit, hoc eſt per ſigna integra, quia X. puncti ſemper ſignum faciunt. Sexaginta ergo ſexies deni ſunt, hoc eſt VI. ſigna. Item LX. ter multiplicati fiunt ter ſexageni, hoc eſt VI. triceni, qui perficiunt VI. ſigna. Sex ergo ſignis ſemper, ideſt dimidio ſpherae coeleſtis Luna XV. a Sole diſcernitur. Denique orbem Lunae, quo-

Digitized by Google

quotiens pleniſſimus eſt, contra Solem cernis oppoſitum, humilem videlicet Sole ſublimi, & ſublimem Lunam Sole humili. Sole aeſtivum tenente circulum, hoc eſt confinia ſolſtitii aeſtivi plena Luna tenet brumalem circulum, hoc eſt confinia hyemalis ſolſtitii. Sole devexo & inclinante in brumalem circulum, Lunam plenam ſolſtitiali circulo ſcandere nox longiſſima prodit. Cum Sol unum aequinoctium tenet, in plenilunio alterum aequinoctium Luna ſervat. Sol aequinoctii tranſgreſſus longitudinem noctis ſuperat Luna per plenilunium totam noctem in aequinoctio, & poſt aequinoctium inluſtrat, ideſt totum ſpatium, quod Sole per diem percurrens inluſtravit, ſimiliter Luna tota nocte peragrando illuminat. Hucuſque de Luna creſcente diximus per quot punctos, horas, partes, & ſigna elongatur a Sole uſque ad plenilunium. Nunc etiam videamus, quomodo Luna decreſcens adpropinquet ad Solem omni die. Aequali numero punctorum, & horarum, & partium, & ſignorum uſque ad accenſionem in XXX. die. Sicut ergo Luna creſcens IV. punctis omni die elongatur a Sole, ſic etiam Luna decreſcens IV. punctis omni die adpropinquat ad Solem. Et quantum XV. Luna diſtat a Sole recedendo, ideſt V. ſignis, & XVIII. partibus, hoc ſpatio Luna XVI. diſtat a Sole adpropinquando, hoc eſt V. ſignis, XVIII. partibus. Et quantum Luna XIII. elongatur a Sole recedendo, ideſt V. ſignis, & VI. partibus interpoſitis. Et ſicut Luna XII. quatuor menſibus & XXIV. partibus elongatur a Sole, hoc numero interpoſito Luna XVIII. adpropinquat ad Solem. Et ſic de ſingulis uſque ad Lunam XXX.

Argumenta de curſu Solis per XII. ſigna.

Si ſcire volueris, in quo ſigno, vel in qua parte ſigni eſt Luna, & quot partes, vel quot menſes ſunt inter Solem, & Lunam, in omni die ſume Lunam praeſentem, quamcumque volueris, & multiplica duodecies, quia XII. partibus Luna omni die elongatur a Sole, & quotus numerus de illa multiplicatione fuerit, tot partes, ideſt dies, vel ſigna ſunt inter Solem, & Lunam. Si autem terdecies Lunam quamlibet multiplicaveris, quotus numerus fuerit, tot partes vel menſes erunt inter illum locum, in quo Luna accenſa fuerit, & illam partem coeli, ubi Luna currit praeſens. Illam ergo partem coeli, quam prima Luna die nocteque completa percurrit, ſic Luna II., ubi currit, ibi XXIV. dies Sol perveniet, & ita inveſtigandum eſt per cetera. CXL.

De Septem Sideribus errantibus.

CXII. Inter coelum terramque ſeptem ſidera pendent certis diſcreta ſpatiis, quae vocantur Sol, & Luna, Stella Saturni, Stella Jovis, Stella Martis, Stella Veneris, Stella Mercurii. Haec autem VII. ſidera errantia dicuntur contrarium *' mundum agentia curſum, ideſt laevo illo ſemper in dextera percipiet, quamvis aſſidua converſatione in menſe celeritatis adtolluntur ab eo, rapianturque in occaſum, adverſo tamen ire motu per ſuos quaeque paſſus advertuntur nunc inferius, nunc ſuperius propter obliquitatem. Signiferi vagantur; radiis autem Solis praepedita, anomala, vel retrograda, vel ſtationaria fiunt. Summum Planetarum, ideſt errantium ſiderum, Saturni ſidus eſt natura gelidum. Inde Auguſtinus dixit: *Stella Saturni circulum ſuum XXX. annorum ſpatio implet, quae pro aquarum vicinitate frigida eſſe fertur.* XXX. annis Signiferum peragit. Haec ergo ſtella in ſeptimo coelo poſita eſſe dicitur. VII. enim coeli eſſe dicuntur. Inde enim Iſidorus dicit: *Philoſophi mundi VII. coelos globorum conſono motu introduxerunt.* In ſexto coelo ſtella Jovis eſſe dicitur, quae alio nomine vocatur ſtella Phaetontis, natura temperata, annis XII. curſum ſuum peragit. In V. circulo ſtella Martis currere dicitur, quae Veſper vocatur natura fervida, annis duobus curſum ſuum peragere videtur, totum verò circulum Zodiacum XV. peragit annis. In quarto coelo Sol medius Planetarum currit CCCLXV. diebus, & quadrante curſum ſuum peragens, ſed tamen poſt XXVIII. annos peractos in eumdem circulum revertitur. In tertio coelo ſtella Veneris infra Solem diſcurrens, quae Lucifer dicitur, ut * aliodem CCCXLVIII. diebus curſum ſuum perficiens. Totum autem circulum novem annis implere dicitur. In ſecundo coelo Mercurii ſidus currere dicitur CCCXL. diebus ociore ambitu modo ante Solis exortum, modo poſt occaſum ſplendens. In primo circulo Luna percurrere dicitur XXVIII. diebus, & XII. horis, ut alii autem dicunt XXVII. diebus, & tertia parte diei, hoc eſt VIII. horis ſigniferum pervolat. Poſt XIX. autem annos completos in eumdem circulum revertitur.

De velocitate curſus Lunae.

CXIII. Luna vicinior eſt terris, quam Sol, unde & breviore orbe celerius peragit curſum ſuum; nam iter, quod in diebus CCCLXV. & qua-

& quadrante Sol peragit, Luna currit per XXX. dies; Unde & antiqui menſes in Luna annos, non in Solis curſu poſuerunt. Creſcens autem Luna Orientem cornibus petit, decreſcens Occidentem; & merito, quia caſura, & amiſſura eſt lumen.

De aſcenſu Solis, & deſcenſu per totum annum, quomodo creſcit in unaquaque die, vel quomodo decreſcit.

Quot dies ſunt in aſcenſione Solis, & deſcenſione, ut ſit aequa diviſio inter lucem, & tenebras, hoc eſt inter aſcenſum Solis, & deſcenſum? Si hoc ſcire volueris, ita inveſtigandum eſt. A XII. Kal. Janu. dies incipit creſcere uſque in XI. Kal. Jul. hoc eſt per duo XC., & duos dies, ideſt per VI. menſes, qui habent dies CLXXXII. Per hos ergo ſex menſes, & dimidium diem naturalem, hoc eſt XII. horas creſcit lux, & dies, & decreſcit nox, & tenebrae in omni die per II. momenta, & dimidium, & ſextam partem momenti, hoc eſt duas tertias momenti. Et ita per XV. dies, & paulo amplius hora creſcit. Per XXX. autem dies duae horae creſcunt, ſed tamen non ſunt illae duae horae integrae adhuc uſque dum pervenias ad octo horas diei de menſe ſequente. In duobus autem menſibus IV. horae creſcunt in Sole in augmento diei, ſed tamen illae IV. horae non ſunt plenae uſque ad XVI. horam diei de Menſe tertio. Et ita in tribus menſibus tricenis, & in uno die addito, hoc eſt per XCI. dies ſex horae creſcunt. Tot dies ſunt a XII. Kal. Janu. uſque ad XII. Kal. Apr., hoc eſt XII. horis in die, & XII. in nocte, aequalem namque horarum, & momentorum, quae CDLXXX., & totidem in die quot in nocte. In VI. horis autem creſcentibus momenta ſunt CCXI. Item ab XI. Kal. Apr. uſque ad XII. Kal. Jul. III. menſes ſunt, qui habent dies XCI. & ſic creſcit Sol in unoquoque die per duo momenta, & duas tertias momenti. Per XV. autem dies una hora creſcit, ſed tamen paulo amplius, quia uſque ad IV. horas XV. diei non eſt illa hora integra. Et ſic in uno Menſe XXX. dierum duae horae creſcunt. In duobus menſibus IV. horae, & ita in tribus menſibus, hoc eſt ab Aequinoctio vernali, uſque ad Solſtitium, ideſt ab XI. Kal. Apr. uſque ad XI. Kal. Jul. per XCI. dies aliae ſex horae creſcunt, ſic enim Anatholius Alexandrinus Laodiciae civitatis Epiſcopus demonſtrat dicens: *Per XV. dies Sole aſcendente per duo momenta, & dimidium, & ſextam partem momenti, hora diminuitur de tenebris, hoc* CXIV.

eſt de nocte, & creſcit in lumine, hoc eſt in die. Et ſic creſcunt XII. horae, hoc eſt CDLXXX. momenta a XII. Kal. Jan. uſque in XI. Kal. Jul., & tunc fiunt XVIII. horae in die ſolſtitiali aeſtivo, hoc eſt III. partes diei naturalis, qui habet XXIV. horas in ſe, & quarta pars illius diei naturalis fit in nocte ſolſtitiali, hoc eſt ſex horae ſimili modo, & ſimili numero dierum, hoc eſt nonageni bini, & duodecies per VI. menſes, & dimidium diei naturalis, ideſt XII. horas per duo momenta, & duas tertias momenti in unoquoque die decreſcit lux, & creſcunt tenebrae, & nox ab XI. Kal. Jul. uſque in XII. Kal. Janu. uſque ad Solſtitium hyemale ſimili numero horarum, & momentorum, & dierum ſicut lux ſic decreſcit, & creſcunt tenebrae hora per XV. dies duae horae, per XXX. horae IV. per duos menſes, hoc eſt per XL. dies ſex horae: Per III. menſes hoc eſt a Solſtitio aeſtivo ab XI. Kal. Jul. uſque ad Solſtitium hyemale, & ad XII. Kal. Janu. ſecundum Graecos XII. horae creſcunt in tenebris, & duae diminuuntur per dies CLXXXII. hoc eſt per momenta CDLXXX. Et tunc habentur in illa nocte ſolſtitiali hyemali XVIII. horae, hoc eſt tres partes diei naturalis, & quarta pars in die illo ſolſtitiali, nempe VI. horae. Hucuſque de aſcenſu, & deſcenſu Solis ſit dictum, ſapientiori majora relinquendo.

De Eclipſi Lunari, & Solari Plinius, & Hieronymus.

CXV. Plinius ſecundus in opere pulcherrimo naturalis Hiſtoriae ita deſcripſit: *Certum Solis defectum non niſi noviſſima vel prima Luna fieri, quod vocant coetum. Luna autem non niſi plena patitur eclipſin; omnibus autem annis fieri utriuſque ſideris defectus ſub terra, nec tamen cum supernè ſiunt ubique cerni, aliquando propter nubila, ſaepius globo terrae obſtante, & convexitatibus Mundi.* Item Hieronymus: *Deliquium Solis, ideſt defectus veris, aeſtatiſque temporibus accidere ſolet, nunquam niſi ortu Lunae fieri ſolet.*

Lacteus circulus eſt via candida, quae in ſpera videtur, a candore dicta, quia alba eſt, quam aliqui viam eſſe dicunt, quia circuit Sol * ſplendoris ipſius tranſitu, ita Lunare.

Sol dum igneus ſit, prae nimio motu converſionis ſuae amplius incaleſcit, cujus ignem dicunt Philoſophi aqua nutriri, & e contrario elemento virtutem luminis, & caloris accipere.

De

De variis nominibus Solis per varias linguas.

Quam ſe in Hebraeo Luna ſimplicia. Aelios in Graeco, Phanath cum Philoſophis, Tithan cum Caldaeis, Sol cum Latinis de ſoliditate luminis, vel eo quod Solus appareat obſcuratis ſideribus radiis ejus potentibus. CXVI.

Argumenta de initio Quadrageſimae, & de clauſula Paſchae, & de Rogationibus, & Pentecoſte.

Si volueris ſcire, quota Luna ſit initium Quadrageſimae in Rogationibus, ſcias quota Luna fuerit in Paſcha in unoquoque anno. De illa Epacta praeſenti in Paſcha reſcinde XII., ſic erit Luna initii Quadrageſimae. Item adde VII. ſuper illam aetatem, quam in Paſcha praeſenti habueris, ſic erit Luna in Rogationibus. Item hoc ſcias, quia qualis Luna fuerit in clauſula Paſchae in unoquoque anno, talis erit in Rogationibus. Quando enim XV. Luna in Paſcha fuerit, tunc XXII. Luna in clauſula Paſchae, ſic etiam XXII. erit in Rogationibus. ſic per VII. aetates Luna in clauſula Paſchae, & in Rogationibus, ideſt a XXII. uſque ad XXVIII. Item quando XV. Luna in Paſcha fuerit, tunc erit XXV. in Aſcenſione Domini, & quando XXI. Luna in Paſcha invenitur, tunc prima Luna erit in Aſcenſione Domini a XXV. Luna uſque ad XXXI. Et quandocumque XV. Luna fuerit in Paſcha, tunc erit V. in Pentecoſte, & quando XXI. in Paſcha, tunc erit XI. Luna in Pentecoſte. Hae enim ſunt VII. aetates Lunae ſervandae in Pentecoſte a V. Luna uſque ad XI. Et quando XV. Luna in Paſcha invenitur, tunc VIII. Luna in Dominica Palmarum eſt, & quando XXI. Luna in illa die Palmarum ante Paſcha, & hae ſunt VII. aetates Lunae die illius, ideſt ab VIII. Luna uſque ad XI. CXVII.

Argumenta de Cyclo magno decemnovennali, & Lunari & de Cyclo magno demonſtrandis per annos ab origine Mundi.

Si vis ſcire, quotus ſit annus Cycli Solaris, qui XXVIII. annis peractis in ſe revertitur XXIX. anno incipiente; quod ſi volueris ſcire, quotus annus Cycli XIX., immo etiam quotus annus ſit Cycli Magni, qui DXXXIII. anno incipiente in ſemetipſum revertitur, CXVIII

titur, aut quot anni ſunt ab origine Mundi, & quot Cycli Solares, & decemnovennales, & quot ſaltus, & biſſextiles dies, & quot Cycli magni: computa undecies DXXXIII. D. ergo anni undecies multiplicati fiunt V. Item XXX. undecies multiplicati fiunt CCCXXX., ſimul autem & praedictus numerus V̄DCCCXXX. Item III. undecies multiplicati XXXIII. qui additi ſuper numerum praedictum fiunt ſimul V̄DCCCLXIII. In XI. ergo Cyclis magnis tot anni ſunt, ideſt V̄DCCCLXIII., remanent CXXVI. De numero annorum ab initio Mundi. Centeſimus igitur vigeſimus ſextus annus nunc agitur duodecimi magni Cycli. Hos ergo omnes annos divides per Cyclos Solares, & decemnovennales, ut ſciamus, quot Cycli Solares ſint, & quot decemnovennales ab origine Mundi, & quotus annus ſit in praeſenti anno Cycli Solaris, & Cycli decemnovennalis. In uno ergo Cyclo magno, quem dicunt in ſe reverti DXXXIII. anno incipiente Solares Cycli ſunt XIX. Decemnovennales vero XXVIII. Si enim XXVIII. decies & novies multiplicaveris, vel XIX. per XXVIII. DXXXII. efficiunt. Et ſi in XI. Cyclis magnis CCIX. Solares Cycli ſunt; nam X. undecies multiplicati fiunt CX. & IX. undecies, vel undeno ducti XCVIIII. ſunt, ſimul autem CCIX. Item in XI. magnis Cyclis Decemnovennales ſunt CCCVIII. XX. enim undecies multiplicati CCXX. ſunt, & VIII. undecies, vel XI. octies ducti LXXXVIII. faciunt. Simul vero CCCVIII. in quibus ſunt anni V̄DCCCLXIII. Item in annis CXXVI., qui ſuperſunt IV. Cycli Solares continentur. XX. enim quater ducti fiunt LXXX., & VIII. quater multiplicati fiunt XXXII. ſunt ſimul autem CXII. Adde iſtos IV. Cyclos ſolares ſuper alios ſupradictos CCIX., fiunt CCXIII. Tot Cycli Solares integri ab initio Mundi, in quibus anni continentur V̄DLXXV. remanent XIV. Quartus decimus annus eſt Cycli Solaris. Item in CXXVI. annis, qui remanent ſuper XI. Cyclos magnos per XIX. diviſi VI. decemnovennales ſunt. Si enim de CXX. tolle VI. ſex decemnovennales feciſti, & illi VI., quos tuliſti, & alii VI., qui ſuper CXX. fuerant, fiunt ſimul LXII. Duodecimus annus eſt Cycli decemnovennalis. Qui annus communis incipit a XVI. Kal. Mai. uſque in prid. Non. Apr. dies habens CCCLIV. Illos ergo VI. decemnovennales, quos feciſti de CXX. mitte ſuper CCCVIII. ſupradictos, fiunt CCCXIV., tot Cycli decemnovennales ſunt integri ab initio Mundi, in quibus ſunt anni V̄DCCCCLXXVII., remanent XII. Duodecimus annus eſt Cycli decemnovennalis, ſicut diximus.

De

Digitized by Google

De numero Cyclorum, & quot dies biſſextiles, & quot ſaltus ab origine Mundi.

Quot ergo Cyclos decemnovennales habet ab origine Mundi, CCCXIV. tot ſaltus ſunt, ideſt CCCXIV. Biſſextiles autem dies ſunt MCDXCVII., in quibus continentur anni IV., & dies XXXVII. CXIX.

Incipit Cyclus Decemnovennalis, quem Graeci Enneacaidecaeterida vocant.

Conſtitutus a Sanctis Patribus, in quo XIV. Paſchales omni tempore ſine ulla reperies falſitate: tantùm memineris annis ſingulis, qui Cyclus Lunae, & qui decemnovennalis exiſtet. In praeſenti namque tertia Indictio eſt Conſulatu Probi junioris tertius decimus Circulus decemnovennalis, X. Lunaris eſt. finit. CXX.

Hic autem Cyclus Dionyſii V. decemnovennalis conſtat, hoc eſt XCV. annis, ſumitque exordium a XXXII. anno Incarnationis Domini, & definit in DXXVI. annos. Hunc ergo Cyclum praetermiſimus, quia praeteriit totus.

Incipit Praefatio Sancti Felicis Abbatis Cyrillitani.

Olympiade CXCIV. mediante, ideſt XLII. anno Imperii Octaviani Auguſti natus eſt Dominus N. J. C. in carne. A nativitate ergo Domini uſque in Olympiadem XLV. tam idem uſque in primum annum Diocletiani ſiunt anni CCLXXXIV. Et a primo anno Diocletiani uſque in primum Cyclum Dionyſii invenies annos CCXLVIII. ſiunt quippe ſimul anni DXXXII. Ab hoc & Dionyſius annos DXXXII. in primo ſuo Cyclo ab Incarnatione Domini. Nam hic Cyclus S. Cyrilli in CCXLVII. finivit. Addes I., quem inchoat Dionyſius, & invenies annos CCXLVIII., ſicut ſupradictum eſt. Finit. CXXI.

Incipit Prologus Sancti Chyllitani. Iterum Sermo Felicis: Incipit de Dionyſio, & de ſemetipſo in Chriſti nomine.

Dionyſius quondam Urbis Romae Sanctiſſimus Abbas utriuſque linguae Graecae ſcilicet & Latinae eleganti ſcientia praeditus Paſcha- CXXII.
liam

lium interea rationum decemnovennales numero V. ſagaci ingenio anteriores compoſuit Cyclos, exordium ſcilicet ſumens ab Incarnatione D. N. J. C. DXXXII. ann. Indictione X. uſque ad DCXXVI. Incarnationis annum Indict. XIV. memoratorum Cyclorum ſerie continuata produxit. Et quoniam memorati viri quintus nunc peragitur Cyclus, ad cujus ſupplementum X. adhuc ſuperſunt anni ad * noſtram providet parvitas alios ſubſequentes Cyclos decemnovennales numero V. ad inſtar ſuperiorum Cyclorum rationali diſpoſitione componere, initium facientes a DCXXVII. Incarnationis anno Indict. XV. uſque ad DCCXXI. Incarnat. annum Indict. IV. certum praefixum * eſt poſuimus terminum. Quapropter monuimus Lectorem, ut dum praefati, & venerabilis Dionyſii quintus expletus fuerit, ad noſtros ſubſequentes Cyclos, ut diximus V. tranſitum faciat, & abſque ulla erroris caligine dies feſtos Paſchales, vel Lunas per ordinem fida ratione repetiet.

Expliciunt Chyllitani V. Cycli Decemnovennales praetermiſſi, eo quod omnes praeterierint.

Anno XIX. IV. Luna I. a Kal. Janu. uſque ad XIII. Kal. Janu. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. V. Luna II. a XII. Kal. Janu. uſque in V. Id. Decemb. quia communis eſt annus, dies CCCLIV.

Anno XIX. VI. Luna III. a IV. Id. Decemb. uſque in V. Kal. Janu. quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. VII. Luna IV. a IV. Kal. Janu. uſque in XVII. Kal. Janu., quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. VIII. Luna V. a XV. Kal. Janu. uſque in VIII. Id. Decemb. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. IX. Luna VI. a VII. Id. Decemb. uſque in VIII. Kal. Janu. quia Emboliſmalis eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. X. Luna VII. a VII. Kal. Janu. uſque in VIII. Kal. Janu. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XI. Luna VIII. a XVIII. Kal. Janu. uſque in IV. Non. Janu., quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV. Ogdoas.

Anno XIX. XII. Luna IX. a III. Non. Janu. uſque in XI. Kal. Janu., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIII. Luna X. ab XI. Kal. Janu. uſque in III. Id. Decemb., quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno

Anno XIX. XIV. Luna XI. a prid. Id. Decemb. uſque in III. Kal. Jan., quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XV. Luna XII. a prid. Kal. Janu. uſque in XIV. Kal. Janu., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XVI. Luna XIII. a XIII. Kal. Janu. uſque in VI. Id. Decemb. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XVII. Luna XIV. a V. Id. Decemb. uſque in VI. Kal. Janu. quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XVIII. Luna XV. a V. Kal. Janu. uſque in XVII. Kal. Jan. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIX. Luna XVI. a XVI. Kal. Janu. uſque in Non. Decemb., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. I. Luna XVII. a Nonis Decemb. uſque in X. Kal. Janu., quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. II. Luna XVIII. a IX. Kal. Janu. uſque in prid. Id. Decemb. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. III. Luna XIX. ab Id. Decemb. uſque in prid. Kal. Janu., quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV.

Idcirco autem XVII. Luna anno compotus ab ipſo, quo prior explicitur eſt annus die incipit, & non a ſequente, ut caeterorum, ne propter ſaltum Lunae, quem dicunt, unum eidem anno dies X. videatur, quia ipſum Dionyſius Decemnovennalem Cyclum hujuſmodi vocavit percurrens edocuit ab eodem die, quo ultimi concluſit anni aetas primi inchoando principium.

Menſis Lunaris habet dies XIX., & dimidium, hoc eſt XII. horas, ſed illam medietatem de altero menſe auctores conjungunt, & faciunt unum diem, & propterea dicitur unus menſis in Luna XXIX. Luna habere, & alteram XXX.

De concordia menſium.

Januarius autem cum Decembrio in horarum menſura concordat. Februarius cum Novembrio ſpatium aequale conſummat. Martius conſentit cum Octobrio. Aprilis aequat Septembrem. Majus reſpondet Auguſto. Junius compar eſt Julio. CXXIII.

De

De Cyclo Libri Romanorum Incipit, qui inventus eſt apud Romanos XXX. anno ante Nativitatem Chriſti.

CXXIV. Quinto Cycli Decemnovennalis regione Lunaris Cyclus includitur a quarto hujus anno incipiens, & in tertio ejuſdem anno completur. Hic autem Cyclus propriè Romanorum eſt, & ad menſem Januarium pertinens. nam ſicut annum Decemnovennalis Cycli propter legalem Hebraeorum obſervationem a Paſchali menſe inchoat, ibidemque finitur, ita & hic Romanorum inſtitutione a Luna Januarii menſis inchoat, atque ibi deſinit. Sicut ille, ſic & iſte primum & ſecundum annum habet communes, tertium habet Embolimaeum, quartum & quintum communes, ſextum Embolimaeum, ſeptimum communem, octavum Embolimaeum. Huc uſque Ogdoas. Endecas quoque Cycli Lunaris inſtar Decemnovennalis Cycli VII. annos communes habet, & IV. Emboliſmales, & habet communis annus menſes Lunares XII., ideſt dies CCCLIV. Embolimaeus autem annus habet XIII. menſes, videlicet dies CCCLXXXIV. praeter unum dumtaxat XVII. annum Cycli hujus, qui eſt Decemnovennalis primus, in quo unus de ratione ſaltus Lunae intercipitur. Quae ut manifeſtius clara fiant, ſingulorum annorum ordinem, & curſum videamus, & quae Dionyſius in menſe Paſchali, nos in Januario facere curamus.

Annus Solaris incipit a Kal. Janu., & habet dies CCCLXV. Annus communis habet dies CCCLIV. Annus autem Embolimaeus habet dies CCCLXXXIV., & menſes XIII.

Anno Decemnovennali I. Luna XVII. a XV. Kal. Majas uſque ad Non. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. II. Luna XVIII. a prid. Non. Apr. uſque in VIII. Kal. Apr. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. III. Luna XIX. ab VII. Kal. Apr. uſque in Id. Apr. quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. IV. Luna I. a prid. Id. Apr. uſque in IV. Non. Apr., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. V. Luna II. a Kal. Apr. uſque in XI. Kal. Apr. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. VI. Luna III. a X. Kal. Apr. uſque in IV. Id. Apr. quia Embolimaeus annus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. VII. Luna IV. a V. Id. Apr. uſque in III. Kal. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. VIII. Luna V. a prid. Kal. Apr. uſque in XIV. Kal. Maii quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV. Ogdoas.

Anno Decemnovennali IX. Luna VI. a XV. Kal. Maj. uſque in VII. Id. Apr. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. X. Luna VII. a VIII. Id. Apr. uſque in VI. Kal. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XI. Luna VIII. a V. Kal. Apr. uſque in XVII. Kal. Majas, quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XII. Luna IX. a VI. Kal. Majas, uſque in II. Non. Apr., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIII. Luna X. a Non. Apr. uſque in IX. Kal. Apr. quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIV. Luna XI. ab VIII. Kal. Apr. uſque in prid. Id. Apr., quia Embolimaeus eſt dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XV. Luna XII. a III. Id. Apr. uſque in Kal. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XVI. Luna XIII. a IV. Non. Apr. uſque in XII. Kal. Apr., quia communis annus eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XVII. Luna XIV. ab XI. Kal. Apr. uſque in V. Id. Apr., quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV.

Anno XIX. XVIII. Luna XV. a IV. Id. Apr. uſque in IV. Kal. Apr. quia communis eſt, dies CCCLIV.

Anno XIX. XIX. Luna XVI. a III. Kal. Apr. uſque in XV. Kal. Majas, quia Embolimaeus eſt, dies CCCLXXXIV. Endecas.

Quot ſunt menſes qui habent XXXI. dies? VII. hoc eſt, Janu. Mart. Maj. Jul. Aug. Octob. Decemb. Item IV. menſes, qui habent dies XXX. hoc eſt Apr. Jun. Septemb. & Novemb. Februarius autem XXVIII. Coaequa omnes menſes, ut unuſquiſque XXX. dies habeat, ſuperſunt V. dies intercalares. Cum ipſis augmenta, ubi opus fuerit. Hoc autem ſcito, quia ſi unus dies plus aut minus fuerit, evidens error eſt.

De aetate Lunae ſi quis computare non poteſt.

Quod ſi adeo quiquam deſes, vel hebes ſit, ut abſque omni labore computandi Lunae curſum ſcire voluerit, innitetur Alphabetis, quae in hujus annali videlicet libello juxta curſum diſtinata Lunarem, ubi duos Lunae circuitus, ideſt quinquagenos, & novenos dies terna tenet Alphabeta. Et quamcumque literam Luna in CXXV.

hac aetate ſemel habet, eamdem per totum annum ſimili modo notatam in eadem ſemper aetate habere non deſinit, niſi forte (quod tamen raro accidit) Emboliſmorum haec ratio immutet. V. G. anno tertio cycli decemnovennalis Luna quae XXX. dies habitura eſt, ſemper ab A. nodo incipit, ſecunda eſt in B. tertia in C. ſimiliter nodis, ideſt nullo puncto * adnotaris. Et ſic ex ordine ſuae literae quamque reſerva aetatem Lunae. Item Luna, quae eoſdem XXX. dies habitura eſt ab I. ſubnotato incipiens, ſecunda ſemper in M., tertia eſt in N. ſimili figura, & ſic ex ordine recurrens Lunam ſui cuicumque literae reſtituit aetatem. Deſcendendi enim gratia primum de ternis Alphabetum nodis utrinque literis ſecundum ſubnoteris, tertiam ſemper notaris determinandum providit Antiquitas.

Item de Lunae curſu ſi quis ignorat.

CXXVI. Si quis verò etiam calculandi minus idoneus Lunaris circuitus exiſtit curioſus, & huic ad commoditatem ingenioli ſui commodamus argumentum, ut omnes inveniat. Siquidem totam annalis circuitus ſeriem, quae XII. menſibus continetur, Alphabetis diſtinximus, ita dumtàxat, ut primi & ſecundi ordo vicenos ſeptenos dies, tertius autem uno amplius complectatur, illo videlicet, qui de tertio repetitis octo horis ſuperfluis adcreſcit, & ut dies, quo ſignare volebamus, literae ſufficerent, non ſingulis has diebus adpoſuimus, atque ideo non ultra O. Alphabetum tangere opus erat. Praepoſuimus eidem operi paginam regulam, quae decem & novem Alphabeta hujuſmodi a diverſis literis inchoantia totidem annorum circuli Decemnovennalis caperet ſimul & menſium ſingulorum, ſignorumque vocabula duodecim, quae hoc ordine diſpoſita eſt. Juxta numerum dierum, quibus Luna Zodiacum perſolvat XXVII. lineas habet in longitudine nominibus ſingulorum ante, nominibus vero menſium retro adnotatis, ut qui ſignorum imperitus eſt, ex menſium tamen notitia poſſit invenire quod quaerit. Decem verò & novem habet in latitudine lineas, quae ordine Decemnovennalis circuli ſuperſcripto adnotato annorum ex numero praemonſtret. Cum igitur anno quolibet diem quemlibet in quo ſigno, vel cujus menſis in partibus Lunam habet, ſcire volueris aperto, literam q. * idem ſit propoſita die, recurres ad regularem paginam, in qua literarum eſt diſtincta congeries, eodemque ſtatim anno ex titulo frontis invento illam, quam quaerebas, literam ejuſdem diei invenies, atque

Digitized by Google

atque ante, ac retro incipiens quod ſignum, quemve menſem e regione habet adnotabis. Ponamus aliquod, quo ad caetera Lector convaleſcat exemplum. Quaeris, ubi ſit Luna V. G. in Kal. Apr. anno ſexto circuli Decemnovennalis. Aperi Codicem, quaere diem Kalendarum memoratarum, invenies E literam praeſcriptam. Recurre ad paginam regularem, videbis annum ſextum, perſpecto ejus Alphabeto E literam reperies. Circumfer oculos ad latera, hinc Geminorum extrema, illinc Junii menſis initia deprehendes eſſe notata, & ſive eruditus, ſive ſimplex es Lector, palam te quod cupiebas, inveſtigaſſe laetaberis in ſupernotato illo anno quibuſcumque diebus E literam videris, adſcriptam ſive creſcentem, ſive decreſcentem in hiſdem coeli partibus Lunam noveris eſſe converſatam.

Incipit Epiſtola de Ratione Lunae primo anno Embolimaeo Ogdoad.

In primo igitur anno Embolimaeo, hoc eſt in Ogdoade * tertia ſunt Epactae XXII. & ideo eſt Luna in Kal. Septembr. & Octobr. XXVII. In Kal. Novemb. & Decemb. XXIX. Ipſa autem Luna, quae eſt XXIX. in Kal. Decemb. * extingit illic, ſua Luna CXXVII.

II

eſt. Illa verò Luna, quae in quarto Non. Decemb. incipit, & terminatur XXX. II. Kal. Janu. Emboliſmi eſt. Quae autem in Kal. Janu. & prima Luna, ipſius eſt, quam & ipſam triceſimam terminare debeas. Ecce inveniſti Lunam in primo anno Embolimaeo in Kal. Janu. primam.

Item de ſecundo anno Embolimaeo Ogdoad.

Item de ſecundo anno Embolimaeo ideſt Ogdoadis VI. Sunt CXXVIII autem in ipſo anno Epactae XXV. Luna verò in Kal. Septemb. XXX. extingit illic, quia Luna ipſius eſt. Illa enim Luna, quae initiatur prima IV. Non. Septemb., & finitur XXX. Kal. Octob. Emboliſmalis eſt. Et illa, quae incipit prima VI. Non. Octob. & III. Kal. Novemb. finitur XXIX. Luna Octobris eſt. In Kal. verò Novemb. & Decemb. fit Luna II. in Kal. Janu. IV., ſicut ordo eſt.

Item de tertio anno Embolimaeo Ogdoadis.

CXXIX. Item de tertio anno Embolimaeo, ſunt autem in ultimo Embolimaeo Ogdoadis Epactae XVII. Luna verò in Kal. Septemb. & Octob. XXII. In Kal. Novemb. & Decemb. XXIV. in Kal. Mart. XXVI. in Kal. Apr. & Maii: XXVII. in Kal. Jun. & Jul. XXIX. in Kal. Aug. I. in Kal. Septemb. III. Quare facis unam aetatem Lunae in Kal. Apr. & in Kal. Maj., quia nuſquam ſic in calculo requiritur; ideo quippe quia Luna, quae XXVII. eſt in Kal. Apr. in IV. Non. Apr. XXVIII. III. Non. Apr. XXIX. Prid Non. Apr. XXX. Emboliſmalis eſt. extingit illic. Et illa quae initiatur Non. Apr. ipſa eſt Paſchalis, & evenit XIV. XIV. Kal. Maii, & terminatur XXIX. V. Non. Maii Luna Aprilis eſt. Illa vero quae eſt prima IV. Non. Maii, & finitur XXX. IV. Non. Jun., Luna Maii eſt; Luna enim, quae initiatur prima III. Non. Jun. finiturque XXIX. Kal. Jul. Luna Junii eſt. Luna namque quae incipit VI. Non. Jul., terminaturque XXX. prid. Kal. Aug., Luna Julii eſt. Poſtea autem fit Luna in Kal. Aug. prima in Kal. Septemb. III., ſicut ordo habet. Nam ſi non feciſſes unam aetatem Lunae in Kal. Apr., & in Kal. Maii, & ſi non fuiſſet Luna Emboliſmalis, quae finitur XXX. in Apr., ſed XXIX. eveniſſet tibi in ipſo anno in termino Paſchali, quod eſt XIV. Kal. Maii, non XIV. ſed XV., & fuiſſet error in Paſcha, ſeu in aetatibus Lunae.

Item de primo anno Embolimaeo in Endecade.

CXXX. In primo igitur anno Embolimaeo Endecadis ſunt Epactae XX. & idcirco eſt Luna in Kal. Septemb. & Octob. XXV. in Kal. Novemb. & Decemb. XXVII. in Kal. Janu. XXIX. in Kal. Febr. prima. In Kal. Mart. XXIX. VI. Non. Mart. XXX. Luna Martii eſt. Illa autem Luna, quae V. Non. Mart. incipit, & extingit XXX. in Kal. Apr. Emboliſmalis eſt. Illa verò quae IV. Non. Apr. initiatur prima, ipſius Luna eſt, extingit XXIX. prid. Kal. Maii: Et Luna quae in Kal. Maii evenit prima, ipſius Luna eſt. Caeterae vero ordinem ſuum ſequuntur.

Item

Item de ſecundo anno Embolimaeo Endecadis.

In ipſo autem anno ſunt Epactae XXIII. Luna enim in Kal. Septemb. & Octob. XXVIII. in Kal. Novemb. & Decemb. XXX. Illa autem Luna, quae in Kal. Novemb. XXX. terminatur, Luna ipſius eſt Novemb. Et illa quae in Kal. Decemb. XXX. finitur Embolimaea. Quae verò prima IV. Non. Decemb. inchoat, finitque XXIX. III. Kal. Jan., ipſa eſt Decemb. in Kal. Janu. II., & in Kal. Febr. III. Caeterae autem ordinem ſuum ſequuntur. CXXXI.

Item de tertio anno Embolimaeo Endecadis.

Sunt autem in ipſo anno Epactae XXVI. Nullatenus tamen Lunam Emboliſmalem per ipſas Epactas reperies, niſi ad Epactas anni communis ſuperioris reverteris. Nam anno communi praeterito fuerunt Epactae XV. Ideo autem Luna in Kal. Aug. XXIX., ibique terminatur quia Luna ipſius eſt. Illa verò, quae IV. Non. Aug. inchoat, finiturque XXX. prid. Kal. Septemb. Embolimaea eſt. In Kal. igitur Septemb., & Octob. per Epact. XXVI. fit Luna prima. Caeterae vero deinceps ordinem ſuum ſequuntur. CXXXII.

Item de IV. anno Embolimaeo Endecadis.

Sunt namque Epactae in ultimo Embolimaeo Endecadis XVIII. In Kal. autem Septemb. & Octob. Luna XXIII. In Kal. Novemb. & Decemb. XXV. In Kal. Janu. XXVII. In Kal. Febr. XXVIII. in Kal. Mart. XXVII. in Kal. Apr. & Maii XXVIII. in Kal. Jun. XXX. in Kal. Jul. prima. In Kal. Aug. II. in Kal. Septemb. V. Ideo namque facimus unam aetatem Lunae in Kal. Apr. & in Kal. Maii, quia Luna, quae in Kal. Apr. eſt XXVIII. IV. Non. Apr. XXIX. III. Non. Apr. XXX. Emboliſmalis eſt. Illa enim Luna, quae prid. Non. Apr. initiatur prima, & extenditur uſque in VI. Non. Maii XXIX Luna Aprilis eſt. Ipſa enim Paſchalis, & evenit XIV. XV. Kal. Maii. Et niſi ita feciſſes, eveniſſet tibi in termino Paſchali Luna XV., & fuiſſet error in Paſcha, ſive in aetatibus Lunae. Luna vero, quae initiatur prima V. Non. Maii, & finitur XXX. in Kal. Jun. Luna Maii eſt. Illa vero quae in Kal. Jul. eſt prima extingit III. Kal. Auguſt. XXX. Luna Julii eſt. Illa autem CXXXIII.

Luna,

Luna, quae in Kal. Auguſti eſt II. jam ordinem ſuum tenet; terminatur enim XXIX. V. Kal. Septemb. Ideo namque evenit Luna prima IV. Kal. Septemb., & III. Kal. Septemb. II. prid. Kal. Septemb. III. in Kal. verò Septemb. non IV. ſecundum compotum, ſed V. propter ſaltum.

De curſu Lunae per XII. ſigna in anno.

CXXXIV.

Aries.	AKE.	NHC.	MGB.	KEO.	DMG.	BLF.	Martius.
Taurus.	B.	OID.		LFA.	NH.	C.	Aprilis.
Gemini.	CLF.	AKE.	NHC.	MGB.	EOI.	DMG.	Majus.
Cancer.	DMG.	BLF.	AoID.	NHC.	FAR.	ENH.	Junius.
Leo.	ENH.	CMG.	BKE.	OID.	GBL.	FAoI.	Julius.
Virgo.	FAoI.	DNH.	CLF.	AKE.	HCM.	GBK.	Auguſtus.
Libra.	GBK.	EOI.	DMG.	BLF.	IDN.	HCL.	September.
Scorpius.	HCL.	FAK.	EMH.	CMG.	KEO.	IDM.	October.
Sagittarius,	IDM.	GBL,	FoAI.	DNH,	LFA.	KEN.	November,
Capricornus.	KEN.	HCM.	GBK.	EOI.	MGB.	LFAo.	December.
Aquarius.	LFAo.	IDN. K E.	HCL. M.	FAR. GBL.	NHC. OID.	MGB.	Januarius.
Piſcis.	MGB. NBC.	LFAo.	ID N. KE	HEM.	A B KE.	NHC. OID.	Februarius.
Aries.	OID,	MGB.	LFAo.	IDN.	CLF.	AKE.	Martius,

A	a	KAL. JANU. Circumciſio Domini.
	b	iv. Non.
B	c	iii.
	d	ii.
C	e	Non.
	f	viii. Id. Epiphania.
D	g	vii.
	h	vi.
E	i	v.
	k	iv.
F	l	iii.
	m	ii.
G	n	Id. Octava Epiphaniae.
	o	xix. Kal. Febr.
H	p	xviii.
	q	xvii.
I	r	xvi. Depoſ. S. Antonii Monachi. Sol in Aquario.
	ſ	xv.
K	t	xiv.
	u	xiii. S. Sebaſtiani Martyris
L	a	xii. S. Agnetis.
	b	xi. Natale S. Anaſtaſii ad aquas Salvias.
M	c	x.
	d	ix.
N	e	viii.
	f	vii.
O	g	vi.
	h	v. S. Perpetuae, & Agnetis.
A	i	iv.
B	k	iii.
	l	ii.

C	m	KAL. FEBR.
	n	iv. Non. dies S. Mariae.
D	o	iii.
	p	ii.
E	q	Non. S. Agathae.
	r	viii. Id.
F	ſ	Id. veris initium * habet dies XCI.
	t	vi.
G	u	v.
	a	iv.
H	b	iii.
	c	ii.
I	d	Idus.
	e	xvi. Kal. Mart.
K	f	xv. Diabolus retrorſum receſſit a' Domino.
	g	xiv. S. Julianae in campo Fauſtinae. Sol in Piſcibus.
L	h	xiii.
	i	xii.
M	k	xi.
	l	x.
N	m	ix.
	n	viii.
O	o	vii.
	p	vi.
A	q	v. Septb. Aegypt. menſe Famenoth.
	r	iv.
B	ſ	iii.
C	t	ii.

Digitized by Google

D	a	KAL. MART.
	b	vi. Non.
E	c	v.
	d	iv.
F	e	iii.
	f	ii.
G	g	Non.
	h	viii. Id. Prima incenſio Lunae Paſchalis.
H	i	vii.
	k	vi.
I	l	v.
	m	iv. Depoſ. S. Gregorii Papae.
K	n	iii.
	o	ii.
L	p	Idus
	q	xvii. Kal. Apr.
M	r	xvi.
	ſ	xv. Sol in Arietem.
N	t	xiv.
	u	xiii.
O	a	xii. Natale S. Benedicti Abbatis. XIV. Luna, & aequinoctium.
	b	xi. Primum Paſcha, & ſedes Ep. prim. ſcl. cl.
A	c	x.
	d	ix. Sedes concurrentium.
B	e	viii. Dominus crucifixus eſt, & conceptus.
	f	vii.
C	g	vi. Ogd. Endec. menſ. Farmuthi.
	h	v.
D	i	iv.
	k	iii.
E	l	ii.

	m	KAL. APRIL.
F	n	iv. Non.
	o	iii.
G	p	ii.
	q	Non. Ultima incenſio Lunae Paſchalis.
H	r	viii. Id.
	ſ	vii.
I	t	vi.
	u	v.
K	a	iv.
	b	iii.
L	c	ii.
	d	Id.
M	e	xviii. Kal. Maii.
	f	xvii.
N	g	xvi.
	h	xv. Sol in Taurum.
O	i	xiv.
	k	xiii.
A	l	xii.
	m	xi.
B	n	x.
	o	ix.
C	p	viii. S. Gregori Martyris.
D	q	vii. S. Marci Evang. & Letaniae Majores.
	r	vi. Nonus Aegypt. Amphaom Paſch.
E	ſ	v.
	t	iv.
F	u	iii.
	a	ii.

Digitized by Google

G	b	KAL. MAII. Natale Apoſtolorum Philippi, & Jacobi Fratris Johannis.
	c	vi. Non.
H	d	v. Inventio S. Crucis.
	e	iv.
I	f	iii.
	g	ii.
K	h	Non.
	i	viii. Id. Ortus Virgiliarum.
L	k	vii. Aeſtatis initium :†: habet dies XC.
	l	vi.
M	m	v.
	n	iv. Natale S. Pancratii Martyris.
N	o	iii.
	p	ii.
O	q	Id. Pentecoſtes primus.
	r	xvii. Kal. Jun.
A	ſ	xvi.
	t	xv. Sol in Geminos.
B	u	xiv.
	a	xiii.
C	b	xii.
	c	xi.
D	d	x.
	e	ix.
E	f	viii.
	g	vii. Dec. Aegypt. menſ. Paoni.
F	h	vi.
	i	v.
G	k	iv.
	l	iii.
H	m	ii. S. Petronillae.
	n	

I	o	KAL. JUN.
	p	iv. Non.
K	q	iii. Depoſ. S. Benedicti, & S. Johannis, & S. Fauſtini.
	r	ii.
L	ſ	Non.
	t	viii. Id.
M	u	vii.
	a	vi. Dedicatio S. Stephani.
N	b	v.
	c	iv.
O	d	iii. Bernabe Ap.
	e	ii.
A	f	Id.
	g	xviii. Kal. Jul.
B	h	xvii.
	i	xvi.
C	k	xv. Nicandri, & Marciani. Sol in Cancrum.
	l	xiv.
D	m	xiii. Gervaſii, & Protaſii.
E	n	xii.
	o	xi.
F	p	x. S. Jacobi Alphaei Apoſt.
	q	ix.
G	r	viii. S. Johan. Baptiſtae. Solſtitium.
	ſ	vii. Dec. Aegyp. Menſ. Ephipi.
H	t	vi. Johannis, & Pauli.
	u	v. Dedicatio S. Petri.
I	a	iv.
	b	iii.
K	c	ii. S. Pauli propriè Petoni Abbatis.
	d	

L	e	KAL. JUL.
	f	vi. Non.
M	g	v.
	h	iv.
N	i	iii. Dedicatio S. Martini.
	k	ii.
O	l	Non.
	m	viii. Id.
A	n	vii.
	o	vi.
B	p	v.
	q	iv. Naboris, & Felicis.
C	r	iii.
	ſ	ii. Dies Caniculares.
D	t	Id.
	u	xvii. Kal. Aug.
E	a	xvi.
	b	xv. Depoſ. Hermereſii Abb. Sol in Leone.
F	c	xiv.
	d	xiii. S. Severi.
G	e	xii. S. M. Magdalenae.
	f	xi.
H	g	x. S. Apollinaris Martyris.
	h	ix.
I	i	viii. Jacobi Zebedaei Apoſt. fratr. Johannis.
	k	vii.
K	l	vi.
	m	v. Nazarii, & Celſi.
L	n	iv.
	o	iii.
M	p	ii.

	q	KAL. AUG.
N	r	iv. Non.
	ſ	iii.
O	t	ii.
	u	Non.
A	a	viii. Id. Romae Sixti, Feliciſſimi, & Agapiti.
	b	vii. Autumni :†: initium.
B	c	vi.
	d	v.
C	e	iv. Natale S. Laurentii.
	f	iii.
D	g	ii.
	h	Id.
E	i	xix. Kal. Sept.
	k	xviii. Adſumptio S. Mariæ.
F	l	xvii.
	m	xvi.
G	n	xv. Sol in Virgine.
	o	xiv.
H	p	xiii.
	q	xii.
I	r	xi.
	ſ	x. Autumnus oritur.
	t	ix. Reſidui v. dies Aegyp. Epagomenae.
	a	viii. Natale S. Bartholomaei Apoſtoli.
	b	vii.
M	c	vi.
	d	v. Natale S. Auguſtini.
N	e	iv. Decollatio S. Johannis Baptiſtae. Primus Aegyptiis menſ. Thoth.
	f	iii.
O	g	ii.

Digitized by Google

	h	KAL. SEPTEMB.
A	i	iv. Non.
	k	iii.
B	l	ii.
	m	Non.
C	n	viii. Id.
	o	vii.
D	p	vi. Nativitas S. Mariae.
	q	v.
E	r	iv.
	ſ	iii.
F	t	ii.
	u	Idus.
G	a	xviii. Kal. Octob. Cornelii, Cypriani, & Exaltatio S. Crucis.
	b	xvii.
H	c	xvi. S. Euphemiae, & S. Luciae.
	d	xv. Sol intrat in Libram.
I	e	xiv.
	f	xiii.
K	g	xii.
	h	xi. Matthaei Apoſt. & Evangeliſtae.
L	i	x. Paſſio S. Mauricii Martyris.
	k	ix.
M	l	viii.
	m	vii.
N	n	vi.
	o	v. Coſmae, & Damiani.
O	p	iv.
	q	iii. Dedicatio Baſilicae S. Angli Aegypt. mens Saofi.
A	r	ii. Depoſ. Hieronymi Presbyteri.
	ſ	

B	t	KAL. OCTOB.
	u	vi. Non.
C	a	v.
	b	iv.
D	c	iii.
	d	ii.
E	e	Non.
	f	viii. Idus.
F	g	vii.
G	h	vi.
	i	v.
H	k	iv.
	l	iii.
I	m	ii.
	n	Idus.
K	o	xvii. Kal. Novemb.
	p	xvi.
L	q	xv. Lucae Evang. Sol in Scorpionem.
	r	xiv.
M	ſ	xiii.
	t	xii.
N	a	xi.
	b	x.
O	c	ix.
	d	viii.
A	e	vii.
	f	vi.
B	g	v. Apoſtoli Simonis, & mutet h. ter. Aegypt. menſ. Athyr.
	h	iv.
C	i	iii.
	k	ii.

D	l	KAL. NOVEMB.	E	a	KAL. DECEMB.
	m	iv. Non.		b	iv. Non.
E	n	iii.	F	c	iii.
	o	ii.		d	ii.
F	p	Nonae.	G	e	Nonae.
	q	viii. Id.	H	f	viii. Id.
G	r	vii. Hyemis initium :†: habet dies XCII.		g	vii. S. Ambroſii.
	ſ	vi.	I	h	vi.
H	t	v.		i	v.
	u	iv. S. Marci Epiſcopi.	K	k	iv.
I	a	iii.		l	iii.
	b	ii.	L	m	ii.
K	c	Idus.		n	Id. S. Luciae de Syracuſis.
	d	xviii. Kal. Decemb.	M	o	xix. Kal. Janu.
L	e	xvii.		p	xviii.
	f	xvi.	N	q	xvii.
M	g	xv. Sol in Sagittario. Teclae Virginis.		r	xvi.
	h	xiv.	O	ſ	xv. Sol in Capricorno.
N	i	xiii.		t	xiv.
	k	xii.	A	u	xiii.
O	l	xi.		a	xii. In India translatio Thomae Apoſtoli.
	m	x. Natale S. Ceciliae.	B	b	xi.
A	n	ix. Natale S. Clementis.		c	x.
	o	viii. Chryſogoni.	C	d	ix.
B	p	vii.		e	viii. Nativ. D. N. J. C.
	q	vi.	D	f	vii. S. Stephani.
C	r	v. Quart. Aegypt. menſ. Choeac.		g	vi. S. Johannis.
	ſ	iv.	E	h	v. Infantium & lactentium.
D	t	iii.		i	iv.
	u	ii. Natale S. Andreae.	F	k	iii.
				l	ii. S. Columbae Virg. & Silſtri.

De curſu Solis per XII. ſigna.

Quaſi quodam modo IV. dierum munera primordialis IV. dierum creationis deſignarent. Et quia prima die lux condita eſt, prima die lucis materia oſtendit mihi. Secunda die Creator firmamenti pulchritudinem extendit inter aquas, & aquas. Secunda die in muneribus veſtimenta Sacerdotalia diviſionum inter corpora Sacerdotum, & popoli demonſtrare cognovi. Tertia die, terra cum ornamentis ſuis apparuit. Tertia die auri electiſſima ſpecies, quae gremio eruitur terrae, directa eſt mihi. Quarta die Sol honor ſeculi cum ſideribus coelo inditus eſt. Quarta die clara quaedam, & rotunda in ſimilitudine Solis ſpecies honor menſae allata eſt mihi, habens XXVII. ſemicirculos, qui ſi bis ducantur, erunt LIV. propter horas lunaris curſus, quibus per ſingula ſigna currere ſolet, habens circulum rotundum in medio propter Solis perpetuam rotunditatem, quomodo X. horae, & ſemis ſingulis menſibus adcreſcere ſolent. CXXXV.

Sol igitur primo anno poſt biſſextum initio primae horae noctis intrat in Arietem, & poſt dies XXX. & decem ſemis horis exit de Ariete, hoc eſt hora XI. noctis trigeſimae primae, & ſecundo puncto, & tertio puncto XI. hora ejuſdem noctis intrat in Taurum, & ibi moratur XXX. dies, & decem ſemis horas; & exit de Tauro IX. hora diei plena, & ibi habes unam horam ex IV. punctis in duobus ſignis, & fiunt duorum ſignorum LX. dies, & XXI. hora. Et decima hora diei intrat in Geminos, & exiet de Geminis VII. hora plena noctis, & duobus punctis. VIII. hora noctis, & tertio puncto intrat in Cancrum, & exiet de Cancro ſexta hora diei plena, & ibi habes ſecundam horam, & V. punct. Duorum ſignorum, & fiunt in Geminis, & in Cancro dies LX., & horae XXI. & habes in his IV. ſignis horas XLII. & dies CXX. Et intrat in Leonem ſeptima hora diei, & exiet de Leone quarta hora noctis, & duobus punctis decima horae & III. puncto. Quinta hora noctis intrat in Virginem, & exiet de Virgine tertia hora diei plena, & habes unam horam ex IV. punctis Leonis, & Virginis, & habent LX. dies haec duo ſigna, & horas XXI. & fiunt horum ſex ſignorum dies CLXXXII. & horae LXIII. & fiunt, ut dixi, dies CLXXXII. & tertius dies dimidius ex duodecim horis, & tres horae ſupra quadrantiles. Et intrat Sol in Libram hora diei quarta, & exiet de Libra prima hora diei, & ſecundo puncto ſecundae

horae

horae noctis exiet de Scorpione XII. hora noctis plena, & habes unam horam ex IV. punctis, & fiunt horum duorum ſignorum dies LX. & horae XXI. Et intrat Sol in Sagittarium prima hora diei, & exiet de Sagittario decima hora diei plena, & duobus punctis. Decima hora intrat in Capricornum tertio puncto XI. horae diei, & exiet de Capricorno hora IX. noctis plena. Et habent haec duo ſigna dies LX., & horas XXI. Has adde ad ſupra ſcripta ſigna, & habes dies CCC., & horas CV. Et intrat Sol in Aquarium decima hora noctis, & exiet de Aquario hora ſeptima diei, & ſecundo puncto hora octava, & intrat tertio puncto octava hora diei in Piſces, & exiet de Piſcibus ſexta hora noctis plena; & hae ſunt ſex horae, quae de punctis ſingulorum ſignorum adcreſcunt, & habent haec duo ſigna LX. dies, & XXI. horas. Has adde ad ſupraſcriptos dies vel horas, fiunt dies XII. ſignorum CCCLX. & horae CXXVI. Partire CXX. horas per XXIV. & fiunt quinquies XXIV. quot ſunt V. dies, & erunt totius anni tricenteni, ſexageni, & quinque dies, & ſex horae, quia ante habuiſti centum viginti ſex horas. Has ſex horas per quadriennium ductas faciunt XXIV. horas, quod eſt unus dies, quem Latini bis ſextum vocant; Et ſi non adderetur in Februario quarto anno haec dies, intraret * itaque Sol quartas decimas Kal. Apr. prima hora noctis in Arietem, & poſt CXX. annos traditas Solis, dum Arietem intrare debuiſſet, intraſſet itaque in Taurum, niſi dies XXX. in centum XX. annis biſſextiles augerent curſus illius. Hae & hujuſmodi rationes tam ſuaves ſunt in conſideratione ſcientibus, ut caeterae artes Philoſophiae ſolent eſſe dicenti, & intelligenti eas. Nam Philoſophi non fuerunt conditores harum artium, ſed inventores. Nam Creator omnium rerum condidit eas in naturis, ſicut voluit. Illi vero, qui ſapientiores fuerunt in Mundo inventores erant harum artium in naturis rerum, ſicut de Sole, & Luna, & Stellis facile poteſt intelligi. Quid enim aliud in Sole, & Luna, & ſideribus conſideramus, & miramur, niſi ſapientiam Creatoris? Et curſus illorum naturalis fertur. Itaque Abraham Patriarcha ex Aſtrologiae ratione Creatorem Deum intellexiſſe, & veneraſſe, & inde amicus Dei appellatus eſt, & temptatus in fide jam fortis inventus eſt. Nam dicunt Hebraei, exiſſe eum de Hur Chaldaeorum, ideſt de igne Chaldaeorum, qui Chaldaei ignem pro Deo coluerunt. Solebat Magiſter meus mihi ſaepe dicere: Sapientiſſimi hominum fuerunt, qui artes in naturis rerum invenerunt. Obprobrium grande, ut dimittamus eas perire diebus noſtris, ſed nunc

pusilla-

puſillanimitas multorum non curat rationes rerum, quas Creator condidit in naturis. Scis optime, quam dulcis eſt in rationibus Arithmeticae verſari, quam neceſſaria ad cognoſcendas Scripturas divinas, quam jucunda eſt cognitio coeleſtium aſtrorum, & curſus illorum; & tamen rarus eſt, qui talia ſcire curet, & quod pejus eſt, reprehendunt hoc ſcire ſtudentes, & ut cum * ille naturae rerum ignoratio inculpabilis potuiſſet illis * eſſet, ſi divinis ſe ipſos tradere voluiſſent Scripturis, & laborare in illis, in quibus vitae aeternae cognitio conſideratur, & ut potuiſſent Fidem Catholicam veraciter defendere, & fiducialiter ſtare contra adverſarios Chriſti, per quos multis modis Diaboli aſtutia fidem Catholicam impugnare ſtudet, & ſunt modo tempora, de quibus B. Paulus praedixit: *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidem a fide adtendentibus Spiritibus erroris, & doctrinis Daemoniorum in hypocriſi loquentium mendacium habentes cauteriatam ſuam conſcientiam* (a).

Item alia.

Si vis ſcire, quomodo adcreſcunt ſingulis annis menſibus Solaris curſus decem ſemis horas, multiplica decem per X. fiunt C. quia una hora decem minuta habet, Decies verò decem minuta faciunt C. minuta. Da unicuique diei ex triginta diebus tria minuta, faciunt XC. minuta, & remanent X. minuta. His adde quinque minuta, quae fiunt ex dimidia hora, & fiunt XV. minuta. Haec partire per XXX. faciunt tricies dimidium minutum XV. minuta. Et adcreſcunt quotidie in XXX. diebus tria minuta, & dimidia pars unius minuti.

Item alia.

Et ſi ſcire vis, quantum quotidie creſcat ad biſſextum, partire V. minuta in XXX. fiunt ſexies quinquies; ſexta pars unius minuti adcreſcit quotidie, ut dimidia hora fiat per menſem unum; hanc dimidiam horam duc duodecies, & fiunt ſex horae. Has multiplica in IV. quater ſex faciunt XXIV., quot ſunt horae unius diei per quadriennium adcreſcit, ut biſſextus fieri poſſit, & fiunt quarto anno CCCLXVI. dies, qui ſenarius numerus multum valet in circulo anni, nam CCCLX. faciunt ſexies ſexaginta, qui ſexagenarius ſit per denarium * eſſe perfectum, ſicut ſenarius per unitatem; nam unum

(a) *Legendum cum Vulgata*... quidam a fide, attendentes Spiritibus... mendacium, & cauteriatam habentes....

unum duo, & tres faciunt ſex, & eſt perfectus numerus in partibus ſuis. Ita ſexagenarius quamdam perfectionem habet, ſi partitur per denarium numerum. Nam ſemel decem, & bis decem, & ter decem ſexaginta ſunt; nam quantum valet in primo verſu numerorum ſenarius, ut perveniatur ad decem, tantum valet in ſecundo verſu numerorum ſexagenarius, ut perveniatur ad centum. Quicumque vero dies, qui ſuperſunt trecentenis ſexagenis diebus in ſingulis menſibus eſt ſexta pars menſis uniuſcujuſque. Sex verò horae, ex quibus quarto anno ſexta dies adcreſcit, habent ſuam perfectionem in partitione ſenarii numeri, ſicut paulo ante praefati ſumus, & ſicut Creator aequiſſimus in ſex diebus fecit omnia opera primordialis mundi, ut ſignificaretur in perfectione numeri ſenarii omnia in naturis ſuis feciſſe eum perfecta, & ille ipſe Creator magnus admirabilis perfectus eſt in natura ſua, cui placuit omnia in ſenarii numeri perfectione perficere. Unde & ſexto die creatus eſt homo perfectus anima, & corpore, propter quem omnia creata ſunt, quae ſex diebus condita eſſe leguntur. Unde & ipſe Deus Dei filius, qui eſt virtus, & ſapientia Dei ſexta aetate venit in Mundum ſalvare hominem, quem ſexta die creavit. Ita ſenarius numerus & in conditione primordialium creaturarum, & in ſucceſſione ſaeculorum, quae ſex aetatibus concurrerunt, & quod ſexta aetate venit filius Dei humanum genus reparare ad priſtinam dignitatem conditionis ſuae, multum valent tales rationes.

Item alia.

Si omnipotens Deus univerſa in pondere, & menſura, & numero diſpoſuit, ita ut etiam multitudinem ſtellarum nominibus ſimul numeroque complecteretur, quanto magis illius praecipui, maximique ſideris curſus glorioſe ordinatus extitit, qui ſuper omnia ſidera ſplendore pariter, atque virtute praecellit? De cujus ſubtiliſſimo, magnificoque curſu quamvis multa ſubtiliter magnificeque & dicta ſint, & dici poſſint, vix tamen aliquid invenitur, quod operoſius numerando aliquid, dum examinatur, quam quod de biſſexto, & quadrantis ratione diſtinguitur. De quo videlicet biſſexto quamquam multi & magni multa, & magna dixiſſent jam edidiſſent, propter compendium tamen legentium ſeu ſcire ejuſdem biſſexti incrementa volentium, quaedam ſecundum ingeniolum mihi ab omnipotenti Deo gratis datum breviter adnotare curavi, obſecrans ut ea

dile-

dilectione a legentibus ſuſcipiantur, quam noſtrae humilitati praebent. Et ſi quid largiente Chriſto utile invenerit, datori omnium bonorum mecum gratiae agantur. Si quid verò ineptum, corrigere, vel emendare caritatis ſtudio non dedignetur, & quanquam quaedam a majoribus ad minora, quaedam vero a minoribus ad majora numerari ſoleant, ſicut exemplis quamplurimis oſtendi poteſt; Nos tamen quia praefatos biſſextos non ex majoribus ad minora, ſed ex minoribus ad majora creſcendo * perducitur, incrementa illius ſubtiliter quantum noſtra puſillitas ratiocinando comprehendere valet, rimare cogitantes, a minimis inchoemus, ut ad majora Domino ducente pervenire valeamus. Verum tamen illud non eſt praetereundum, quod in quibuſdam locis per aequas diviſiones, ſeu collectiones, vel a minimis ad majora, vel a majoribus ad minora praefata ratio duci poteſt, eo quod propter indiviſibilem, ſeu inſenſibilem atomi quantitatem ſectio ulla haberi nequit. Sed & ad illud commemorandum, quod in quibuſdam praedictorum numerorum nominibus, ſeu numeris auctoritatem, in quibuſdam verò conſuetudinem in hoc ipſo opere tamdiu ſequimur, quouſque aliquis nobis auctoritatem majorem tribuat, aut conſuetudinem meliorem oſtendat. Ut igitur quibuſdam placet, atomi CCCLXXVI. faciunt unum Oſtentum. Oſtentum vero & dimidium procreant unum momentum continent atomos DLXIV. Momenta autem duo, & duae partes unius momenti procreant partem unam habentem oſtenta IV., atomos MDIV. Pars quoque, & dimidia efficiunt minutum unum comprehendens minuta IV., oſtenta VI. Atomos $\overline{\text{V}}$CCLVI. Minuta etiam duo gignunt punctum unum amplectentem partes IV., momenta VIII., Oſtenta XII., atomos $\overline{\text{IV}}$DXII.; Puncta verò V. complent horam unam conſtantem minutis X., partibus XV., momentis XL., oſtentis LX., atomis $\overline{\text{XXII}}$DLX. Horae autem XXIV. reddunt unum diem habentem puncta CXX., minuta CCXL., partes CCCLX., momenta CMLX., oſtenta MCDXL., atomos $\overline{\text{DXLI}}$. CDXL. Dies autem XXX. efficiunt ſignum unum continens DCCXX. puncta, $\overline{\text{III}}$DC. minuta, $\overline{\text{VII}}$CC. partes, $\overline{\text{X}}$DCCC. oſtenta, $\overline{\text{XLIII}}$CC. atomos ſedecies mille millia CCXLIIICC. Signa autem XII. reddunt dies CCCLX. horas $\overline{\text{VIII}}$DCXL., punctos $\overline{\text{XLIV}}$CC., minuta $\overline{\text{LXXXVI}}$CD., partes $\overline{\text{CXXIX}}$DC., oſtenta $\overline{\text{DXVIII}}$CD., atomos centies nonagies mille millia, & quater mille millia, & $\overline{\text{CMXVIII}}$CCCC. Et deſunt ad completionem anni ſolaris dies V. & quadrans, qui habent horas CXXIII., puncta DCXXX., minuta MCCLX., partes MDCCCXC., mo-

momenta V̄XL., oſtenta V̄IIDLX., atomos bis mille millia D̄CCCXLII-DLX. Qui numeri ſinguli ſi diligenti cura conſiderantur, reddunt, ut dictum eſt, dies V. & quadrantem, quorum rurſus dierum & quadrantis ſumma collectio propter tarditatem Solis per ſigna.

Item alia.

Inter primum enim diem ſpiritalem adſtrues eſſe creaturam, & quomodo habuit veſpere, & mane? Reſpondetur: Omnis namque creaturae cognitio in ſemetipſis veſpere erat; in Deo autem mane, quia plus videtur ipſa creatura in Deo, quam in ſe ipſa videtur; creatura ſcilicet plus videtur in arte, quia facta eſt. Propterea enim ait Evangeliſta Johannes *Quod factum eſt in ipſo vita eſt*. Omnia igitur, quae facta ſunt, & vitam habent in ipſo verbo Dei, vita ſunt, in ſe ipſa non ſunt vita. Coelum, terra, lapis vitam non habent, & tamen in Deo vita ſunt. Vivant igitur in Deo ſine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum. Ac per hoc plus videtur in Angelis Sanctis in Verbo Dei, ubi ſunt vita, quam in ſe ipſa. Ergo in cognitione firmamenti ſecundus in cognitione diſcretionis terrae, & maris. Tertius in cognitione Solis, ac Lunae, & ſtellarum. Quartus in cognitione reptilium. Quintus in cognitione jumentorum, & ferarum, vel ipſius hominis ſextus neque enim hi dies Solares intelligendi ſunt, ſed ipſius diei unius, quem intelligimus ſpiritalem creaturam, ideſt Evangelicam, ſexies facta cognitio. Sex dies fecit propter ſenarii perfectionem. Si vis ut aliquid tibi de Scripturis colligam, libens adeſto, & totum te ad audiendum praepara. Unus in numeris dividi non poteſt, ab ipſo enim ſurgit omnis numerus. Ergo duo dividi poſſunt, & pars ejus unus eſt. Igitur diviſio duorum in unum eſt. Quid aliquid hic numerus oſtendit, niſi Trinitatem, quae Deus eſt? Quae quamvis tres perſonae ſint, in una creduntur unitate naturae. Quaternarius ſcilicet duas partes habet; nam quarta ejus unus eſt, media ejus duo. Unum videlicet, & duo tria ſunt. Ecce partes ſuas nec ultra excreſcent, nec complent, & ideo imperfectus eſt numerus. Quinarius vero non habet niſi unum, quod eſt quinta ejus pars. Unus ſenarius igitur numerus perfectus eſt, quia partibus ſuis completur; habet enim unum, quod eſt ſexta ejus, duo, quod eſt tertia, tria, quod eſt dimidia. Unum ergo, duo, & tria ſex faciunt. Ideoque hujus numeri perfectionem ſex diebus operatus eſt Deus omnem

crea-

Digitized by Google

creaturam. Tres hae partes ſenarii numeri demonſtrant nobis Trinitatem numeri, menſurae, & ponderis feciſſe omnem creaturam. Primum valere ſenarii numeri perfectionem in Scripturis Sanctis frequenter reperimus, praeſertim in morte Domini ſimpla. Mors itaque D. N. J. C. non fuit in anima, ſed in carne ſola; mors vero noſtra non ſolum in carne, ſed etiam in animâ propter peccatum, in carne propter poenam peccati. Ille vero quia peccatum non habuit in anima, non eſt mortuus niſi tantum in carne, & hoc propter ſimilitudinem carnis peccati, quam de Adam traxerat. Igitur ſimpla ejus mors profuit de * plebe noſtrae, & ſimpla ejus reſurrectio profuit duple noſtra mors carnis ejus, & reſurrectio ejus mors animae noſtrae, & reſurrectio ejus duas mortes noſtras, & duas reſurrectiones noſtras, duas & duas quatuor ſunt; unam mortem Domini, & unam reſurrectionem ejus, adde quatuor noſtras, ſex faciunt. Igitur ſimplum Domini, & duplum noſtrum tres ſunt, & tres partes habet, ſecundum quod ſupra diximus, ſenarius numerus. Nam & XXXVI. horae, quibus fuit Dominus in Inferno, huic ſimplex, & duplex congruunt duodecim. Igitur horae fuerunt diurnae, & XXIV. nocturnae. Iſtae XXIV. nocturnae ad duplam mortem noſtram concinnant, & illae duodecim horae ad mortem Domini ſimplam. Revera enim natura ejus ſenarium numerum habet. XLVI. annis aedificatum eſt templum, adſtruerunt in Evangelio Judaei, quod intelligitur de corpore Domini. Quadraginta ſex anni pro diebus poſiti ſunt. XLVI. diebus dicunt infantem formari in utero, & ſubinde uſque in diem parturitionis augmentari. Quadragies quippe ſeni fiunt CCLXVI., qui faciunt menſes novem, & dies ſex. Compota ergo ab VIII. Kal. Apr., quando paſſus eſt Dominus, & tunc etiam creditur fuiſſe conceptus uſque ad diem VIII. Kal. Janu., & reperies dies a LXXVI., qui conſtat per ſenarium numerum. Quid de illa muliere in Evangelio, quam XVIII. annis curvaverat Satanas, quam ſanavit Dominus, niſi quia & ipſi anni ſenarium numerum habent? Ter igitur ſex decem, & octo faciunt. Illa itaque mulier intelligitur genus humanum, quod ſexta aetate ſcilicet a captivitate Diaboli Dominus liberavit. Prima aetas eſt ab Adam uſque ad Noe. Secunda aetas eſt a Noe uſque ad Abraham. Tertia aetas eſt ab Abraham uſque ad David. Quarta aetas eſt a David uſque ad tranſmigrationem Babyloniam. Quinta aetas eſt a tranſmigratione uſque ad adventum D. N. J. C. Sexta aetas, quae nunc agitur, donec excelſus veniat ad Judicium. Sexta igitur aetate ſeculi reformatur

genus humanum ad imaginem Dei. Profecto enim anni decem, & octo non ſolum ſex aetates, ſed etiam tria tempora evidenter demonſtrant; unum ſcilicet ante legem, alterum ſub lege, tertium ſub gratia. Igitur & ipſe annus ſenario numero continetur; habet enim dies CCCLV. ſexies quippe ſexageni CCCLX. remanent profecto V. & quadrans. V. dies ſexta ſunt menſis tamen ſi & illud pro die ponas aperte totum ſex faciunt. Ecce quantum me Deus adjuvet, de ſenarii numeri perfectione, etſi non quantum volui, tamen quantum potui, reddidi rationem.

De Luna per XII. ſigna.

CXXXVI. Luna duobus diebus, & VI. horis, & beſſe unius horae ſingula ſigna pervolat velociore ſuo curſu, Singula vero ſigna XXX. habent partes. Si vis ſcire quantas horas Luna peragat medium ſignum ideſt XV. partes cujuslibet ſigni, divide LIV. hor. in duas medietates, & beſſem unius horae, quae ſunt horae uniuſcujuſque ſigni, & habebis XXVII. horas, & medium ſignum partes XV. peragendas, & trientem, ideſt tertiam partem unius horae. In quibus horis XV. partes praepoſiti tibi ſignum Luna percurrit.

Si vis ſcire, quo ſpatio unam partem ſigni pervolat, tolle exinde XXII. horas XV. horas da ſingulis partibus ſingulas horas, remanent XII. horae. Has XII. divide per punctos ſingulos ea lege; quia hora a Luna * V. punctos habet ergo XII. ſi quinquies ducantur, faciunt LX. puncta; partire per XV. quater XV. LX. ſunt. Da IV. punctos ſingulis partibus, & videbis, quod unam partem ſigni Luna percurrit in ſpatio unius horae ex IV. punctis, & remanet triens, ideſt tertia pars unius horae; quot ſunt oſtenta XX., quia plena hora LX. habet oſtenta. Da ſingulis partibus unum oſtentum, & videbis, quod Luna ſpatio unius horae, & IV. punctorum, & unius oſtenti, quod eſt triens, partem unam ſigni, quod eſt triceſima pars unius ſigni, peragit.

De ſaltu Lunae per XIX. annos, quomodo decreſcit nox.

CXXXVII. Si vis ſapere in XIX. annis quomodo dies, & nox minuitur, quando Luna facit ſaltum, ſingulis annis & menſibus per momenta, & atomos unoquoque anno momenta L. & medium (* & nona decima pars de dimidio momenti) facit ipſe medius momentus atomis

* *Alia manu addita ſunt.*

mis CCLXXXII. in unoquoque menſe momenta IV. Et ſextam partem momenti, atomis XXIV. Secundo menſe momenta IV. & ſextam partem momenti, atomis XXIV. Tertio menſe momenta IV. & ſextam partem momenti, atomis XXIV. Et ſic in ſingulis menſibus. Haecque XII. menſes ad ſaltum Lunae; ſit ſumma in uno anno momenta L. & dimidium. De iſto momento facimus atomos CCLXXXII. Ipſa L. momenta faciunt unam horam, & quartam partem de hora, & dimidium momentum, ſimili numero in XIX. annis. Ad ſaltum Lunae momenta in XIX. annis CMLX. Ipſa momenta faciunt horas XXIV., quae minuit dies & nox in XIX. annis, quae Luna facit ſaltum.

De flexibus digitorum.

Ita digitorum flexus ſervantur per primum digitorum trium in CXXXVIII.
laeva ab extremo inflexionem palmae in medium artum dicitur I. II. III. cum dicis IV. extremum digitum leves. Cum dicis V. ſecundum ab extremo ſimiliter erigas. Cum dicis VI. modicum in medium palmae extremo, & medio levatis eriges. Quando ad VII. perveneris, minorem ſolum caeteris levatis ſuper palmae radicem pones, juxta quem in VIII. medium. In IX. autem impudicum e regione compones X. ungues indicis in medio fixus artu pollicis XX. ſummitas pollicis medio artu inter indicem, impudicumque XXX. * in inmollis in ſummitate pollicis indiciſque complexus XL. pollicis ſummitas adjiacens artui, in medio latere pone * a dorſu indicis L. curvate pollex in palmam caeteris erectis LX. pollicem curvam in exteriore artu inter eumdem artum, ungulamque indicis trie * undique medio tere indicis artum medio pollicis fronte inter artum & ungulam ſito circumpone LXX. pollicis artu curvato trans medium indicis artum radicem pollicis a latere circuivit * indicis LXXX. pollicem in longum tendens indice illius ſummitatem, ungulamque circumpone XC. indicis ungulamque in pollicis radice eriges. C. in dextera quomodo X. in laeva. CC. in dextera, quomodo XX. in laeva. CCC. in dextera, quomodo XXX. in laeva. CCCC. in dextera, quomo XL. in laeva. D. in dextera, quomodo L. in laeva. DC. in dextera, quomodo LX. in laeva. DCC. in dextera, quomodo LXX. in laeva. DCCC. in dextera, quomodo LXXX. in laeva. DCCCC. in dextera, quomodo XC. in laeva. Sic quoque a Mille currit in dextera compotus uſque $\overline{\text{VII}}$. quomodo currunt monades in

laeva

laeva I. uſque ad IX. $\overline{X}$. in ſiniſtra palma ſupra verticem ſupinatum retro ponas. $\overline{XX}$. eodem ſitu prona ſuper manum colli. $\overline{XXX}$. eodem ſitu prona in medio pectoris. $\overline{XL}$. eodem ſitu prona in latere dextro. $\overline{L}$. pollex in umbiculo. $\overline{LX}$. ſiniſtra palma ſub umbiculo ſupina. $\overline{LXX}$. eodem ſitu in inguine prona. $\overline{LXXX}$. eodem ſitu in femore ſiniſtro. $\overline{XC}$. eodem ſitu prona, ſed foris. Ita facitur in dextera manu, cum dicis C. millia. Cum autem dicis decies centena millia, duae palmae apertae erga faciem e regione interpoſitae, ſed ante aures retro reſpicientes tres digiti in ſiniſtra manu, ideſt auricularis, medicus, & impudicus uſque ad IX. continent. I. II. III. &c. Duo digiti in ſiniſtra manu, ideſt index, & pollex uſque ad XC. continent. X. XX. XXX. &c. Duo in dextera manu digiti ſemper continent uſque ad CM. pollex, & index. C. CC. CCC. &c. Tres in dextera manu digiti continent uſque ad $\overline{IX}$., auricularis, impudicus, & medicus. M. $\overline{II}$. $\overline{III}$. &c. Continet ſiniſtra manus particulas ſemper uſque ad $\overline{XC}$. $\overline{X}$. $\overline{XX}$. $\overline{XXX}$. &c. Continet dextra manus per juncturas ſemper uſque ad $\overline{CM}$. $\overline{C}$. $\overline{CC}$. $\overline{CCC}$. &c.

In Dei nomine incipit ratio Paſchalis, & ceterorum CCCXVIII. Epiſcoporum, qui conſideratione feſti Paſchalis, & ceterorum ſapientium virorum, qui dixerunt auctoritatem.

CXXXIX. Cum omnes Apoſtoli de hoc mundo per univerſum orbem per ſingulas provincias Eccleſiae diverſa tenebantur jejunia. Nam & omnes Galli quacumque die VIII. Kal. Apr. fuiſſet, ſemper Paſcha celebrabant dicentes: Quid nobis eſt a XIV. Luna compotum cum Judaeis facere Paſchae? Sed ſicut eſt Domini natalis quocumque die evenerit VIII. Kal. Janu., ita & VIII. Kal. Apr., quando traditur Chriſti Reſurrectio, debemus Paſcha tenere. Orientales verò, ſicut Euſebii Caeſarienſis narrant eloquia, quocumque die in menſe Martio XIV. Luna fuiſſet inventa, Paſcha celebrabant. In Italia autem alii diebus XL. jejunabant, alii XX., alii VII. diebus, in quibus Mundus omnis concluditur, ſic ſufficit jejunare. Alii quia Dominus XL. diebus jejunaſſet, & alii XL. horas. Cum haec talis * obſervationis per ſingulas provincias, unde error erat Sacerdotibus, eo quod a quibus una Fides recta tenebatur, eorum diſſentirent jejunia. Tunc Papa Victor Romanae Urbis Epiſcopus hoc elegit, ut dirigeret auctoritatem, quia tunc non Hieroſolyma, ſed Caeſarea Metropolis dicebatur, unde Paſchalis ordinatio proveniret, quo modo Paſcha re-

Confer iſta cum iis, quae habent de iſto Concilio Beda, Baronius ad An. 198. & Labbe Tom. I. Concil. pag. 596.

cto ju-

cto jure a cunctis Catholicis celebraretur Eccleſiis, ubi Dominus, & Salvator mundi in carne fuerat converſatus. Accepta itaque auctoritate Theophilus non ſolum de ſua Provincia, ſed etiam de diverſis regionibus omnes Epiſcopos, & ſapientes viros ad Concilium evocavit. Ubi cum illa Sacerdotum, vel ſapientium virorum multitudo in omnibus Scripturis erudita in unum fuiſſet collecta; tunc praedictus Epiſcopus protulit auctoritatem ad ſe miſſam a Papa Victore, & quid ſibi operis fuiſſet injunctum oſtendit. Tunc pariter omnes Epiſcopi dixerunt. Primum nobis inquirendum eſt, quomodo in principio mundus fuerit factus, & cum hoc fuerit diligentius inveſtigatum, tunc poterit ex eo Paſchalis ordinatio ſalubriter pervenire. Dixerunt ergo Epiſcopi: Quo die credimus primum fuiſſe factum Mundum, niſi Dominico? Alii dixerunt: Quomodo ergo potes probare, quia primus dies dies Dominicus fuerit? Theophilus Epiſcopus dixit: Probate, quod dicitis. Epiſcopi reſponderunt: Secundum Scripturae auctoritatem Divinae factum eſt veſpere, & factum eſt mane dies unus, & ſecundus, & tertius, & quartus, & quintus, & ſeptimus. In quo ſeptimo requievit ab omnibus operibus ſuis, quem diem ſeptimum Sabbatum appellavit. Cum ergo noviſſimus dies ſit Sabbatum, quis poteſt eſſe primus, niſi Dominicus. Theophilus Epiſcopus dicit: Ecce de die Dominico quia primus ſit, probatum. De tempore quid vobis videtur? IV. autem tempora mundi in anno accidunt: Ver, Aeſtas, Autumnus, & Hyems. Quod ergo tempus primum factum eſſe creditis in mundo? Epiſcopi dixerunt: Vernum. Theophilus Epiſcopus dixit: Probate quod dicitis. Et illi reſponderunt: Scriptum eſt: *Germinet terra herbam feni ſecundum genus ſuum, & lignum pomiferum ferentem fructum*. Haec enim veris * temporibus videmus fieri. Theophilus Epiſcopus dixit: Quo loco caput mundi eſſe creditis? in principio temporis, an medio temporis, an in fine? Epiſcopi dixerunt: In Aequinoctio, ideſt VIII. Kal. Apr. Theophilus Epiſcopus dixit: Probate quod dicitis. Et illi reſponderunt. Scriptura dicit, quia *fecit Deus lucem, & vocavit Deus lucem diem, & fecit Deus tenebras, & tenebras vocavit noctem, & diviſit inter lucem, & tenebras aequas partes*. Theophilus Epiſcopus dixit: Ecce de die, vel tempore probaſtis. De Luna quid vobis videtur? utrum creſcentem, an plenam, an imminutam a Domino fuiſſe creatam? Epiſcopi reſponderunt: Plenam. Et ille dixit: Probate quod dicitis: Epiſcopi reſponderunt: Dicit divina Scriptura: *Fecit Deus duo luminaria magna, & poſuit ea in firma-*

mento

Digitized by Google

mento coeli, ut lucerent ſuper terram, Luminare majus, ut praeeſſet diei, & luminare minus initio noctis. Non poterat, * niſi plenum.

Nunc ergo inveſtigavimus, quomodo in principio factus fuerit mundus: ideſt die Dominico, verno tempore, in aequinoctio VIII. Kal. Apr. Luna plena. Per ipſum tantummodo tempus dies, & elementa reſurgunt. Theophilus Epiſcopus dixit: Nunc igitur agendum de ordinatione, quomodo debeamus Paſcha tenere. Epiſcopi dixerunt: Numquid dies Dominicus praeterire poteſt, & in eo Paſcha celebraretur, qui tot & talibus benedictionibus ſanctificatus eſt? Theophilus Epiſcopus dixit: Apertius ergo dicite, quibus, & qualibus benedictionibus eum fuiſſe ſanctificatum aſſeritis, ut ſcribere poſſimus. Epiſcopi reſponderunt: Prima illi benedictio eſt, quod in ipſó tenebrae remotae ſunt, & lux apparuit. Secunda illi benedictio eſt, quod de terra Egypti populus Iſraheliticus, velut de tenebris, quaſi per fontem Baptiſmi, per mare Rubrum de duro ſervitio fuerit liberatus. Tertia illi benedictio eſt, quia in eodem die coeleſtis cibus manna hominibus datum eſt: Quarta illi benedictio eſt, quia Moyſes mandavit ad populum: *Sit vobis obſervatus dies primus, & noviſſimus.* Quinta illi benedictio eſt, ut CXVII. Pſalmus dicit, qui totus de Paſſione, & Reſurrectione cantatur. De Paſſione ait: *Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini vindicavi in eis. Circumdederunt me ſicut apis, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.* Et interjectis verſibus: *Lapidem, quem reprobaverunt, factus eſt in caput anguli.* De Reſurrectione autem dicit: *Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus, & laetemur in ea.* Et item interjectis verſibus: *Conſtituit diem feſtum in confrequentationibus uſque ad cornu altaris.* Sexta illi benedictio eſt, quod in ipſa Dominus reſurrexit. Videmus ergo, quia diem Dominicum ſingulariter in Paſcha tenere praecepit. Theophilus Epiſcopus dixit: De tempore autem ad Moyſen mandatum eſt a Deo: *Hic vobis erit menſis initium menſium; Paſcha facite in eo.* Non dixit in prima die menſium, aut in decima, aut in alia qualibet, ſed totos XXX. dies in Paſcha ſanctificavit. Epiſcopi reſponderunt: Qui ſunt illi XXX. dies. Superius ergo jam reſponſum dedimus, principium mundi eſſe in Aequinoctio VIII. Kal. Apr., & ab VIII. Kal. Apr. uſque in VII. Kal. Mai: legimus conſecrandos. Theophilus Epiſcopus dixit: Et impium non eſt, ut illi tres dies Paſſionis Dominici tantum Sacramenti myſterium foras limitem excludantur? Paſſus namque Dominus ab XI. Kal. Apr. V. Fer. quam Coena Domini vocamus, quia nocte a

Judaeis

Judaeis traditus, quando & cum diſcipulis diſcubuit, quando & Judae praedixit, quod ab ipſo eſſet traditurus. Quod & ita conſtat fuiſſe ſuppletum, & VIII. Kal. Apr. reſurrexit. Quomodo ergo hi tres dies foras terminum excludentur? Epiſcopi dixerunt: Nulla ratione fieri debet, ut tantum Sacramentum foras limitem excludatur, ſed introducantur in ordine Paſchali hi tres dies. Conſtitutum eſt ergo in illa Synodo ut nec ab ante XI. Kal. Apr., nec poſt VII. Kal. Mai: Paſcha non debeant obſervare, & nec antea, nec poſtea cuicumque conſtitutum limitem tranſgrediendi eſſet libertas. Similiter & de Luna praeceptum divinum ſervetur, quod mandatum eſt per Moyſen, ſit vobis obſervatum a XIV. Luna uſque in XXI. Has ergo VII. Lunas conſtat fuiſſe conſecratas, ſed quia Judaei a XIV. Luna tenent Paſcha, nos neceſſe eſt a XV. uſque in XXI. celebrare Paſcha. Quando ergo ſit intra illum limitem conſtitutum ab XI. Kal. Apr. uſque in VII. Kal. Mai: dies Dominicus, & Luna aliqua ex illis VII. ſanctificata obveniret, Paſcha nobis juſſum eſt celebrare.

Incipit Epiſtola Cyrilli Alexandrinae Urbis Epiſcopi.

Antiquitus Eccleſia Paſcha XIV. Luna cum Judaeis celebrabat, CXL. quocumque die occurreret. Sed hunc ritum Sancti Patres in Nicaena Synodo prohibuerunt, conſtituentes non ſolum Paſchalem & menſem inquirere, ſed etiam diem Reſurrectionis Dominicae obſervare, & ob hoc Paſcha a XV. Luna uſque in viceſimam primam extenderunt, ut dies Dominicus non obmitteretur. Paſcha autem vocabulum non Graecum, ſed Hebraeorum eſt, nec a Paſſione, quam Phaſin Graecè dicimus pati, ſed a tranſitu Hebraeo verbo Paſcha appellata eſt, eo quod tunc populus Dei ex Aegypto tranſierit. Unde in Evangelio, *cum vidiſſet*, inquit, *Jeſus*, *quia venit hora*, *ut tranſiret de mundo ad Patrem*. Cujus nox ideo per vigiliam ducitur propter adventum Regis, ac Dei noſtri, ut tempus Reſurrectionis ejus nos non dormientes, ſed vigilantes inveniat. Cujus noctis duplex ratio eſt, ſive quod in eadem vitam tunc recepit, cum paſſus eſt, ſive quod poſtea hora, qua reſurrexit, ad judicandum venturus eſt. Eo autem modo agimus Paſcha, ut non ſolum mortem, & reſurrectionem Chriſti in memoriam revocemus, ſed etiam caetera, quae circa eum ad teſtantur, ad Sacramentorum ſignificationem inſpicimus; propter initium enim novae vitae, & propter novum hominem,

minem, quem jubemur induere, & exuere veterem, *expurgantes vetus fermentum, ut ſimus nova conſperſio, quoniam Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Propter hanc ergo vitae novitatem primus menſis novorum in anni menſibus ad celebrationem Paſchae myſtice adtributus eſt. Quod tertia hebdomada dies Paſchae celebretur, id eſt qui dies occurrerit a XV. in XXI. hoc ſignificat, quia toto tempore ſeculi, qui ſeptenario numero agitur, nunc tertium tempus eſt, quod hoc Sacramentum apparuit. Primum enim tempus eſt ante legem, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia. Ubi jam manifeſtum eſt Sacramentum prius occultum Prophetiae Aenigmaticae. Ideo & propter hoc tria tempora ſaeculi Reſurrectio Domini triduana eſt. Quod vero a XV. Luna uſque ad viceſimam primam per dies ſeptem Paſchalis dies quaeritur, propter ipſum numerum ſeptenarium in univerſitate. Unde & Johannes Apoſtolus in Apocalypſi ad ſeptem ſcribit Eccleſias. Eccleſia verò adhuc in iſta mortalitate carnis conſtituta propter ipſam mutabilitatem Lunae nomine in Scripturis ſignificatur. Varia autem obſervantia opinionum Paſchalis feſtivitatis interdum errorem gignit. Latini namque a tertio Nonas Martias uſque in III. Non. Apr. primi menſis Lunam inquirunt, & ſi XV. Luna die Dominico provenerit, in aliam diem Paſcha protrahunt. Graeci primi menſis Lunam ab VIII. Id. Mart. uſque in diem Non. Apr. obſervant, & ſi XV. Luna die Dominico concurrerit, ſanctum Paſcha celebrant. Hujuſmodi ergo diſſenſio inter utroſque Paſchalem regulam turbat. Communis autem annus dicitur, qui tantum XII. Lunas, hoc eſt dies CCCLIV. habet; dictus autem communis, quia ſaepe duo ita conjuncti incedunt invicem, & ſe in Paſchali ſolemnitate ſequuntur. Nam embolliſmalis annus ſemper ſolus eſt. Emboliſmalis annus eſt, qui XIII. menſes Lunares, ideſt CCCLXXXIV. dies habere monſtratur. Ipſe eſt annus Sancto Moyſi divinitus revelatus, in quo jubentur hi, qui longius habitabant, in ſecundo menſe Paſcha celebrare. Emboliſmus autem nomen Graecum eſt, quod interpretatur Latinè ſuperaugmentum, eo quod expleat numerum annorum communium, quibus XI. Lunares dies deeſſe cernuntur. Embolimaei autem anni, & communes ſic inveniuntur. Si enim a XV. Luna Paſchae praecedentis uſque ad quartam decimam ſequentis CCCLXXXIV. dies fuerint, Emboliſmalis annus eſt. Si CCCLIV., communis. Biſſextus eſt per annos IV. unus dies adjectus. Creſcit enim per ſingulos annos quarta pars aſſis, ac ubi quarto anno aſſem compleverit, biſſextilem annum

facit.

facit. Dictus autem biſſextus, quia bis ſexies ductus aſſem facit, quod eſt unus dies, ſicut & quadrantem propter quater ductum, quod eſt biſſextum, quod ſuper dierum curſum in anno Sol facit. A VI. autem Non. Mart. uſque in diem prid. Kal. Janu. in Lunae curſu bis adponitur, atque inde detrahitur. Intercalares autem dies idcirco vocantur, quia interponuntur, ut ratio Lunae ſoliſque conveniat. Calare enim ponere dicitur. Intercalare interponere. Epactas Graeci vocant, Latini adjectiones annuas Lunares, quae undenarium numerum uſque ad tricenarium in ſe revolvuntur, quas ideo Aegyptii adjiciunt, ut Lunaris menſis rationi Solis aequetur. Luna autem juxta curſum ſuum XXIX., & ſemis dies lucere dignoſcitur, & ſunt in anno Lunares dies CCCLIV. remanent ad curſum anni Solaris dies XI., quos Aegyptii adjiciunt, unde & adjectiones vocantur. Abſque his non invenies Lunam, quota ſit in quolibet anno, & menſe, & die. Iſtae Epactae ſemper in XI. Kal. Apr. reperiuntur in eadem Luna, quae fuerit eo die. Continentur autem circulo decemnovennali, ſed cum ad XIX. pervenerint, qui eſt circulus decemnovennalis, jam ſequenti anno non addes ſuper XXIX. XI., ut X. adnuncies, deſtructis XXX., ſed inde revertere ut XI. pronuncies.

Explicit Epiſtola S. Cyrilli.

Epiſtola Paſchaſini Epiſcopi ad Beatiſſimum Papam Leonem de indaganda ratione Paſchali. *Edita eſt a Bucherio, & aliis.* CXLI.

De nominibus Stellarum, quibus ex cauſis nomina acceperunt.

Sol appellatus, eo quod ſolus appareat obſcuratis fulgore ſuo cunctis ſideribus. Luna dicta quaſi Lucina, ablata media ſyllaba, de qua Virgilius: *Caſta fave Lucina.* Sumpſit autem nomen per derivationem a Solis luce, eo quod ab eo lumen accipiat, acceptum reddat. Stellae dictae a ſtando, quia fixae ſtant ſemper in Coelo; nec cadunt; nam quod videmus e coelo ſtellas labi, non ſunt ſtellae, ſed igniculi aere lapſi, qui fiunt, dum ventus altiora petens aethereum ignem ſecum trahit, qui tractu ſuo imitatur ſtellas cadentes. Nam ſtellae cadere non poſſunt, immobileſque ut praedictum, ſunt, & cum coelo fixae feruntur. Sidera dicta, quod ea navigantes conſiderando dirigunt ad curſum conſilium, ne fallacibus CXLII.

undis, aut ventis alio deducantur. Quaedam autem ſtellae idcirco ſigna dicuntur, quia ea nautae obſervant in gubernandis remigiis, contemplantes aciem fulgoremque eorum, quibus rebus ſtatus coeli futurus oſtenditur. Sed & omnes homines ea intendunt ad praevidendas aeris qualitates per aeſtatem, & hyemem, vernalemque temperiem. Ortu enim vel occaſu ſuo certis ſtationibus temporum qualitates ſignificant. Signorum primus Arcton, qui in axe fixus Septentrionali in ſe revolutus rotatur. Nomen eſt Graecum, quod Latinè dicitur Urſa, quae quia in modum plauſtri vertitur, noſtri eam Septentrionem dixerunt. Triones enim propriè ſunt boves aratorii dicti, eo quod terram terant, quaſi teriones. Septemtriones, enim non occidere axis vicinitas facit, quia in eo ſunt. Arctophilax dictus, Arctonidem ſcilicet curſum ſequitur eumdem, & Bootem dixerunt, eo quod plauſtro haeret, *multis ſignum expectabile ſtellis*. inter quas Arcturus eſt. Arcturus ſidus eſt poſt caudam majoris Urſae poſitum in ſigno Bootis, unde Arcturus dicitur, quaſi ἄρκτȣ ȣρὰ, quia Bootis praecordiis conlocatus eſt. Oritur autem Autumnali tempore. Orion Auſtrum ante Tauri veſtigia fulget, & dictus Urion ab urina, ideſt ab inundatione aquarum; tempore enim hyemis ortus mare, & terras aquis, ac tempeſtatibus turbat. Hunc Latini Jugulam vocant, quod ſit armatus, ut gladius, & ſtellarum luce terribilis, atque clariſſimus. Quo ſulgente omnis ſerenitas tollitur, ac obſcuratur, & imminere tempeſtas cernitur. Hyades dictae ab Hyan, ideſt a ſucco, & pluviis, nam pluviae hyetos dicuntur. Ortu quippe ſuo efficiunt pluvias, unde & eas Latini ſucculas appellaverunt, quia quando naſcuntur, pluviarum ſigna naſcuntur. De quibus Virgilius: *Arcturum, pluviaſque Hyadas*. Sunt autem ſeptem in fronte Tauri, & oriuntur tempore vernali. Pleiades a pluralitate dictae, quia pluralitatem Graeci a to * tylicton appellant. Sunt autem ſtellae ſeptem ante januam Tauri, ex quibus ſex videntur, nam later una. Has Latini, Virgiliuſque dicunt a temporis ſignificatione, quod eſt ver, quando exoriuntur. Nam occaſu ſuo hyemem, ortu aeſtatem primae, primaeque navigationis tempus oſtendunt. Canicula aeſtuale ſidus, quae & Syrius dicitur. Aeſtivis menſibus in medio centri coeli eſt, & dum Sol ad eam aſcenderit, conjuncta cum Sole, duplicatur calor ipſius. & diſſolvuntur corpora, & vaporantur. unde, & ipſi ſtellae dies Caniculares dicuntur, quando & moleſtae ſunt purgationes. Canis autem vocatur, propterea quod corpora morbo afficiat, ſive propter flammae candorem, quae hujuſmodi ſit, ut prae caeteris lu-

cere

cere videatur. Itaque quo magis eam cognoſcerent, Syrion appellarunt. Cometes ſtella eſt dicta, eo quod comas luminis ex ſe fundat, quod genus ſideris quando apparuerit, aut peſtilentiam, aut bella, aut famem ſignificat. Cometes autem Latinè crinitus appellatur, quia in modum crinium flammas ſpargit, easque Stoici dicunt eſſe ultra triginta, quorum nomina, & effectus quidam Aſtrologi ſcripſerunt. Lucifer dictus, eo quod inter omnia ſidera plus lucis ferat. Eſt autem unus ex Planetis. Hic propriè & jubar dicitur, eo quod jubas lucis oſtendat. Sed & ſplendor Solis, & Lunae, & ſtellarum jubar dicitur, quod in modum jubae radii ipſorum extendantur. Veſperus ſtella Occidentalis, quam cognominatam perhibent a Veſpero Spaniae Rege. Eſt autem & ipſa ex quinque ſtellis planetis noctem ducens, & Solem ſequens. Fertur autem, quod haec ſtella Oriens Luciferum, Occidens Veſperum facit. De qua Statius: *Et alterno dependitur unus in ortu*. Planetae ſtellae ſunt fixae in coelo, ut reliquae, ſed in aere feruntur. Dictae autem planetae apo to planos, ideſt ab errore; nam interdum in Auſtrum, interdum in Septemtrionem, plerumque contra Mundum, non numquam cum Mundo feruntur. Quarum nomina Graeca ſunt. Phaeton, Phaetonta, Phyriona aſperum, Stelbom. Has Romani nominibus Deorum ſuorum, ideſt Jovis, Saturni, Martis, Veneris, atque Mercurii ſacraverunt; decepti enim, & decipere volentes in eorum adulatione, qui ſibi aliquid ſecundum amorem praeſtitiſſent, ſidera adtendebant in coelo dicentes: Quod Jovis eſſet illud ſidus, & illud Mercurii, & concepta eſt opinio vanitatis. Hanc opinionem erroris Diabolus confirmavit, Chriſtus evertit. Jam vero illa, quae ab ipſis Gentilibus ſigna dicuntur, in quibus & animantium imago de ſtellis formatur, ut Arcton, ut Aries, Taurus, Libra, & hujuſmodi alia, hi qui ſidera perviderunt, in numerum ſtellarum ſpecie corporis ſuperſtitioſa vanitate permoti finxerunt, & ex cauſis quibuſdam Deorum ſuorum & imaginis nomen confirmarunt. Nam Arietem primum ſignum, cui, ut Librae, mundi lineam tradunt propter Ammonem Jovem ideò vocaverunt. In cujus capite qui ſimulacra faciunt arietis cornua fingunt, quod ſignum Gentiles ideo inter ſigna conſtituerunt, quia in Martio menſe, qui eſt anni principium Solem in eo curſum ſuum agere dicunt. Sed & Taurum inter ſidera conlocant & ipſum in honorem Jovis, eo quod in bovem ſit fabuloſe converſus, quando Europam tranſvexit. Caſtorem quoque & Pollucem poſt mortem inter noviſſima ſigna conſtituerunt, quod ſignum Geminos

dicunt.

dicunt. Cancrum quoque inde dixerunt, eo quod cum ad illud ſignum menſe Junio Sol venerit, retro graditur in modum Cancri, brevioreſque dies facit; hoc enim animal incertam habet primam partem, denique ad utramque partem greſſum dirigit, ita ut prior pars ſit poſterior, & poſterior prior. Leonem in Graecia ingentem Hercules occidit, & propter virtutem ſuam hunc inter aſtra, & duodecim ſigna conſtituunt. Hoc ſignum Sol cum adtigerit, nimium calorem mundo reddit, & annuos flatus, Eteſias nempe facit. Virginis etiam ſignum idcirco inter aſtra collocaverunt, propterea quod iiſdem diebus, in quibus per illud Sol decurrit, terra exhauſta Solis ardore nihil pariat. Eſt enim hoc tempus Canicularium dierum. Libram autem vocaverunt ab aequalitate menſis ipſius, quia VIII. Kal. Octob. Sol per illud ſignum currens Aequinoctium facit, unde & Lucanus: *Ad juſtae pondere librae*. Scorpium quoque & Sagittarium propter fulgora menſis ipſius appellaverunt. Sagittarius vir equinis cruribus deformatus, cui ſagittam, & arcum adjungunt, ut ex eo menſis ipſius fulmina demonſtrentur, unde & Sagittarius,

Incipit Epiſtola Dionyſii Exigui.

CXLIII. Dominis a me plurimum venerandis Bonifacio Primicerio Notariorum, & Bono Secundicaerio Dionyſius Exiguus, &c. *Edita a Bucherio in Append.*

Incipit Epiſtola S. Cyrilli V. Kal. Decembr.

CXLIV. Dominis venerabilibus Sanctis Fratribus Epiſcopis Aurelio, Valentino, ſed & omni Sanctae Congregationi &c. *Edita a Bucherio pag. 72. hunc autem finem in Codice noſtro habet.* Et omnia ſcripta autentica Synodi Nicaenae protuli Innocentio Presbytero ut adferat ad vos. Pax cum ſpiritu veſtro & meo in Chriſto Jeſu. Finit. Amen.

Incipit Epiſtola Sancti Proterii Alexandrini Epiſcopi ad Beatiſſimum Papam Leonem Romanae Urbis Epiſcopum de ratione Paſchali.

CXLV. Domino meo dilectiſſimo Fratri, & Conſacerdoti Leoni Proterius &c. *Edita a Bucherio pag. 82.*

Incipit

Incipit Epiſtola Moriani Epiſcopi Alexandrini de ortu Paſchali, eo quod ſenſerunt alii diverſè.

De eo quod ſcriptum eſt: *Poſt biduum Paſcha fiet*, incongruum CXLVI. fuit Paſcha Judaeorum in Aequinoctio, hoc eſt in VIII. Kal. Apr. In Aequinoctio renovatio noviſſima Mundi, & redemptio per Crucem Chriſti, quia in Aequinoctio fuit Mundi conſtructio, & compoſitione diſpar ſibi invicem fuerat utraque. Deinde Adam longitudo facta eſt, & potentia Dei tribus diebus factis; ſed Sol addidit curſum dierum, quando inluxit in Mundo quarto diei * e contrario dempſit. cur * noctium etenim Adae venerationem & honorem aequinoctii noviſſimi, & Paſchae Chriſti perſignata eſt, & facta eſt prima Mundi conſtructio in aequinoctio primo. In aequinoctio quaque facta eſt ſolutio, & redemptio Iſrahel de ſervitute Judaeorum, & in eodem aequinoctio poſt XII. Kal. Apr. praecepit filiis Iſrahel celebrare Paſcha, quod eſt typus Paſchae futuri Chriſti per omnia in finem ex initio. Typus namque Chriſti agnus, qui eſt occiſus, & manducatur quotidie Agnus a ſeptem viris, hoc eſt a ſeptem gradibus Eccleſiae. Tantum autem miniſterium Dei ſcitote, quod non mirum ſi accenderet, * ſi in judicium convenerit aequinoctium, quod eſt VIII. Kal. Apr. ſexta Feria Luna XIV., & reſurrectio Luna XVI. poſt XII. Kal. Apr., quod aequinoctium vernale, hoc eſt initium anni Solaris, & ante hoc initium non facitur Paſcha apud Hebraeos, & Graecos, & Latinos, niſi in errore, quia dies Dominica, in qua facta eſt lux, non fuit ante XII. Kal. Apr., quod eſt in nocte II. Feria numero crucis. XII. autem Kal. Apr. III. Feria, & X. Kal. Apr. IV. Feria, in qua dictum eſt: *Poſt biduum Paſcha fiet*. Deinde aliquod ita fiat poſt biduum Paſcha, ideſt poſt completionem, & integritatem duorum teſtamentorum, & tranſcenſus ad regnum Dei conveniente ad VI. Feriam aequinoctio Luna XIV. & ſolemnitate Reſurrectionis die Dominica, hoc eſt totius generis humani, ex quo genere virga de radice Jeſſe exiit, quae redemit Iſrahel de Aegypto, quae converſa eſt in Serpentem; ut liberarentur Iſrahelitae ab Aegypto. Quid Serpens perſuaſit homini, hoc eſt Diabolus mortem. Si ergo a Serpente eſt mors, Virga in Serpentem, Chriſtus in mortem, Serpens exaltatur in heremo aere, ut ſanaret vulnera corporum reſpicientem * aenium. Ut ſolvit ſervitutem Iſrahelitarum famulantium in Aegypto, ſic omnis

* Moyſi

* Moyſi a ſerpentibus a venenis intuendo Serpentem magnum Sacramentum quod eſt intuendo Serpentem ſanari, niſi credo in mortuum Chriſtum ſanari a morte peccatorum. Et ut liberaretur populus ab Aegypto per Virgam in Serpentem converſam, & Agnum in Paſcha occiſum, hoc eſt Chriſtum in mortem, ita liberator totum humanum genus in Paſcha Paſſionis Chriſti, qui eſt verus ſerpens occidens Serpentem, ideſt Diabolum, & devorans Virgas Magorum, ideſt Philoſophorum, & miniſtrorum Diaboli. Qui eſt autem, expavit Moyſes, & fugit, quia quando mortificatus eſt Chriſtus, expaverunt, & fugerunt diſcipuli. Caudam apprehende poſteriore adprehendente, ut eſt illud. *Poſteriora mea videbis*. Primo factus eſt Serpens ſed cauda retenta, viſus eſt Caephae, deinde XI. Eſt etiam in cauda Serpentis finis ſeculi, quia mortalitas generis humani ambulat per mortem a Diabolo inlatam, ſed in fine ſeculi, ſicut a cauda redimus ad manum Dei, & efficimur ſtabilitum regnum Dei. Poſt haec autem omnia breviter dicam, quod numquam breviter apud Hebraeos ante XII. Kal. Apr. quia Luna nata in VIII. Id. Mart. XIV. in XI. Kal. Apr. Obſerva igitur curſum Lunarem juxta regulam Graecorum, & more Aegyptiorum, & non ſecundùm Epactas, ideſt adjectiones Lunares, quia ibi pervenitur a IV. Luna uſque ad XVI. hic autem ad XV. juxta compoſitionem Euſebii, qui primus conſcripſit circulum XIX. annorum, Athanaſii, Theophili, Cyrilli, Dionyſiique exigui, uſque dum ſcripſit Victorius Hilario Papae Urbis Romae Epiſcopo. Tunc acceſſerunt diſputatores Alexandrini, & Antiocheni circulos poſt alios deſcribere. Finiunt hae Epiſtolae in Dei nomine Amen.

Incipit Praefatio Patronio Epiſcopo.

CXLVII Domino Beatiſſimo, & nimium deſideratiſſimo Patri Patronio Epiſcopo Dionyſius Exiguus, &c. *Edita a Bucherio pag.* 485. *Heic verò iſta leguntur.*

Quia verò S. Cyrillus primum Cyclum ab anno Diocletiani centeſimo quinquageſimo ſecundo caepit, & ultimum in anno XLVII. terminavit, nos a ducenteſimo quadrageſimo octavo anno ejuſdem, &c.

In me-

In nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti de Mundi principio.

Quomodo factus eſt Mundus initio creaturarum Dei? in quo die? in diebus menſis? & in diebus ſeptimanae? & in quo anno? & in quo tempore? ſive in die? an in nocte? & in qua hora? interrogamus. In Aequinoctio autem, & in die Dominico, & in communi anno, & in Ogdoade, & in prima hora creatus eſt, & in momento oculi omnia ſimul facta ſunt a Deo, ſecundùm Apoſtolum dicentem hunc ſermonem: *Ut dixit, omnia ſimul facta ſunt*, & ſimiliter a Deo vivo in die Judicii omnia ſimul deſtruentur, & in meliorem ſtatum renovabuntur. Recto ergo tramite dierum, quos praediximus ſuperius nuper, principium, & finis illorum numeratur, quod primum XII. Kal. Apr. in principio die Dominicae incipit, quaſi fuiſſet ante in ſabbato dimidium ipſius diei, & in ſexta hora Dominici diei finitur, ſed paulo poſt X. Kal. Apr. conſecutus eſt. Et ſimiliter in ſexta hora II. Feria conſummatus eſt, & X. Kal. Apr. uſque ad dimidium III. Feriae incipiens a ſexta hora ſecunda Feria migravit, & IX. Kal. Apr. uſque ad dimidium IV. Feriae apparuit, incipiens ante ſextam horam V. Feriae, & in hoc die Sol luxit. Initio ipſius, & in VIII. Kal. Apr. uſque ad dimidium V. feriae morabatur, incipiens a ſexta hora IV. Feriae ante, & in VIII. Kal. Apr. oſtenſa eſt Luna in coelo in fine illius diei in XIV. Lunae aetate. Sciendum eſt autem, cur major facta eſt Aurora Solis in principio Mundi, quam maneat in his temporibus, eo quod ſplendidior erat Sol ante peccatum Adae ſeptem lucernis, quas habebat, & non manet in eo, niſi una pars tantùm de ſeptem lucernis cauſa peccati illius Adae. Sed nemo potuiſſet ſuſtinere eum propter ardorem ejus, niſi defendiſſet nos Deus tribus coelis pro eo. CXLVIII

Nos ſcire volentibus, quomodo dicunt Hebraei XII. menſes anni, hoc modo reſpondemus: quod non adnumerant Judaei ſecundùm Solem, ſed ſecundùm curſum Lunae. Tantum adnunciat qui Lun. XXIX. & ſemiſſe utuntur aetati * cum uniuſcujuſque incipientis a XV. Luna primi menſis uſque ad XIV. Lunam Paſchae, excepto videlicet primo anno, quem curamus numerari a XV. Luna uſque ad XIV. Lunam primi menſis.

Initia menſium apud Aegyptios haec ſunt: IV. Kal. Septemb. IV. Kal. Octob. V. Kal. Novemb. V. Kal. Decemb. V. Kal. Janu.

Digitized by Google

VII. Kal. Febr. V. Kal. Mart. VI. Kal. Apr. VI. Kal. Maji. VII. Kal. Jun. VII. Kal. Jul. VIII. Kal. Aug. Ii ſunt intercalares dies, ut IX. Kal. Sept. VIII. Kal. Sept. VII. Kal. Sept. VI. Kal. Sept. V. Kal. Septemb. Et congregantur in unum apud Aegyptios intercalares dies, quia CCC. * unius menſis non habent ſecundùm Solem, ſed trecenteſim. XII. menſes habere monſtrantur. Illi autem Aegyptii ſupradicti totum annum complent, incipientes a IV. Kal. Septemb. uſque in IV. Kal. Septemb. Sciendum eſt nobis quot ſunt partes menſis, & quot habuerunt apud Romanos. Primum illud autem hoc modo ſolvitur: Quatuor partibus monſtrantur habuiſſe, ut eſt tres menſes, & XIV., & decimus. Sed tamen principium incipientes a Menſe Martio, & Aprili, & Majo annum totum ſuum compleverunt in tribus menſibus. Et aliquando in IV. menſibus, quando Junius conjungitur ipſis menſibus ſupradictis tribus, & tunc in decem menſibus adjectis quinque ipſis, ut eſt Jul. Aug. Septemb. Octob. Novemb. & Decemb., & tunc in XII. menſibus poſtea ii ſunt adjecti Janu. & Febr. omnibus, quos diximus nuper & conſummatur annus Solis per hos duodecim menſes. Sed de cauda anni Januarium, & Februarium addiderunt ſapientes Gentilium virorum. Nobis ergo interrogantibus, qui ſunt iſti, qui conſtituerunt menſes primitus a Romanis, ſcire convenit, hoc modo ſolvitur, quod Numa Pompilius, & Zyngus Duces mirabiles compoſuerunt menſes apud Romanos, & invenitur proprium numeris ipſorum ab ipſis menſibus, eo quod Numa Pompilius * Julium & Auguſtum tantum addidit, & Zyngus alios omnes compoſuit menſes in commemoratione Idolorum ſuorum facere utilitatem per hos menſes ſupradictos. Ideo facti ſunt omnes per poteſtatem Domini. Quibus modis nomina ſortiti ſunt menſes apud Romanos? Quatuor modis dicuntur: Idolis, Regibus, & numeris. ut eſt: Januarius a Jano Idolo accepit, quia in eodem menſe docuit Romanos, ut implerent illi ſua verba tota dicens: Lignum fumigantem oleumque * tincta ad corpus meum devorandum, & totos inimicos veſtros retro jacentem pro eo quod me videt morientem, omnes vos amici mei accendite, & poſtquam moriturus ſum, templum aedificate in nomine meo ad orandum in eo, & imaginem meam facite cum duabus ſpeciebus facies viri & mulieris, ut adorent me viri, & mulieres in hoc templo, & multa oſtia in eo templo aptate, ut aperiantur adverſus eos, qui vos perſequentur, & non poſſint bellum facere adverſus vos cauſa hujus rei. Et hic Janus bifrons, de quo accepit

Janua-

Januarius nomen; aliter Januarius de janua nomen accepit, quia hic eſt janua anni. Menſis Februarius dictus eſt de lavatione, quia Febrium interpretatur lavacrum, eo quod Lurconis, vel Luperci corpora ſua de immunditia hyemis lavaverunt, vel eo quod ſit febris. Deinde Februarius nominatur propter frigiditatem temporis iſtius. Martius de Marte Idolo accepit nomen, quia mortuus erat in illo Menſe, & propter hoc colebatur apud Gentiles hic menſis. Aprilis ab aperiendo dicitur, eo quod aperit Mundus flores in eo, vel eo quod aperitur coelum oculis, quod opertum nubibus erat ante. Majus dictus eſt de Majoribus Romanorum in ſapientia, vel de Maja matre Mercurii. Aliter de Majo Deo Idolo, qui Opiter magnitudine potentiae dicitur. Junius a Junioribus Romanorum dictus eſt in ſapientia. Aliter de Junone dictus eſt, quae ſoror Jovis, filia Saturni fuit. Julius a Julio Rege Romanorum dicitur propter honorem Regis. Nomen illius poſitum eſt in illo menſe, quia primus dedit regnum Romanis. Numa Pompilius hos duos menſes addidit Julium, & Auguſtum. Julius Caeſar cedente populo, quia per vim abſtrahit regnum. Auguſtus ab Auguſto Octaviano Rege dictus eſt. Auguſtus autem, qui ſolemniter ſtans interpretatur, quia per pacem invenit regnum. September eo quod ſit ſeptimus imber a Martio, qui eſt principium veris. Simili quoque ordine October, November, & December ex numero imbrium, atque veris acceperunt vocabulum. Kalendae dictae ſunt pro Kalendo, vel colendo, eo quod initia menſium apud Gentiles. Aliterque ideſt vocationis, quae fit a verbo Graeco Kalo, & interpretatur voco. Ideo Kalendae dicuntur a vocando, quia vocabantur omnes apud Gentiles in die hoc ad ſacrificandum ad oppidum magnum, & dicebatur eis, qui debuiſſent offerre. Kalendae Lunae dicebantur primitus, invento hoc nomine Lunae, ideſt prima Lunae primi menſis dicuntur Kalendae Menſium diebus. Nonae a nundinis dicuntur, eo quod in hoc die exercebantur nundinae. Aliter eo quod nonus dies ſit ante Idus. Idus a die dictae ſunt primitus in medio menſis, ut ejus cognoſceretur medietas. Id de die dicitur tranſmutata una litera, & immutatur u pro e, factumque eſt nomen. Aliter Graecum eſt, & interpretatur cor menſium, & nominis ejus genitivus invenitur, ut eſt Idus, Iduvum, Idibus. Interrogandum, quare dicatur menſis quarto Nonas habere, & ſexto Nonas, & quare non decem poſt Idus, & ſeptemdecim, & octodecim, aut ſexdecim? Ab Imperatoribus Romanorum factum eſt, ne alii inſidiatores dolum feciſſent uno die * fa-

cito conductionis, ut dubitatio eſſet in die conductionis abſque dubio quando * quam dabitur in menſem XXX. tertio dicitur malionienſem aurem. In menſe tricenario unum quarto dicitur malum id trigentarios trans diem ſilet trigentarios unos trans duos dies dic, quo incipit prid. Kal. Janu. abſque dubio incipit Apr. abſque biſſexto: Eodem autem die incipiunt, ſi biſſextus fuerit. Quarto autem die incipiunt Febr. & Mart. a die quo initiatur Janu. Die vero ex quo incipiunt Kal. Janu. Secundum initiatur Majus, tertio incipit Auguſtus, quarto incipit November. Hae ſunt obſervationes Kalendarum menſium.

Incipit Epiſtola Papae Leonis ad Marcianum Imperatorem per Darianum.

CIL. Tam multis per omnes Chriſti Eccleſias fides veſtrae pietatis innotuit, &c. *Edita eſt a Bucherio pag.* 78.

De Paſcha autem.

CL. Tamquam de maximo Sacramento ſalutis noſtrae paulo latius aliquid dicturus, etiamſi non eſt hujus temporis cuncta differere, prius oſtendere volo, quibus vel quantis rationibus Phaſe Domini cuſtodire praecipitur. Menſe primo decimo die menſis agnus anniculus immaculatus ſegregati, & feriari uſque ad XIX. & in nono decimo die Domino per Moyſen occidi praecipitur ab univerſo filiorum Iſrahel caetu ad veſperum, qua fractiones ipſe Dominus verus agnus, cum ad verum Paſcha progreditur, aliquid permanere volens, cuſtodit aliquas, non ſervari cupiens, commutavit, quia cum in primo menſe ſecundum praeceptum legis immolari dignatus eſt, & XIV. nullo modo pervenire ſuae Paſſionis tempore permiſerit. Aliqua tamen contra figuram feciſſe narrat Evangelium, quia cum a Juda traderetur Judaeis, non decima die menſis praemittendus eſt, & cum ſui corporis, & ſanguinis ſacramenta dare in ſua vita diſcipulis ſuis dignatus fuerit, hoc contra figuram feciſſe monſtratur. Cui ille agnus qui typo Chriſti in Paſcha praecipitur occidi, aſſatus igne cum capite, & pedibus, & intraneis poſt ſuam occiſionem conſumi a populo manducaretur. Hoc autem, ut mihi videtur, propter duas rationabiles cauſas Dominus feciſſe cognoſcitur. Nam cum Paſcha cum diſcipulis manducaret, niſi poſtea ſacrificium commu-

commutaſſet dicens: *Hoc eſt Corpus meum*, ſic etiam poſtea obſervari debere crederetur. Haec autem altera, ut opinor, cauſa, ut cum Corpus Domini integrum, & ſuum ſanguinem in ſe continens ante Paſſionem cernerent, hoc corpore ſpiritaliter refici crederent, & ſic etiam nunc a nobis crederetur. Hoc etiam intueri debemus, quod non XIV. ad veſperum, ut lex praecipit, ille agnus qui tollit peccatum Mundi, & Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, ſed quinto decimo die, in quo manifeſtum eſt diem Feſtum Judaeorum cum ſuo ſacrificio a Domino eſſe ſolutum. Sed quid in hoc intelligere debemus, quod prius figuralis Agni carnem comederet, & poſtea ſui corporis cibo ſuos Apoſtolos reficeret, & poſt Judaeorum typi cum noſtrum Paſcha immolatus eſt Chriſtus, hoc ut opinor ut non veritas figuram, ſed figura veritatem praecederet, quia non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale. Unde eleganter amica Sponſa Chriſti ſponſi univerſalis Eccleſia anathematizat eos, qui cum Judaeis Feſtivitatem Paſchalem XIV. Luna celebrari definiunt, & cetera. Et hujuſmodi umbralis obſervantiae, & hoc tantum obſervare dignatus eſt, quod & Dominus in primo menſe poſt quartam decimam diem Paſchalem feſtivitatem procedente una Sabbatorum celebrari ſine ulla ambiguitate cenſuerit, licet in hoc varietas Eccleſiae orta eſt, aliis ſufficere credentibus, ut non cum Judaeis XIV. Luna Paſcha celebrarent. Alii autem hoc fortiter, cauteque cuſtodiunt, ut immolationem veri Agni Dei, qui tollit peccata Mundi ante XIV. Lunam celebrare non audeant. Secundum illos legale praeceptum, quod & Dominus ad Paſſionem veniens minimè contempſit, obſervabitis * eum uſque ad XIV., quod nunc maximè Eccleſia auctoritatem Sedis Apoſtolicae ſequens obſervat. Sed & haec deferentes, quia non eſt hujus temporis per ſingula diſcurrere, ad ſpiritalem intelligentiam mentes etiam convertamus, quibus praecipitur ſpiritaliter menſe novorum XIV. die menſis primi Paſchalem carnem comedere, ut in vobis naſcentibus bonorum operum fructibus, cum Decalogi a nobis fuerint verba completa in Evangelii perfectione quater numero conſiſtentes * ternis noſtri agni in veſpere mundi, in quo ſeculorum finis pervenerit; non enim eſt * tenebricatis cordibus Spiritu Sancto noctem noſtram inluminante comedamus. Finit.

De

De nominibus Menſium.

CLI. Januarius, Aquarius, hydrodios. Februarius, Piſcis, Acthis; Martius, Aries, Crios. Aprilis, Taurus, Taurus. Majus, Geminus, Daſdamus. Junius, Cancer, Carcenos. Julius, Leo, Leon. Auguſtus, Virgo, Parthenos. September, Libra, Tygos. October, Scorpius, Scorpios. November, Sagittarius, Toxotis. December, Capricornus, Evoceros.

De Menſibus Hebraeorum.

Niſan, Aprilis. Jar, Majus. Siban, Junius. Tahani, Julius. Ab, Auguſtus. Elur, September. Theſeri, October. Marſuan, November. Casleu, December. Tereth, Januarius. Sabath, Februarius. Adare, Martius.

De Menſibus Macedonum.

November Apolus. December Audinaeus. Januarius Peritus. Februarius Diſthor. Martius Pſanticus. Aprilis Artemiſius. Majus Deſios. Junius Panemos. Julius Loos. Auguſtus Sarpieos. September Hyperberetheus. October Dius.

De Menſibus Aegyptiorum.

Thot Septemb. Paophi Octob. Athir Novemb. Chiac Decemb. Tubi Janu. Mechir Febr. Famenoth Martius. Farmuthi Aprilis. Paſchon Majus. Pacni Junius. Epiſa Julius. Menſuri Auguſtus.

De regulari Anno Domini, & de Indictione.

CLII. Ad annos Domini ab Incarnatione ideo mittimus XII. regulares, quia nato D. N. J. C. illa Indictione, quae tunc erat anni III. erant praeteriti, & remanſerunt XII. Propterea auctores ad ſupplendum numerum de ipſis XII. regulares conſtituerunt.

Ad Indictione vero ideo mittimus III. regulares, quia illi III. anni, qui de illa Indictione praeterierant, inde III. regulares conſtituerunt.

Ad

Digitized by Google

Ad biſſextum unum require, quia nato Domino primus annus erat poſt biſſextum.

Ad Cyclum decemnovennalem unum regularem mittimus, quia nato Domino unus annus Decemnovennalis Cycli praeceſſit.

Ad circulum Lunae de annis Domini duos ſubtrahimus, quia nato Domino de illo Cyclo Lunari duo anni remanſerunt.

Ad concurrentes IV. regulares mittimus, quia per quaternos VII. Cyclus Solaris diſcurrit, ideſt XXVIII. annos.

Ad Epactam per XL. multiplicamus, quia de anno Solari XI. remanſerunt, & per ipſos XI. ceteras Epactas multiplicamus.

Incipiunt in Chriſti nomine Argumenta Graecorum de Cyclis Paſchalibus Aegyptiorum, quae inveſtigata ſolertia Dionyſius Urbis Romae Sanctiſſimus Abbas utriuſque linguae Graecae videlicet & Latinae eleganti ſcientia praeditus compoſuit, & conſcripſit de numero annorum ab initio Mundi, vel Incarnatione D. N. J. C. quomodo invenire debeas, nec non & reliqua, quae ſubnexa ſunt.

Si vis ſcire annos ab initio Mundi, multiplica XV. CD., fiunt CLIII.
$\overline{\text{VI}}$. Iterum multiplica XV. XXI., fiunt CCCXV. Adde Indictionem ejuſdem anni, in quo computas, ut puta anni praeſentis, quae eſt III., fiunt ſimul $\overline{\text{VI}}$CCCXVIII. Iſti anni ſunt ab ortu Mundi. Hoc tantummodo memor eſto Lector ſolicitus, ut ſuccedentibus annis ſemper, quando ad XV. Indictionem perveneris, XXI. per XV. multiplices, iterumque per XXII. per XV. multiplica, & poſt XV. Indictionem completam, & unum ſemper adjice.

De Indictione.

Si vis ſcire de annis ab initio Mundi Indictionem facere, ſume annos ab initio Mundi, ut puta $\overline{\text{VI}}$CCCXVIII. Hos divide per XV. partem, quia Indictio per XV. annos diſcurrit, hoc modo: Prius ſubtrahe XV. CD., fit $\overline{\text{VI}}$. Remanent CCCXVIII. Iterum XX. XV. Fit CCC. Item XV. ſemel fit XV. remanent III. tota Indictio eſt. Si nihil remanſerit, decima quinta erit.

De

De annis ab Incarnatione D. N. J. C.

Si vis noſſe quotus annus eſt ab Incarnatione D. N. J. C. compota XV. quinquaginta quatuor, fiunt DCCCX. His ſemper adde XII. regulares. Propterea autem Auctores XII. regulares ad annos Domini adpoſuerunt, quia quando Incarnatio facta eſt, XII. anni de illa Indictione remanſerunt. Ideo autem Regulares dicuntur, quia numerum annorum Domini regulare videntur. XII. ergo additis ad praedictum numerum, fiunt DXXI. Adde Indictionem ejuſdem anni, cujus volueris, ut puta VI. fiunt ſimul DCCCXXVII. Iſti ſunt anni Domini N. J. C. Hoc tantummodo memor eſto Lector ſolicitus, ut ſuccedentibus annis ſemper quando ad quintam decimam Indictionem perveneris, ſi LIV. per XV. multiplicabis, iterum LV. per XV. multiplicabis, & poſt XV. Indictione completa & unum ſemper adjice, quibus additis ſemper XII. ſupraſcriptis regularibus, implebis numerum annorum Domini, & nihil remanet, quod per XII. addere poſſis, ſicut in aliis Indictionibus remanet, ut in prima Indictione I. in ſecunda II. in tertia tertia, vel uſque ad XIV. tot remanent de compoto ſupraſcripto, quota fuerit Indictio. In XV. vero Indictione ſi ad ſummam ſuperiorem, ideſt LIV. vel LV. per XV. multiplicabis, ſemper I. addas. Hoc argumento ad annos Domini inveniendos pervenies.

Item alia de annis Domini.

Si vis invenire annos ab Incarnatione Domini N. J. C., multiplica XV. quadragies, fiunt DC. & XV. terdecies, fiunt DCCXCV. Adde ſemper regulares XII. ad praedictum numerum, & Indictionem ejuſdem anni III. fiunt ſimul DCCCX. Iſti ſunt anni D. N. J. C. Hoc tantummodo memor eſto ſolicitus Lector, ut ſuccedentibus annis ſemper quando ad XV. Indictionem perveneris, ſi XIII. per XV. multiplicabis, iterum XIV. per XV. multiplica, & poſt XV. Indictionem unum ſemper adjice.

De Indictione.

Si vis ſcire, quota ſit Indictio anni praeſentis, ſume annos Domini, quot fuerint, ut puta DCCCX. His ſemper adjice III. regulares.

Digitized by Google

gulares. Propterea vero Auctores poſuerunt III. Regulares ad Indictionem, quia tertia Indictio erat, quando Incarnatio fuit. Tribus ergo additis ad praedictum numerum, anni Domini fiunt DCCCXIII. Hos partire per XV. partem, quia Cyclus Indictionum per XV. annos diſcurrit. ideo quinquageni XV. fiunt DCCL. Item quaterni quindecies, fiunt LX. remanent III. Tertia Indictio eſt anni praeſentis. ſi nihil remanſerit, XV. erit Indictio.

De Circulo Decemnovennali.

Si vis ſapere, quotus annus ſit Circuli decemnovennalis annorum: ſume annos Domini, qui fuerint, ut puta DCCCX. & ſemper I. regularem adjice, quia quando Incarnatio facta fuit, unus annus decemnovennalis Cycli praeceſſit. uno ergo addito ad annos Domini, fiunt DCCCXI. Hos partire per XIX. partem, quia Cyclus decemnovennalis per XIX. annos diſcurrit. XIX. quadrageni, fiunt DCCLX. Item bis decemnovies fit XXXVIII. remanent XIII. Tertius decimus Circulus eſt decemnovennalis anni praeſentis. Quod ſi nihil remanſerit, nonus decimus annus eſt decemnovennalis Cycli.

De Epactis Lunae.

Si vis cognoſcere, quot ſunt Epactae, ideſt adjectiones Lunares, ſume annos Domini, qui fuerint, ut puta DCCCX. hos partire per XIX. partem, quia Cyclus Lunaris per XIX. annos diſcurrit. Decemnovies quadrageni fiunt DCCLX. Item bis decemnovies fiunt XXXVIII., remanent XII. Hos per XI. partem multiplica, fiunt CXXXII. Hos partire iterum per XXX. partem. Quaterni triceni fiunt CXX., remanent XII. Duodecima Epacta eſt adjectionis Lunaris.

De Cyclo Lunae.

Si agnoſcere volueris, quotus Cyclus Lunae eſt qui decemnovennali Cyclo continetur, tene annos Domini in manu tua, qui fuerint, ut puta, DCCCX. De his ſemper ſubtrahe duos, quia quando Incarnatio facta eſt, duo anni de illo Cyclo Lunari remanſerunt. Subtractis ergo duobus, remanent DCCCVIII. hos partire per XIX. partem, quia Cyclus Lunaris poſt XIX. annos in ſe revertitur. Decem novies quadrageni fiunt DCCLX. Item bis decem no-

vies fiunt XXXVIII. remanent X. nonus Lunae eſt decemnovennalis Circuli. Quotiens autem nihil remanet nonus decimus eſt.

De Concurrentibus.

Si vis noſſe adjectiones Solis, ideſt Concurrentes ſeptimanae dies, ſume annos Domini, qui fuerint, ut puta DCCCX. & annorum Domini quartam partem ſemper adjice ſupra annos Domini, ſunt CCII. qui fiunt ſimul MXII. His ſemper adde IV. regulares. In fine fit omnis ſumma MXVI. hos partire per VII., quia Cyclus Solis per XXVIII. annos diſcurrit. Septies centum fiunt DCC. Item ſepties XL. fiunt CCLXXX. Itemque ſepties V. fiunt XXXV. remanet I. Tot concurrentes ſunt ſeptimanae dies, qui de Solis curſu perveniunt.

De Biſſexto.

Si vis ſcire, utrum biſſextus ſit annus, an vero annus praeparationis biſſexti: ſume annos Domini, qui fuerint, ut puta DCCCX. Hos partire per quartam partem. Si IV. tantum remanent, biſſextus eſt, quia poſt IV. annos peractos intervenit. Centum quaterni fiunt CD. Item nonageni quaterni fiunt CCCLX. Item deni quaterni fiunt XL. Item bis quaterni fiunt VIII. remanent duo. Secundus annus eſt praeparationis biſſexti. Si III. remanſerint, tertius annus erit praeparationis biſſexti. Si nihil remanſerit, hoc eſt, ſi totus numerus per quaternos aequalis fuerit, biſſextus annus erit. Ne tibi forſitan aliqua caligo erroris occurrat per omnem compotum, quem duces, ſi nihil ſupra fuerit, ſcies eumdem compotum eſſe, per quem duces, ut puta ſi per XIX. duces, & nihil ſuperfuerit, ſcies XIX. eſſe. Si per XV. duces, XV. ſi per VII. duces, VII. ſi per IV. quatuor.

Item de Biſſexto.

Si vis ſcire de biſſexto, tene annos Solaris Cycli, quicumque fuerint, in praeſenti anno V. G. XIV. annus Cycli Solaris eſt. Dimitte ſemper I. Remanent XIII. Partire per IV. partes. Dimitte XII. quia IV. terni ſunt. remanet I. Primus annus eſt praeparationis biſſexti. Si nihil remanſerit, biſſextus erit.

Sequuntur Cycli decemnovennales Cyrilli, & Dionyſii ab anno DCCXCVIII. incipientes, & in DCCCCLXXXVII. deſinunt.

De Cyclo Paſchali.

Paſchalem Cyclum Hippolytus Epiſcopus temporibus Alexandri Imperatoris &c. *Edita ſunt ab Iſidoro Hiſpalenſi Lib. VII. Cap. XVII. Origin.*

Incipit Tractatus Sancti Athanaſii Epiſcopi Alexandrini de ratione Paſchae.

Menſis hic vobis initium menſium primus erit vobis in menſibus anni &c. *Opuſculum iſtud olim miſi ad Cl. V. D. Bernardum de Montfaucon Monachum Benedictinum Congr. S. Mauri, qui & illud publici juris fecit Tom. II. pag. 741. Operum S. Athanaſii a ſe editorum; quare omittendum heic cenſui.*

Incipit Cyclus Annorum Octaginta, & quatuor, qui computatur die Kalendarum Januariarum Feſto & Gallo Conſulibus, (1) & impletur Siagrio, & Antonino Coſſ., (2) & redit ad caput Merobaldo, & Saturnino Coſſ (3) Et tertio redit ad caput Poſaeo, & Joanne V. C. Coſſ. (4)

(1) *eſt ann.* 298.
(2) *eſt ann.* 382.
(3) *eſt ann.* 383.
(4) *eſt ann.* 467.

Conſulat Lector egregiam de Paſchali Latinorum Cyclo Diſſertationem editam ab immortalis memoriae viro Henrico Noriſio S. R. E. Cardinali, qui haec pluribus illuſtravit.

Anni	Dies Solis	Luna xxi.	Paſch.	v. Id. Apr.	Lun. xxi.
ii.	die ii.	Lun. xxiii.	Paſch.	ix. Kal. Apr.	Lun. xvii.
iii.	die iii.	Lun. iv.	Paſch.	Id. Apr.	Lun. xvii.
iv.	die v.	Lun. xv.	Paſch.	Non. Apr.	Lun. xx.
v.	die vi.	Lun. xxvi.	Paſch.	xii. Kal. Apr. ſive xiv. Kal. Maj.	Lun. xvi. Lun. xv.
vi.	die vii.	Lun. ii.	Paſch.	v. Id. Apr.	Lun. xvii.
vii.	die ii.	Lun. xix.	Paſch.	Kal. Apr.	Lun. xix.
viii.	die iii.	Lun. xxviii.	Paſch.	Kal. Mai.	Lun. xxii.

ix.	die iv.	Lun. x.	Paſch. viii. Id. Apr.	Lun. xvi.
x.	die v.	Lun. xxi.	Paſch. v. Kal. Apr.	Lun. xix.
xi.	die vii.	Lun. ii.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xix.
xii.	die i.	Lun. xiv.	Paſch. iv. Non. Apr.	Lun. xvi.
xiii.	die ii.	Lun. xxv.	Paſch. viii. Kal. Apr.	Lun. xix.
xiv.	die iii.	Lun. vi.	Paſch. xviii. Kal. Mai.	Lun. xx.
xv.	die v.	Lun. xvii.	Paſch. Non. Apr.	Lun. xxii.
xvi.	die vi.	Lun. xxviii.	Paſch. xiv. Kal. Mai.	Lun. xvii.
xvii.	die vii.	Lun. ix.	Paſch. iv. Id. Apr.	Lun. xix.
xviii.	die i.	Lun. xx.	Paſch. Kal. Apr.	Lun. xxi.
xix.	die iii.	Lun. i.	Paſch. xi. Kal. Mai.	Lun. xxii.
xx.	die iv.	Lun. xii.	Paſch. viii. Id. Apr.	Lun. xviii.
xxi.	die v.	Lun. xxvi.	Paſch. iv. Kal. Apr.	Lun. xxi.
xxii.	die vii.	Lun. iv.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xx.
xxiii.	die i.	Lun. xv.	Paſch. iv. Non. Apr.	Lun. xvii.
xxiv.	die ii.	Lun. xxvi.	Paſch. viii. Kal. Apr.	Lun. xxi.
xxv.	die iii.	Lun. viii.	Paſch. xviii. Kal. Mai.	Lun. xxii.
xxvi.	die iv.	Lun. xix.	Paſch. iv. Kal. Apr.	Lun. xvii.
xxvii.	die vi.	Lun. xxx.	Paſch. xiv. Kal. Mai.	Lun. xix.
xxviii.	die vii.	Lun. xi.	Paſch. iv. Id. Apr.	Lun. xxi.
xxix.	die i.	Lun. xxii.	Paſch. vii. Kal. Apr.	Lun. xvii.
xxx.	die ii.	Lun. iii.	Paſch. viii. Kal. Mai.	Lun. xvii.
xxxi.	die iv.	Lun. xiv.	Paſch. viii. Id. Apr.	Lun. xx.
xxxii.	die v.	Lun. xxv.	Paſch. xi. Kal. Apr.	Lun. xvi.
xxxiii.	die vi.	Lun. vi.	Paſch. iii. Id. Apr.	Lun. xvii.
xxxiv.	die vii.	Lun. xvii.	Paſch. iv. Non. Apr.	Lun. xx.
xxxv.	die ii.	Lun. xxix.	Paſch. viii. Kal. Apr.	Lun. xxii.
xxxvi.	die iii.	Lun. x.	Paſch. vii. Id. Apr.	Lun. xvi.
xxxvii.	die iv.	Lun. xxi.	Paſch. iii. Kal. Apr.	Lun. xx.
xxxviii.	die v.	Lun. ii.	Paſch. xiii. Kal. Apr.	Lun. xx.
xxxix.	die vii.	Lun. xiii.	Paſch. iii. Non. Apr.	Lun. xvi.
xl.	die i.	Lun. xxiii.	Paſch. vii. Kal. Apr.	Lun. xix.
xli.	die ii.	Lun. v.	Paſch. xvii. Kal. Mai.	Lun. xx.
xlii.	die iii.	Lun. xvi.	Paſch. vii. Id. Apr.	Lun. xxi.
xliii.	die v.	Lun. xxvii.	Paſch. xi. Kal. Apr.	Lun. xvii.
xliv.	die vi.	Lun. xxviii.	Paſch. iii. Id. Apr.	Lun. xix.
xlv.	die vii.	Lun. xix.	Paſch. iii. Non. Apr.	Lun. xxii.
xlvi.	die i.	Lun. xxx.	Paſch. xvii. Kal. Mai.	Lun. xvi.
xlvii.	die iii.	Lun. xi.	Paſch. vii. Id. Apr.	Lun. xvii.
xlviii.	die iv.	Lun. xxii.	Paſch. iii. Kal. Apr.	Lun. xxi.

Digitized by Google

xlix.	die v.	Lun. iv.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xvi.
l.	die vi.	Lun. xv.	Paſch. iii. Id. Apr.	Lun. xvi.
li.	die i.	Lun. xxvi.	Paſch. vii. Kal. Apr.	Lun. xvi.
lii.	die ii.	Lun. vii.	Paſch. xvii. Kal. Mai.	Lun. xxi.
liii.	die iii.	Lun. xix.	Paſch. ii. Kal. Apr.	Lun. xviii.
liv.	die iv.	Lun. xxix.	Paſch. xi. Kal. Apr. ſive xii. Kal. Mai.	Lun. xxi. xviii.
lv.	die vi.	Lun. x.	Paſch. iii. Id. Apr.	Lun. xxi.
lvi.	die vii.	Lun. xxi.	Paſch. vi. Kal. Apr.	Lun. xvii.
lvii.	die i.	Lun. ii.	Paſch. xii. Kal. Mai.	Lun. xviii.
lviii.	die ii.	Lun. xiii.	Paſch. vi. Id. Apr.	Lun. xxi.
lix.	die iv.	Lun. xxiv.	Paſch. x. Kal. Apr.	Lun. xxi.
lx.	die v.	Lun. vi.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xviii.
lxi.	die vi.	Lun. xvii.	Paſch. ii. Non. Apr.	Lun. xxi.
lxii.	die vii.	Lun. xxviii.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xvi.
lxiii.	die ii.	Lun. ix.	Paſch. vi. Id. Apr.	Lun. xvii.
lxiv.	die iii.	Lun. xx.	Paſch. ii. Kal. Apr.	Lun. xx.
lxv.	die iv.	Lun. i.	Paſch. xii. Kal. Mai.	Lun. xxi.
lxvi.	die v.	Lun. xii.	Paſch. ii. Non. Apr.	Lun. xvi.
lxvii.	die vii.	Lun. xxiii.	Paſch. vi. Kal. Apr.	Lun. xix.
lxviii.	die i.	Lun. iv.	Paſch. xvi. Kal. Mai.	Lun. xx.
lxix.	die ii.	Lun. xv.	Paſch. Kal. Apr.	Lun. xvi.
lxx.	die iii.	Lun. xxvi.	Paſch. x. Kal. Apr.	Lun. xviii.
lxxi.	die v.	Lun. vii.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xix.
lxxii.	die vi.	Lun. xix.	Paſch. v. Kal. Apr.	Lun. xvi.
lxxiii.	die vii.	Lun. xxx.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xviii.
lxxiv.	die i.	Lun. xi.	Paſch. vi. Id. Apr.	Lun. xix.
lxxv.	die iii.	Lun. xxii.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xx.
lxxvi.	die iv.	Lun. iii.	Paſch. Id. Apr.	Lun. xxi.
lxxvii.	die v.	Lun. xiv.	Paſch. Non. Apr.	Lun. xviii.
lxxviii.	die vi.	Lun. xxv.	Paſch. vi. Kal. Apr.	Lun. xxi.
lxxix.	die i.	Lun. vi.	Paſch. xvi. Kal. Mai.	Lun. xxi.
lxxx.	die ii.	Lun. xvii.	Paſch. Kal. Apr.	Lun. xviii.
lxxxi.	die iii.	Lun. xxviii.	Paſch. x. Kal. Apr.	Lun. xxi.
lxxxii.	die iv.	Lun. ix.	Paſch. ii. Id. Apr.	Lun. xxii.
lxxxiii.	die vi.	Lun. xx.	Paſch. Kal. Mai.	Lun. xviii.
lxxxiv.	die vii.	Lun. i.	Paſch. xv. Kal. Mai.	Lun. xviii.

Iterum ad caput revertitur.

Explicit.

Digitized by Google

Nullum ſane pes moveat, eo quod quintus annus Cycli deſignatum diem Paſchae habeat, hoc eſt XII. Kal. Apr. Die Dominica Luna XVI. hoc ſemel in annis LXXXIV. faciendum eſt hac ratione, eo quod violentia Lunae, vel lex Paſchae prohibet, ne die V. Kal. Apr. aliquis praeſumptivè aeſtimet ſe Paſcham facere, qua die erit Luna XXIII. & ſuper ſemiſſe. Maximè cum lege ſit cautum, ne modum Lunae ſtatum aliquis excedat, & in gravem offenſionem incurrat. Sed potius eſt ut die XII. Kal. Apr. celebretur Paſcha, ubi levis reprehenſio eſt, quam criminis nota, ſicut & in veteri laterculo continetur. Et hoc neceſſario oportuit intermitti, eſſe quoſdam annos, in quibus duplicis Paſchae, ſive duae in unum veniunt, & quia una obſervanda eſt, erit in arbitrio ſummi Sacerdotis conferre cum Presbyteris, qui dies eligi debeat, dummodo omnes unanimes ipſum diem Paſchae in unum convenientes celebremus.

Explicit Tractatus de ratione Paſchae, hoc eſt de XII. Kal. Apr.

In commentariis Victorini inter plurima haec etiam ſcripta reperimus: Invenimus in membranis Alexandri Epiſcopi, qui fuit in Hieruſalem, quod tranſcripſit manu ſua de exemplaribus Apoſtolorum ita VIII. Kal. Janu. natus eſt Dominus N. J. C. Sulpitio & Camerino Coſſ. Et baptizatus eſt VIII. Id. Janu. Valeriano, & Aſiatico Coſſ. Paſſus eſt X. Kal. Apr. Nerone III. & Valerio Meſſala Coſſ. Reſurrexit VIII. Kal. Apr. Coſſ. ſupraſcriptis. Aſcendit in coelos V. Non. Maj. poſt dies XL. Coſſ. ſupraſcriptis. Johannes Baptiſta naſcitur VIII. Kal. Jul. & circumciditur Kal. Jul. Ad Mariam vero locutus eſt Angelus VIII. Kal. Apr. Sexto jam Conceptionis menſe Eliſabeth * habere dicens. Ex quo ſupputatur, eodem die Dominum fuiſſe conceptum, quo & reſurrexit. Amen.

Domino & Filio Siſebuto Eſidorus.

Dum te praeſtantem ingenio, facundiaque &c. *Editum eſt Opuſculum inter S. Iſidori Hiſpalenſis Opera hoc titulo: De rerum natura.*

Incipit

Incipit Verſus.

ANnus Solis continetur
Quatuor temporibus,
Ac deinde adimpletur
Duodenis menſibus.
Quinquaginta, & duabus
Currit Hebdomadibus,
Una die ſuperducta,
Et ſex horis paribus.
Tricentenis ſexaginta.
Atque quinque diebus.
Sic ambitum Zodiaci
Sol luſtrat diſcurſibus,
Sed excepta parte quarta
Noctis atque diei,
Quae dierum ſupereſſe
Cernitur feriei.
De quadrante poſt annorum
Bis binorum terminum
Calculantes colligendum
Decreverunt biſſextum.
Tantus ei honor datus
A regali culmine,
Quod ſic fuit nominatus
A Julio Caeſare.
Quem ponendum anni fine
Decrevente * Gajus
Dies quinque iterante
Quam brevis Februarius
Hinc annorum diverſantur
Luna longitudinis,
Quorum quidem Emboliſmi
Quidem fiunt communes;
Brevis quippe qui vocatur
Communis Lunaribus.
Sic ſemper duodecim
Terminatur menſibus
Tricentenis quinquageni
Biſque binis diebus.
Hic undenis annus Solis
Percurrit diſcurſibus;
Longus annus Emboliſmi
Supercreſcens dicitur;
Lunae tribus, atque decem
Menſibus colligitur.
Longus iſte annus Lunae
In dierum termino
Continetur tricenteno
Octogeno quaterno
Novem idem Emboliſmis,
Atque decem diebus
Pervidetur annum Solis
Superatur eſt * curſibus.
Brevioris * Annus totus
Terminatur circulos
In trecentis quinquaginta
Atque quatuor diebus.
Uno nempe atque decem
Diebus in ordine
Brevis annus anno Solis
Superatur agmine
Emboliſmo incremento
Magna larga copia
Anni Lunae Brevi ordine
Suppletur inopia.
Dehinc decem atque novem
Annorum conſtituitur
Tempus certum, quo Lunaris
Terminus porrigitur,
In quo Luna replicantur,
Curſu quodam ſubtili
Decies quini quinquies noni
Simul quinis circuli.

Huic

Digitized by Google

Huic Cyclus ut exigit
Perſcrutando ratio
Semper partes dies ſaltus
Interſerit ſpatio
In duodenae horae fine
Percurrit incenſio.
Sic momento quater ducto
Curſu * ſemper menſtruos.
Et momenti duodenae
Addita particula
Per menſuum duodenorum
Singula curricula
Atomi ſuperadditis
Ducenteno numero
Trigeſies & quinquies
Ducto eorumdem cumulo.
Saltus Lunae ſupercreſcit
Curſu ſubtiliſſimo
Ducenteno menſe quino
Necnon & trigeſimo.
Qui ſic fiant quater ducti
Efficiunt cumulum
Momentorum nongentorum
Quadraginta ad cumulum.
Quibus puncti fiunt cuncti
Sex & novem decies
Momentorum nongentorum
Atque decem ſexies,
Denis nonis annis ductis
Habent ſuum ſpatium
Dies Solis atque Lunae
Aequum pondus partium.
Dionyſius attentus
Cyclum nobis tradidit,
Communis & Imboliſſimus
Jus Paſchale reddidit.
Sanctiſſimus ipſe Abbas
Diem ſaltus memorat;
Quinis denis Kalendarum
Magii demonſtraverat,
Calculavit unum diem
Bis * obtimini termini,
Ne deeſſet idem munus
Primo anno communi
Hoc augmentum ſi concreſcit
Menſibus pluriſſimis
Ducentenis, atque quinis
Nec non & trigeſimis.
Graeci dicunt, & Aegyptii
De ſaltu certiſſima
In undenis Kalendarum
Epacta trigeſima
In Latinis diem ſaltus
Memorant in quindecim
Kal. Decemb. concelebrant.
Hujus Cycli pars vocatur
Ogdoas anterior,
Ac deinde appellatur
Endecas ulterior.
Ogdoadi deputantur
Octo anni priores.
Endecadis undena
Comprobatur ſeries.
In hoc curſu fiunt anni
Communes duodecies.
Anni verò Emboliſſimi
Subputantur ſepties.
Per decem & novem annos
Hic calculus tenditur
In eumdem Lunae curſum
Cyclus revertitur
Sex millia nongentorum
Triennarum biennium
Biſque trinis ſupramiſſis.

Reliqua deſiderantur.

MANUMISSIO

SINE QUA EX FAMILIA NEMO PROPRIA AD SACROS ORDINES PROMOVERE VALET.

AUCTORITAS Eccleſiaſtica patenter admonet, inſuper & majeſtas Canonicae Religioni aſſenſum praebet, ut quemcumque ad Sacros Ordines ex familia propria promovere Eccleſia quaeque delegerit, in praeſentia Sacerdotum Canonicorum, ſimul & nobilium Laicorum, & cui ſubjectus eſt, manumiſſione ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. Idcirco in Dei nomine quemdam Eccleſiae noſtrae famulum, nomine talem, Sacris dignum Ordinibus, Eccleſiaſticis eruditum diſciplinis ad Altaris cornu palam inſignibus viris Civem Romanum ſtatuo per hoc ſacrae Auctoritatis teſtamentum, ita ut ab hodierno die, & tempore bene, & inconvulſe ingenuus, atque ab omni prorſus vinculo permaneat ſecurus, tamquam ſi ab ingenuis procreatus fuiſſet parentibus, vel natus, idemque pergat quamcumque volens elegerit Canonice partem, portas habens apertas intran-

Digitized by Google

di, exeundi juxta regulam obnoxe roboratam, ita ut deinceps nec nobis ullum, nec ſucceſſoribus noſtris noxialis debeat conditionis ſervitium, neque aliquid libertinitatis obſequium cuiquam impendat. Sed ob amorem, honoremque Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad cujus militiam electus eſt, abſolutus, atque velut Civis Romanus a cunctae catena ſervitutis ereptus, ſub integra plenaque ingenuitate conſiſtens, ſecurus cunctis diebus vitae ſuae permaneat. Quatenus per hanc abſolutionem ſecurius, liberiuſque, atque honeſtius Divinae potentiae, cui mancipatur, Domino adjuvante famulari valeat, & per hunc manumiſſionis, atque ingenuitatis titulum bene ſemper ingenuus, atque inconvulſe ſecurus ab omni ſervitutis occaſione noxialis exiſtat. Suum vero peculiare, quod nunc habet, aut ex hoc adipiſci valuerit, liberam diſponendi, quum voluerit, habeat poteſtatem, agatque inde ſecundum Canonicam auctoritatem libere qualiter ei libuerit. Ut autem pro reverendis cultibus venerabiliter, ſolemniterque abſolutio celebrata, atque ingenuitatis auctoritas inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria ſubter firmavimus, Sacerdotes quoque, & inſtitutionis Canonicae Clericos, nec non & inclytos praeſentes Laicos roborandam ſubter firmare cum ſtipulatione ſubnixe rogavimus.

NOTAE

Digitized by Google

NOTAE AC OBSERVATIONES

IN HANC MANUMISSIONIS FORMULAM.

EX Ambroſianae Bibliothecae MS. Codice formula haec exſcripta per me fuit. Erat autem olim liber in Bobienſis Monaſterii Bibliotheca, atque ex ea in noſtram tranſiit ex munere Patrum Benedictinorum, qui Magni Cardinalis Federici Borromaei conſilium pluribus aliis donis juvere. Spectes in eo Conciliorum, ac Epiſtolarum Decretalium collectionem a Dionyſio Exiguo lucubratam, nec non Concordiam Canonum a Creſconio Afro editam cum aliis quibuſdam minutioribus monumentis, notiſque vetuſtiſſimis Canonum explicationem ſubinde praebentibus. Tempus, quo exaratus Codex fuerit, produnt, ni fallor, appoſiti in calce hujuſmodi verſus:

Obtulit, ut maneat ſacrum per tempora munus
Supplex, ac humilis Abba Agilulphus acris.
Chriſte tibi, magnoque patroni nempe Columbae,
Quo miſerante jugi floreat auxilio.
Divinis librum conſtat dogmatibus auctum,
Exerat hinc pectus quique Deo militat.
Sedulo quam volvens Chriſtum petat ore modeſto,
Pavendis flammis eripiat ſamulum.

Monaſterium Bobienſe rexit Agilulphus iſte Abbas ante octingentos annos, ſeculo videlicet Chriſti nono; ſiquidem tria Diplomata ab Ughello in Ital. Sac. Tom. IV. poſt Bobienſes Epiſcopos pag. 1359. proferuntur, in quibus Agilulphi Abbatis mentio habetur; referuntur autem ad annos Chriſti 883. 896. & 898. Characteres ipſi temporis ejuſdem fidem faciunt, quadrati enim ſunt, affabreque exarati, & fortaſſis ante Agilulphi aetatem elaborati, quum verſiculi minutioribus literis, atque aliquantulum a reliqua ſcriptura diverſis conſtent. Ibidem quoque legitur Kalendarium metricum, quod publici juris fecit Lucas Dacherius Tom. X. Spicilegii acceptum *ex Coenobii S. Remigii Rhemenſis apographo exarato manu Bertigarii Monachi Ebbone Archiepiſcopo*, hoc eſt ſaltem ante annum DCCCXLI. Nullus in noſtro Codice titulus, ſed in Rhemenſi legebatur: *Martyrologium, quod Beda heroico carmine compoſuit*. Ejus quidem Kalendarioli auctorem Bedam eruditiſſimi viri Henſchenius, & Papebrochius in Act. SS. Tom. III. Apr. ad diem 24. & 29. ejuſ-

ſdem menſis in vita duorum Wilfridorum vix credunt, quum tamen perantiquum opus agnoſcant, quemadmodum etiam Codicis noſtri beneficio didiſcimus. Ex hoc igitur Codice vetuſtam Manumiſſionis formulam huc derivavi, eoque lubentius hoc praeſtiti, quo ſaepius intelligo, atque experior, non vulgi tantum, ſed omnium pene literatorum animis hanc inſidere ſententiam, ut ſub Chriſtianis antiquitus omnium ſervitutum uſum deſiiſſe arbitrentur. Quippe per Baptiſmi lavacrum poteſtatem dominicam, ſervilemque conditionem tolli certiſſimum eis videtur. Verum nullo fundamento nititur hujuſmodi opinio, nullaque, ut ajunt Logici, lex poſitiva ſervitutes ab Eccleſia Dei hucuſque eliminavit. Ab Ethnicis itaque ad Chriſtianos haec conſuetudo tranſiit, & Conſtantinus Magnus hoc duntaxat inſtituit, ut manumiſſiones in Gentilium templis, & Comitiis antea celebratae, praeſentibus Epiſcopis, & in aedibus ſacris impoſterum peragerentur, ut oſtendunt lex unica Tit. VII. de Manumiſs. Cod. Theod. Sozomenus Lib. I. Hiſt. Cap. IX. Nicephorus Lib. VII. Cap. XVI. Caſſiodorus, aliique Scriptores. Juſtinianus poſtea cum in Inſtitutionum libris, tum in Codice ſervitutum jura non modo non ſuſtulit, ſed declaravit, & manumiſſionum ritus praeſcripſit Lib. I. & II. Cod. de his qui in Eccl. manumittuntur. His accedunt Leges Langobardorum Lib. IV. Tit. XXXV., & alibi, Leges Ungaricae, Ripuaricae, Wiſigothicae, Alamannicae de Chriſtianorum mancipiorum manumiſſionibus plura tradentes. In Legibus etiam Caroli Magni, Ludovici Pii, ac Lotharii de Servis multa ſtatuuntur, quorum uſum iccirco tunc nequaquam fuiſſe ſublatum cognoſcimus. Sed & ex Epiſtolis plurium Summorum Pontificum, ac praeſertim Alexandri III. Urbani, ac Innocentii III. ſervos ad tempora uſque Friderici II. Imperatoris apud Chriſtianos adhiberi conſueviſſe patet. Exinde rara hujus moris exempla, non tamen omnino deſita. Clariſſimus Du-Freſnius in Gloſſario med. & infimae Latin. ad verbum *Manumiſſio* praeter alia praeclariſſima antiquorum temporum documenta Manumiſſionum uſum oſtendit in Galliis itidem ſervatum An. Ch. 1223. 1243. 1250. 1302. & 1313. Sequentibus ſeculis quamquam nullo Principum decreto ſervitutum jura interdicerentur, viſa tamen ſunt ſenſim extingui, ita ut noſtris temporibus nonniſi in homines a Chriſtiana Religione alienos uſurpari ſoleant. Quocirca Jo: Oinotomus in Inſtit. Lib. I. Tit. III. de jure perſon. ait: *Nos Chriſtiani hodie veros ſervos non habemus*. Sed, ut ajebam, nullis Canonibus, nulliſque Principum legibus ſublatus eſt ſervorum uſus, atque etiam nunc obtinere poteſt. Quin etſi per ſacrum Baptiſmum Chriſtianorum albo mancipia inſcribantur conditionis ſuae aſperitate nequaquam liberantur. Illud quidem ſalſum eſt, quod ex Conſiliis Romani ſert Cardinalis Tuſcus in Pract. Concl. juris lit. S. Concl. 236. *Servus*, 11. it is, *Judaei, licet efficiatur Chriſtianus per ſuſceptionem Baptiſmatis, non efficitur liber. Cap. primo, &c. fin. de Judaeis. Roman. Conſil.* 288. *in caſu propoſitae in princ.* Addit etiam: *Extende multo magis in ſervo Chriſtiani, quia licet efficiatur Chriſtianus, non efficitur liber, quia Judaeus non debet eſſe melioris conditionis quam Chriſtianus*. Contra probare haec duo capitula videntur, licet noſtra adhuc ſententia ſtet, quemadmodum videre eſt apud Barboſam, & Gon-

& Gonzalez in Comment. ad Tit. de Judaeis. Gaſpar vero Beatius de inope debitore creditori addicendo agens inter Tract. volum. III. parte II. legem ſua tempeſtate in Hiſpaniis vigentem refert, qua debitor, qui ſatisfacere creditori non poterat, ſervus efficiebatur, quae aſpera lex an etiamnum obtineat ignotum eſt mihi. Quibus poſitis jam apertiſſime patet, cui uſui inſerviret propoſita Manumiſſio, ſine qua *ex familia nemo propria ad Sacros Ordines promovere valebat*. Nemo autem in Eccleſiaſticae eruditionis ſtudio tam peregrinus eſt, ut neſciat Sacris initiandos a Dominorum poteſtate ſolutos eſſe debere. Hoc integro titulo in Decretalibus de Servis non ordinandis proditur; hoc tradunt Ivo parte VI. Cap. CXXX. CXXXIII. Burchardus Lib. II. Cap. XXIX. XXXII., & Concilia non pauca ſanctionibus ſuis luculenter ſtatuerunt. Sed Lectorem remittere juvat ad eruditum opus Praenotionum Myſtagogicarum auctore Nicolao Comneno Papadopoli Anno praeterito Patavii vulgatum, ubi Reſponſ. II. Sect. V. hujuſmodi ſententia proponitur, lateque probatur. In Codice noſtro alia ſubſequitur manumiſſionis forma *ex B. Gregorii ſumta Regiſtro, quam ore idem proprio dictavit*. Incipit: *Gregorius Montanae, & Thomae. Cum Redemtor noſter totius conditor Creaturae &c.* edita autem eſt haec inter opera S. Gregorii Magni Lib. V. Epiſt. XII. Indict. XIV. quae tamen Indictio in MS. noſtro dicitur VIIII.

Digitized by Google

I N D E X

Sanctorum Martyrum, quorum Corpora S. Gregorii Magni temporibus Romae quieſcebant.

Notatio de Olea Sanctorum Martyrum, qui Romae in corpore requieſcunt.

Ideſt.

SANCTI Petri Apoſtholi.
Sancti Pauli Apoſtholi.
Sancti Pancrati.
Sancti Euthemi.
Sanctae Sophiae cum tres filias ſuas.
Sanctae Paulinae.
Sanctae Luci.....ae.
Sancti Proceſſi.
Sancti Martiniani.
Sancti Criſanti.
Sanctae Dariae.
Sancti Mauri.
Sanctus Jaſon, & alii Sancti multa milia.
Sancti Saturnini.
Sancti...... nionis.
Sancti Syſti.
Sancti Laurenti.
Sancti Yppoliti.
Sanctorum Johannis, & Pauli.
Sanctae Agnetis, & aliorum multorum Martyrum.
Sancti Y...... ion.
Sanctae...... eris.
Sanctae Sapientiae.
Sanctae Spei.
Sanctae Fidis.
Sanctae Caritatis.
Sanctae Ceciliae.
Sancti Frecicii.
Sancti Cornili, & multa milia Sanctorum.

San-

Digitized by Google

Sancti Johannis. S. Liberalis

. . . .

Sanctus Blaſtro, & multorum Sanctorum.

Sed & alii Sancti, ideſt CCLXII. in unum locum, & alii CXXII.

Alii XLVI. quos omnes S. Juſtinus Presbyter collega S. Laurentii Martyris ſepelivit.

Sanctae Felicitatis cum ſeptem filios ſuos.

Sancti Bonifaci.

Sancti Hermetis.

Sancti Probi.

Sancti Jacynti.

Sancti Maximiliani.

Sanctus Criſpus.

Sanctus Herculanus.

Sanctus Bauſo.

Sancta Baſilla.

Oleo de Sede, ubi prius ſedit S. Petrus.

Sancti Vitalis.

Sancti Alexandri.

Sanctus Martialis.

Sanctus Marcellus.

Sancti Sylveſtri.

Sancti Filippi, & aliorum multorum Sanctorum.

Sancti Sebaſtiani.

Sancti Luticii.

Sancti Quirini.

Sancti Valeriani.

Sancti Tiburti.

Sancti Maximi.

Sancti Orbani.

Sancti Januari.

Sanctae Petronillae filiae S. Petri Apoſtholi.

Sancti Nerei.

Sancti Damaſi.

Sancti Marcelliani.

S. Acillei.

Sancti Marci.

✠ Quas Olea Sancta temporibus Domni Gregorii Papae adduxit Johannes indignus, & peccator Domnae Theodolindae Reginae de Roma.

Digitized by Google

IN INDICEM PROPOSITUM
D I S Q U I S I T I O
AD CLARISSIMUM
P. CONRADUM JANNINGUM
E SOCIETATE JESU.

SYNOPSIS DISQUISITIONIS.

Antiquitas Catalogi hujus exploratur, & ad S. Gregorii Magni tempora refertur. Reliquias Sanctorum minime Romani Pontifices concedebant, ſed tantum Sanctuaria. Quid haec fuerint, perpenditur. Olea Sacra, alia a lampadibus, alia a tumulorum Sacrorum contactu miraculorum virtute imbuebantur. Innumerabilium Martyrum Corpora quieſcunt Romae. Dodwelli opinio refellitur. Utilitates hujus Catalogi.

HABES, Clariſſime Janninge, quod me popoſceras, quod ego ſpoponderam, antiquiſſimum videlicet Romanorum Martyrum Indicem. Et quidem publicis typis fidem meam liberare in animum induxi, non ut munuſculi tenuitatem palam ambitioſe extollerem, ſed ut quae mea erga te ſit obſervantia vel hinc dignoſcere in promtu ſit. Mitto impenſum illud ſtudium, quo ſacram Societatem Jeſu proſequor, communis enim mihi eſt cum omnibus, qui pietatis, ac ſcientiarum lac ab illa ſuxerunt, hujuſce obſequii cauſſa, & venerationem illam heic tantum ſignifico, quam peculiare meritum tuum a me non tam poſcit, quam dulciter extorquet. Nimirum quis bonis literis deditus eruditionem tuam non colat, cujus ope tot Sanctorum Acta, & vetuſta Eccleſiae monimenta illuſtrare pergis? Te enim opus exercet literariae Reipublicae utiliſſimum, Catholicae Religioni neceſſarium, & cedro undequaque dignum, cui adornando aevum ſuum, collatis operis, dicavere magni viri Bollandus, & Henſchenius, in quo promovendo celeberrimus P. Papebrochius collega tuus ad ſenectam uſque aetatem inſudavit, & utinam diu inſudet. Hujuſmodi conatibus, quibus apud ſeros nepotes Clariſſimi illi viri famam ſuam commendarunt, ſucceſſorem te fecit ſapientia tua, atque in te potiſſimum ſpem hucuſque ſuam collocavere, nutriuntque eruditi. Ita non

Digitized by Google

ex iis tantum, quae adhuc praeſtitiſti, ſed ex iis etiam, quorum nobis ſpem facis, meritum tuum metiamur oportet. Atque ego ſane tum alibi, tum in hocce libello imperare mihi non potui, quin quanti apud me ſis exprimerem, exiguumque etiam opuſculum tibi inſcriberem, cujus tamen in uſu utilitatem non adeo modicam futuram ſpero, ut te deſiderii, ac imperii, me ſedulae obedientiae poeniteat. Quid igitur ſuper hoc opuſculo commentatus fuerim, en ſub oculis tuis. Age, rem expediamus. Inter praeclariſſima Italiae monumenta Muſaeum Septalianum Mediolani ſitum abſque temeritatis metu numeramus. Maxima illi a rebus viſu digniſſimis commendatio eſt, neque minor a quibuſdam antiquis rebus, quas temporum edacitas abſumere non eſt auſa. Illinc Indicem iſtum deſcribere mihi licuit, veniam dante Illuſtriſſimo Franciſco Septalio Nazarianae Baſilicae Canonico. Quod maxime hujus Catalogi pretium auget, eſt ipſa, ut puto, ſcripturae, ac papyri antiquitas. Haec Aegyptiaca eſt, eamque minus periti *corteccia d' arbori* appellant, illa vero characteres exhibet non multum ab iis diſſimiles, quos in celeberrimo Codice Ambroſianae Bibliothecae legimus. Scilicet apud nos in eadem papyro Aegyptiaca ſervantur Fl. Joſephi de Judaicis Antiquitatibus libri nonnulli, quos Rufinus Aquilejenſis Latio donavit, ſeu, ut in libro Obſervationum eruditarum propediem edendo probavi, Caſſiodorus ab amicis ſuis e Graeco vertendos curavit. Exarati autem ſunt ante annos mille & centum, uti vel ipſe Mabillonius V. C. atque horum peritiſſimus cenſuit in Itin. Ital. pag. 12. Et quidem hic eruditiſſimus Pater quum Anno 1685. Italicas Bibliothecas luſtraret una cum P. Michaele Germano Septalianum Muſaeum inviſit, ſibique oblatum Indicem pro ſua eruditione legit. Quin & ejuſdem ἀπόγραφον ſuis elaboratum manibus ibidem P. Germanus reliquit ad majus legentium commodum. In laudato vero Itin. Ital. pag. 14. rem paucis deſcripſere Clariſſimi viri: *Ibi Indicem*, ajunt, *reliquiarum, quae Romae tempore Gregorii Magni extabant, in charta Aegyptiaca exaratum legimus.* Utramque papyrum, recentem ſcilicet, ac vetuſtam ſimul contuli, atque exinde quantum licuit accurate in eruditorum gratiam huc derivavi. Temporis porro notam, quo ſcriptus iſte Catalogus fuerit, non ex conjecturis, ſed ex poſtremis verbis eruere fidenter poſſumus, ait enim Scriptor: *Quas olea ſancta temporibus Domni Gregorii Papae adduxit Johannes indignus, & peccator Domnae Theodelindae Reginae de Roma.* Heic Gregorii Magni tempus exprimi audimus, a quo probabiliter Reliquiarum illarum Index prodibat. Chartam vero ipſemet Johannes conſcripſit, neque enim *indignus*, aut *peccator* ab aliis appellaretur. Itaque vides & hocce monumento Cl. P. Papebrochii Collegae tui ſententiam infirmari, qua ſuſpicabatur quondam ille in Propyl. ad Tomum II. Apr. num. 128. Aegyptiacae chartae uſum a Chriſto nato deſiiſſe, & pro illa membranarum invaluiſſe. Quam rem utique eruditiſſime Cl. V. Mabillonius in opere de Re Diplomat. Lib. I. Cap. VIII. pertractavit, aucturus profecto ſuae ſolidioris ſententiae pondus, ſi & Catalogum laudatum, & vetuſtiſſimam Joſephi verſionem in Ambroſiana ſervatam ſuiſmet oculis, uti poſtea fecit, ante conſulere potuiſſet. Hujus autem Aegyptiacae papyri meminit Bonincontrus Morigia in Chronico Modoëtienſi

Lib. I. Cap. XIII., quod opus ante annos 355. Ambroſiana Bibliotheca MS. ſervat. Narrat hic Auctor viſionem quandam coelitus oblatam, atque inter alia ſic loquitur: *Per quemdam venerandiſſimum Clericum nomine Johannem multas ſanctas, & infinitas reliquias cum maximis Indulgentiis, & Libros IV. Dialogorum, ſive de vita Sanctorum, & Dialogum cum Epiſtola gratioſa ad dictum Sanctum Oraculum in Modoëtia Sanctiſſimae Theodelindae Reginae mandavit, quae dictus Johannes praeſtando illa ſancta munera dixit: Haec ſunt olea ſancta, quae temporibus Domni Gregorii Papae adduxit Johannes indignus, & peccator de Roma in Modoëtia &c. quae olea ſancta hodie in dicta Eccleſia ſunt ibi per ordinem ſcripta, & in pulcherrima archa marmorea recluſa.* Libro vero II. Cap. IV. addit: *Librum veterem Bibliae aperuit in quodam ſecreto loco dicti libri, ſicut Deo, & S. Johanni placuit, ſcripturam unam reperit talis tenoris: Haec ſunt olea ſancta &c.* Bartholomaeus quoque Zucchius in Hiſtoria Reginae Langobard. Italice edita Anno 1613. Cap. XXII. ita ſcribit: *Pontifex Gregorius Modoëtiam Diaconum Johannem direxit cum humaniſſimis literis, & cum pretioſo munere Indulgentiarum, Privilegii, Evangeliſtarii, & Reliquiarum, cujus Catalogum heic ſum expoſiturus. Extat etiam num ipſemet Index Roma delatus in arboreo cortice ſcriptus Langobardorum lingua.* Tum Catalogum recenſet, eumque paucis expedit, fragmentum arundinis, duas ſpinas, ſpongiae partem, S. Crucis fragmentum, & nonnulla alia referens, quae ad Chriſti Redemtoris paſſionem, aut ad Deiparam, ac S. Johannem Baptiſtam ſpectarunt. Addit reperiri adhuc Modoëtiae multas Apoſtolorum, Martyrum, Virginumque reliquias, de quibus ſigillatim ſcribere nimis longum foret, item tredecim vaſa olei ab Apoſtolis benedicti, ut inſcriptio habet, itemque magnam ſtuppae, ac pannorum lineorum ſtruem Martyrum ſanguine tinctam. Verum minus proprie loquitur Zucchius, ubi papyrum Langobardorum lingua conſcriptam cenſet, quae revera ex Latinis verbis conſtat, & dum tot reliquias a Gregorio Pontifice ad Theodelindam miſſas affirmat, nam non reliquias Sanctorum, ſed olea benedicta tantum Johannes Modoëtiam detulit. Quod ut clarius innoteſcat, tibi in memoriam revoco Gregorii ejuſdem verba ad Conſtantiam Auguſtam Lib. III. Epiſt. XXX. A Sancto Pontifice expetierat Conſtantia aliquas ex S. Pauli cineribus reliquias, ut in ejuſdem Apoſtoli honorem aedem ſacraret. Reſpondet magnus Pontifex: *Cognoſcat autem tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando ſanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere praeſumant de corpore, ſed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur.* Addit: *In Romanis namque, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile eſt, atque ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quiſquam fortaſſe voluerit.* Non igitur Gregorio magno id moris fuit, ut in alias regiones ab Urbe aſportari Sanctorum lipſana ſineret. Sed ut poſtulantium pietati conſuleretur, brandea tantum (velamina ſcilicet, veſtes, ac lintea, quae Sanctorum tumulos tetigerant) ejus temporibus tranſmitti ſolebant. Sic pretioſiſſimae Sanctorum exuviae intactae Romanis in Baſilicis fovebantur, collatâque brandeis miraculorum virtute, aliis in Urbibus Sanctorum Martyrum auxilium praeſentiſſimum erat, oſſa non colebantur. Et profecto aſſentiri non poſſum doctiſſimo vi-

mo vi-

Digitized by Google

mo viro Johanni Ferrando ex eadem, qua tu, Societate Jeſu, quum Lib. I. Cap. III. Art. III. Diſquiſ. Reliquiariae in eam concedit ſententiam, ut ipſas Sanctorum reliquias, & oſſa *Sanctuarii* nomine a Gregorio Magno deſignari arbitretur. Legamus tanti Pontificis verba per Ferrandum producta, & ex Lib. VII. Epiſt. XII. petita: *Paulus*, ait, *Eccleſiae Reatinae Diaconus petitoria nobis inſinuatione popoſcit, ut ad fontes in Baſilica B. Mariae ſemper Virginis, & Genitricis Dei, ac D. N. J. C., quae eſt intra Civitatem Reatinam poſita, reliquiae Beatorum Martyrum Hermetis, & Hiacynthi, & Maximi debeant collocari. Et ideo, Frater cariſſime, ſi in eodem loco nullum corpus conſtat humatum, Sanctuaria praedictorum Martyrum cum reverentia ſine ambiguitate ſuſcepta diligenter conſecrabis.* Alias praeterea Gregorii Epiſtolas citat, nempe Epiſt. LXXXVI. LXXXVII. LXXXVIII. Lib. VII., & Epiſt. XII. Lib. X. & Epiſt. X. Lib. XII., quibus a S. Gregorio reliquias Martyrum Sanctuaria appellari Ferrandus confirmet. Verum conſtanter cenſeo hoc a S. Pontificis mente abhorrere, illaque tantummodo, quae vel ipſis Sanctorum pignoribus, vel eorum ſepulcris, & Lipſanothecis admota fuerant, *Sanctuarii* nomine inſignita fuiſſe, quia quamdam venerationis, ac *Sanctitatis* ſpeciem ex pio contactu recipiebant, ita ut miraculis non minus quam ipſa Martyrum oſſa saepiſſime diſtinguerentur. Ita me ſentire cogit Gregorius ipſemet, cui loquenti aures adhibeamus Lib. VII. Epiſt. LXXXVIII. ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum: *Lator*, inquit, *praeſentium Eventius Diaconus Fraternitatis veſtrae nobis talia intimavit ſibi a vobis injuncta, ut reliquias B. Pauli Apoſtoli, ſed & B. Johannis, & Pancratii per eum ad vos dirigere deberemus. Quam petitionem veſtram curavimus effectui mancipandam. Fraternitas ergo veſtra ſolito ſtudio perſcrutari non differat, quatenus in locis, quibus recondendae ſunt, luminaria, vel alimonia ibidem ſervientium ante dedicationem loco ipſius debeant erogari, & tunc in eiſdem locis directa Sanctuaria ſui cum reverentia collocentur &c.* Viden' heic delata Mediolanum B. Pauli Apoſtoli, aliorumque Sanctorum *Sanctuaria?* At haec eorumdem Sanctorum oſſa nequaquam fuere, quum uti ſupra ex ipſomet Gregorio vidimus, vel ipſi Conſtantiae Auguſtae denegata fuerint. Igitur heic ſub *Sanctuarii* vocabulo ea tantum deſignabantur, quae a ſacrorum pignorum, aut tumulorum contactu virtutem miraculorum hauſerant. Verum, inquies, hujuſmodi *Sanctuaria* tum in hac, tum in ſuperius producta Gregorii Epiſtola *Reliquiae Sanctorum*, nuncupantur. Non abnuo; ſed hinc edocemur, Reliquiarum nomen non cineribus tantum, ſed ipſis etiam rebus, quae Sanctos viros, eorumve tumulos attigiſſent, tributum fuiſſe. Sic *Reliquiae* tum oſſa, tum *Sanctuaria* dicebantur, *Sanctuaria* vero ea duntaxat, quae uti diximus Sacris Sanctorum tumulis admota fuiſſent. In Concilio Romano ſub Zacharia Pontifice Anno 745. damnatur Aldebertus haereticus, *quia capillos, atque ungulas ſuas populis pro Sanctuario exhibuit.* Hunc quoque locum Ferrandus memorat, ut Sanctuarii nomen ipſis Sanctorum lipſanis olim conveniſſe probet; quum tamen capilli, atque ungulae non corporum partes, ſed excrementa ſint, idcirco *Sanctuaria* appellari rectiſſime poſſunt. Igitur quum Gregorius Magnus a ſe Reliquias Sanctorum, ſeu Sanctuaria concedi affirmat, non eorumdem Sancto-

rum oſſa, ſed Brandea tantum, ſeu linteamina continuo ſunt intelligenda. Qua de re praeter laudatas a Ferrando Gregorii Epiſtolas legenti occurrent Epiſt. LII. Lib. I. & Epiſt. IX. Lib. II. In Epiſtola vero L. & LI. Lib. V. ad Palladium Epiſcopum, & ab Brunichildam Francorum Reginam ſcribens, ſe ad illos mittere ait Reliquias Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli; quibus verbis non oſſa, uti dicebamus, ſed Sanctuaria omnino deſignantur. Atque his affinia ſunt, quae ad Hormiſdam Pontificem Legati Apoſtolici ſcripſere An. Ch. 520. dum Conſtantinopoli agerent. Eorum verba apud Baronium legantur. Sed ut ad noſtra revertamur, vidimus Gregorii M. tempore minime id moris obtinuiſſe, ut Sanctorum oſſa ab Urbe alio transferrentur. Hoc etiam animadverterat laudatus Annalium parens Baronius ad diem 15. Julii. In ſuſpicionem tamen nos induci nollem iccirco, ſacrarum Reliquiarum translationes poſt Gregorii tantum tempora in Occidente ortum habuiſſe, ut idem Baronius eo loco ſentire videtur his Gregorii verbis innixus: *Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile eſt, & ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quis fortaſſe voluerit*. Etenim vel ſub ipſius Conſtantini M. Imperio piam hanc conſuetudinem invaluiſſe ex S. Paulini Natali XI. probavi in Differt. XIX. Tom. I. Anecdot. (a) Quibus conſideratis non oſſa, Reliquiaſve Apoſtolorum, ac Martyrum, ut opinatur Zucchius, ad Theodelindam a Gregorio Pontifice miſſa fuiſſe, verum olea tantum, & *Sanctuaria*, quae ſacrorum pignorum vices implebant, exploratum arbitror. Quidnam vero haec olea fuerint, breviter inquiramus; Alia enim, ut recte noſti, antiquitus erant, quae a lampadibus ante Sanctorum ſepulcra ardentibus petebantur, alia, quae iiſdem Martyrum tumulis admoveri privata religione ſolebant. Per utrumque olei genus SS. Martyres quamplura miracula operabantur. Venantius Fortunatus Lib. IV. de vita S. Martini morbum ab oculis ſuis depulſum teſtatur ex oleo lychni, qui ante S. Martini imaginem Ravennae ardebat. Ait ille:

Quo procul ut tetigi benedicto lumen olivo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit,
Et praeſens medicos blando fugat unguine morbos,

Ex antiquiſſima S. Nicetii Lugdunenſis Epiſcopi vita, quam Tomo primo Aprilis die 2. retulere ex Chiffletio Clariſſimi Collegae tui Henſchenius, & Papebrochius, quemdam legimus a veſani ſpiritus vexatione liberatum, ubi *per frontem ejus, os, vel aures de oleo de cicindelis* (ſcilicet lucernis) *qui ad memoriam erant B. Pontificis Nicetii, fideliter Crucis ſignacula facta ſunt*. Sic in Actis S. Zoſimi Epiſcopi Syracuſani Tom. III. Martii ad diem 30. *Theodora quaedam genere Alexandrina quum graviter ex oculis laboraret, deſperaviſſetque de ſalute, ad S. Zoſimi ſepulcrum confugiens oculos quotidie perungebat oleo lychnorum ante ſacrum loculum pendentium, & voti compos facta, planeque curata eſt*. Tom. II. Januar. ad diem 31. ex antiquiſſimis Actis cuidam nomine Calo pes fractus reſtitutus dicitur virtute olei, quod in lucerna ſervabatur ante ſepulcrum SS. Cyri, & Johannis. Plura praetermitto, hoc ſolum addens,

(a) Nunc Tom. XI. P. I.

Digitized by Google

addens, antiquiſſimis temporibus in Eccleſia Dei uſurpatum, ut ante Sanctorum tumulos lampades accenderentur, quod ex S. Paulino luculenter probaſſe mihi videor in Diſſert. XVI. Tom. I. Anecdot. Alia vero olei ſpecies inter Catholicos in uſu habebatur, cui itidem miraculorum virtus inerat. Conficiebatur autem hoc pacto: Tumulis Sanctorum Martyrum, & capſulis, ubi condebantur ſacri cineres, ſuperſtruebatur, ita ut tabula quaedam marmorea pavimentum tegeret, clauderetque ſepulcrum. In hac tabula una, aut gemina feneſtra aperiebatur, per quam immitti a Fidelibus vaſa oleo, nardo, aut balſamo plena ſolebant. Hinc propius tacta Sarcophagi ſuperficie liquores retrahebantur, quibus coeleſti gratia adveniente prodigiis coruſcare poſtmodum dabatur. S. Paulinus Nolanus in Nat. XIII. piae iſtius conſuetudinis eleganter meminit. Paulinus vero alter, cui Petricordii agnomen, in Lib. V. de vita S. Martini hac de re ita loquitur:

His perſaepe locis, quibus haec vicinia praeſtat,
Pacificum exponunt per vaſcula pura liquorem
Deſuper infuſi mutandum nectare roris,
Quo fluit in Sanctum coeleſtis gratia ſuccum.

Et hunc morem innuiſſe mihi videtur Aur. Prudentius in Hymno XI. περὶ Στεφανῶν, ubi de iis loquitur, qui ad S. Hippolyti Martyris tumulum confluebant:

Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,
Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.

Plura de hujus olei virtutibus exempla in medium proferre poſſem, niſi temporis, tuaeque patientiae rationem habendam ducerem. Tertium olei genus praetereo, cujus virtute, quum a Sanctis viris benedictio illi collata fuiſſet, mirabiliter morbi fugabantur; hujus enim exempla tum in Actis Sanctorum, tum in Hiſtoria Lauſiaca Cap. XIII. in Beniamini vita, Cap. XX. in Macario Alexandrino, & Cap. XXXXIII. in Jo: Lycienſi, alibique ſuppetunt frequentiſſima. Olea igitur illa, quae a Gregorio Magno ad Theodelindam in Catalogo miſſa dicuntur, aut e lucernis ante SS. Martyrum tumulos ſuſpenſis deſumta fuere, aut e ſepulcrorum contactu quamdam ſanctitatis ſpeciem acceperant, ita ut reliquiarum ſacrarum loco forent habenda. Quis porro fuerit Johannes ille, qui ſe haec ad Reginam detuliſſe ſcribit, ignotum eſt. Facile tamen adducor ut credam, eumdem illum eſſe, cujus mentio occurrit in Epiſt. I. Lib. III. S. Gregorii. Scribens S. Pontifex ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem ait: *Johannes vero Subdiaconus noſter multa nobis bona tuae fraternitatis rediens nunciavit*. Quum ad Conſtantium ſe contuliſſet Johannes iſte, ſimile vero mihi videtur, & ad ipſam Theodelindam divertiſſe, ut Gregorii nomine delatis donis illius religionem foveret. Epiſt. quoque XXXIV. Lib. VII. ad eumdem Conſtantium ita ſcribit Gregorius: *Lator praeſentium Johannes vir memorandus, qui Praefecturae vices illic*

acturus

actunus advenit, noſtra ſe petiit Epiſtola commendari. Probabilius tamen videtur Subdiacono, quam laico viro ſacra illa pignora fuiſſe commendata. Quod reliquum eſt, moleſte fero, nullam a Gregorio muneris hujus memoriam fuiſſe relictam. Superſunt quidem nonnullae ejuſdem Epiſtolae ad Theodelindam, ſed ne verbum quidem de hiſce oleis ibi. In Epiſtola VII. Lib. XII. haec ad illam ſcribit: *Excellentiſſimo autem Filio noſtro Adulowaldo Regi tranſmittere philateria curavimus, ideſt Crucem cum ligno S. Crucis Domini, & lectionem S. Evangelii theca Perſica incluſam*. Philacteriorum nomine heic bullas, thecaſve intelligi ſacris reliquiis plenas optime noſti, ait enim Johannes Diaconus Lib. V. Cap. VIII. de vita ejuſdem Magni Pontificis: *Quod autem reliquiarum philacteria tenui argento ſabricata, vilique pallio de collo ſuſpenſa fuiſſe videntur, habitus ejus mediocritate demonſtratur*. Dudo quoque Lib. II. de Actis Normann. ſcribit:

Reliquiaeque ſimul, philateria, Cruxque verenda.

uti legere eſt apud C. V. Du-Freſnium in Gloſſ. med. & inf. Latinitatis, ubi permulta hujuſmodi exempla proponuntur. Nunc autem de Catalogi noſtri utilitate reſtat ut aliquid diſſeramus, quamquam me non fugiat, mea mihi fortaſſe ſupra eorum dignitatem a me aeſtimari, pretiumque munuſculi hujus a mea potius opinione, quam ab ejus praeſtantia pendere. Itaque primo hinc diſcimus, quam multis Martyrum exuviis, ſacriſque corporibus Gregorii tempore Roma abundaret. Scilicet turba illa erat, *quam dinumerare nemo poterat*, & cujus glorioſas animas Johannes Apoſtolus in Apocalypſi Prophetice vidit, nobiſque ſignificavit. Martyres non pauci nomen ſuum illic ab oblivione intactum ſervabant, innumerabilium vero cineres ſine nomine, ſed non ſine juſto honore ſacris in tumulis ſervabantur. Leguntur heic *S. Jaſon, & alii Sancti multa millia, S. Agnetis, & aliorum multorum Martyrum*. Deinde *S. Cornili*, ſeu Cornelii, *& multa milia Sanctorum. S. Blaſtro, & multorum Sanctorum*. His accedunt CCLXII. & CXXII. & XLVI. quorum corpora, ut in antiquiſſimis etiam Actis apud Surium die 10. Auguſti refertur, poſt praeclariſſimum S. Laurentii certamen *Juſtinus Presbiter, & Johannes nocte collegerunt, & ſepelierunt in crypta in via Salaria VIII. Kal. Novemb.* Sequitur memoria *S. Filippi, & aliorum multorum Sanctorum*, ut plane pateat numerum Martyrum, qui Romanis in Baſilicis condebantur, colligi non potuiſſe. Quare mirari ſubit Henrici Dodwelli, viri alioqui eruditi, opinionem in Diſſert. Cyprian. *de paucitate Martyrum*, ubi paucos Chriſti fideles Ethnicis inſectantibus Martyrii palma donatos contendit. Infelicem profecto operam luſit ille, qui ut ingenio pollentem ſe proderet, ſibique ab audaci ſententia famam compararet, in eam raptus eſt neceſſitatem, ut ſummum decus Chriſtianae Eccleſiae, cui vel ipſe, haereticus licet, nomen dedit, eriperet, ſeque, ſi Superis placet, Tyrannorum protectorem, ac patronum praeſtaret. Equidem nolim vadem me pro illis offerre, qui omnibus Sanctorum Actis fidem habendam arbitrantur; quin facile in eam pendeo ſententiam, ut a ſequiorum ſeculorum ignorantia, ac pio errore multa in Eccleſiam

ſiam Dei incredibilia, imo falſiſſima fuiſſe illata cenſeam. Sed longe plura SS. Martyrum Acta periiſſe tum ſcimus, tum etiam dolemus. Nam ſi una in Urbe tot Chriſtiani veram Fidem ſanguine, ac morte ſua teſtati ſunt, ut eorum numerus ad quamplura millia aſcenderet, imo omnem fugeret recenſionem, quanta Martyrum multitudo futura fuit in toto terrarum orbe, per quem Tyrannorum rabies ſe quoque effudit? Quamquam & infirma Dodwellianae opinionis fundamenta omnino convulſa ſunt a Clariſſimis viris Antonio Pagio in Critica Baroniana, ac a Theoderico Ruinarto Monacho inſignis Congregationis S. Mauri in Actis primorum Martyrum ſinceris. Verum quia minime defuturos cenſeo, qui Dodwelli defenſionem ſuſcipiant, vereor ne Gregorium quoque Magnum aliquot ſeculis ab inſectationum temporibus remotum veluti impoſtorem, auctoremve nimiae credulitatis ſuſpicione aſperſum conviciis excipiant, Dodwelli ipſius more, qui a Monachis otioſis tantam Martyrum multitudinem falſo nobis obtruſam commentus eſt. At otioſis Coenobitis accenſere certe non audebunt Leonem Magnum, qui in Serm. I. de Natali Apoſtolorum haec habet: *Unde duo iſta praeclara divini ſermonis germina in quantam ſobolem germinarint, beatorum MILLIA Martyrum proteſtantur, qui Apoſtolicorum aemuli triumphorum Urbem noſtram purpuratis, & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quaſi ex multarum honore gemmarum conſerta uno diademate coronarunt.* En tibi beatorum Martyrum millia, quorum triumphis Romana Eccleſia illuſtrata fuerat. Illorum vero multitudo non tantum ex S. Gregorii, ſed etiam ex S. Paulini Epiſcopi Nolani mente, numero comprehendi non poterat. Dabo ejuſdem carmina ex Natali XIII.

Heic Petrus, ac Paulus proceres, heic Martyres omnes,
Quos ſimul innumeros magnae tenet ambitus Urbis &c.

Tanto Scriptori, qui poſtremo inſectationum ſeculo floruit, fidem habendam nemo ratione conſtans negabit. Quid ſi Aurelium Prudentium quoque a nobis ſtantem producamus, & ipſum ſeculi a Chriſto nato quarti Scriptorem? Ejus utique fidem, ac dicta vel Dodwellus deoſculetur, quum ejus ſilentio ad ſuam ſententiam roborandam fuerit uſus ita ſcribens: *Sub ſeculi quarti finem ſcripſit περὶ Στεφάνων Prudentius in Latinos & Martyras, praecipue Hiſpanos, ſed & illos pauciſſimos.* Inquit igitur magnus ille Poeta in eodem Libro Hymn. II. de S. Laurentio.

Vix fama nota eſt, abditis
Quam plena Sanctis Roma ſit,
Quam dives urbanum ſolum
Sacris ſepulcris floreat.

Idem etiam in Hymno XI. de. S. Hippolyto ita loquitur:

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Chriſto Valeriane ſacer.

Tum addit ex tanta Martyrum copia plures nomine, aut epigrammate cognitos illic videri; multorum legi ſolum numerum; innumerabiles vero eſſe, qui neque nomine, neque numero diſtinguerentur. Audiamus:

Plurima literulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquid.
Sunt & multa tamen tacitas claudentia turbas
Marmora, quae ſolum ſignificant numerum.
Quanta virum jaceant congeſtis corpora acervis
Noſſe licet, quorum nomina nulla legis.

At, inquit Dodwellus, diligentiſſime olim Martyrum Acta literis mandabantur, quumque per univerſas Eccleſias ea monumenta ſpargerentur, fieri non poteſt, ut perire potuerint. Et nihilominus temporibus noſtris tot Martyres ſine nomine jactantur, aut eorum Acta a recentioribus concinnata feruntur non ſine patenti veritatis periculo, aut detrimento. Verum in Diocletiani, ac Maximiani infeſtatione, imo inter alias Chriſtianae Eccleſiae aerumnas hujuſmodi Acta excidiſſe, flammiſve tradita fuiſſe, pluribus demonſtrare fas eſſet; unum tamen heic Prudentii teſtimonium prae cunctis erit. Inquit autem Hymno primo de SS. Martyrib. Calagurritan. Nemiterio, & Cheledonio:

O vetuſtatis ſilentis obſoleta oblivio!
Invidentur iſta nobis, fama & ipſa extinguitur.
Chartulas blaſphemus olim nam ſatelles abſtulit,
Ne tenacibus libellis erudita ſecula
Ordinem, tempus, modumque paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures poſterorum ſpargerent &c.

Ad Maryres redeo, quorum innumerabilem copiam in Urbe aeterna traditam tumulo diximus. Quod ſi inſigne opus Pauli Aringhi de Roma ſubterranea conſulamus, nonne ſtatim pluribus ex documentis liquet totam Romam continuatum eſſe, ut ita dicam, interruptumque ſacrorum cinerum ſepulcrum. Una Baſilica Vaticana adeo Sanctorum Martyrum corporibus abundat, ut multa eorundem millia ibidem aſſerventur, quemadmodum Summi Pontifices Nicolaus IV., & Joannes XXII. in ſuis Diplomatibus apud ipſam Baſilicam cuſtoditis ſcribunt, referente Jacobo Grimaldo in Catalogo MS. ſacrarum Reliquiarum ejuſdem Baſilicae. Quum autem tot ibidem Sanctorum oſſa ſervarentur, hinc factum eſt, ut paucis ſepulcri locus in venerabili templo illo concederetur, adeoque noſtris temporibus pia haec retinetur conſuetudo, ut ſolis ſummis Pontificibus, aut magnis Principibus id liceat. Sic tantae Baſilicae pio honori cautum eſt, ne cum ſacris cineribus profana cadavera confunderentur. Quod ſi quis olim in hoc templo tumulum invenire cupiebat, veniam, ac facultatem a Romanis Pontificibus impetrare ante cogebatur. Refert propterea Aringhus Lib. II. Cap. X. Romae Sub-

Digitized by Google

Subterran. Epitaphium Fl. Maximi V. C. cui *ab Hormiſda Pontifice locus in Baſilica B. Petri* conceſſus fuerat. Ego vero alium hujuſmodi lapidem producam ibidem repertum Anno 1617. 11. April., & quem evulgatum nuſquam invenio:

LOCUS. MARCELLI. SUBD. REG. SEXTE.
CONCESSUM. SIBI. ET. POSTERIS. EJUS
A. BEATISSIMO. PAPA. JOANNE.
QUI. VIXIT ANN. PL. M. LXVIII.
DEP. P.C. BASILI V.C. ANN. XXII.
IND. XI. UNDECIMU. KAL.
JANUARIAS.

Secundo quum omnium Martyrum, qui noſtro in Catalogo memorantur, corpora Gregorii aevo in Urbe colerentur, ubi videre contingat, ex his aliquem aliis in locis nunc quieſcere, continuo monebimur, illuc a Romanis tumulis ſacros cineres fuiſſe translatos. Exemplum accipe. S. Quirinus Romae pro confeſſione Fidei interſectus, ibidem etiam ſepulcro traditus fuit. Quum vero gemini hujus nominis Martyres in Martyrologiis recenſeantur eadem in Urbe coronam conſequuti, utriuſque tamen corpora nunc aliis in regionibus conduntur. Unus in Tergernſeano Bavariae Monaſterio die 25. Martii, alter Noveſii ad Rhenum requieſcunt, uti a Clariſſimis Henſchenio, & Papebrochio in Actis Sanctorum adnotatur. Recte igitur traditum eſt, unum ſaltem eorum ab Urbe illuc fuiſſe translatum. Tertio quorumdam Martyrum nomina heic tibi occurrent, quae non tam facile alibi reperias. Et profecto nullus dubito, ſi magno Cardinali Baronio Index iſte fuiſſet ad manum, quin ille Romanum Martyrologium fuiſſet aucturus. Quis enim decentius eo in libro locum obtineat, quam qui Romae olim cum Martyrii palmam, tum ſepulturam invenere? Heic igitur deſcriptos videas (ſi tamen abſque mendis nomina redduntur) S. Sapientiam, S. Frecicium, S. Liberalem, S. Bauſonem, S. Blaſtronem, & S. Luticium, quorum, ut ajebam, nulla in Romano Martyrologio occurrit mentio. Equidem quod eſt ad S. Sapientiam, lubenter in eam concedo ſententiam, ut arbitrer eam a S. Sophia nequaquam diſtingui, quam ſupra his deſignatam verbis video: *S. Sophiae cum tres filias ſuas*: Etenim haſce tres S. Sophiae filias, nempe Spem, Fidem, & Caritatem poſt S. Sapientiae nomen expreſſas iterum legimus. Tuum itaque erit diligentius perpendere, quo titulo eadem nomina repetita fuerint, uti etiam an S. Blaſtro cum S. Blaſto conveniat, qui Romae Martyrium abſolvit, ut fidem facit die 17. Junii Martyrologium ſub Hieronymi nomine evulgatum. De S. Liberale meminit Ferrarius in Catalogo SS. Ital. ad diem 30. Decembris, eumque ex MS. Epiſcopum Canuſinum, ac Romae capite plexum tradit. De reliquis Martyribus nihil dicendum ſupereſt, niſi quod vobis praeſidium hinc obventurum eſt, ſi aliis in Martyrologiis eorum nomina ſe offerant. Tandem animadvertas Petronillam S. Petri filiam heic nuncupari, quam appellationem, uti ad diem 31. Maii in

Actis SS. adnotarunt Cl. Collegae tui, in antiquis Codicibus raro inveniri, compertum habemus. Sed jam habes, Janninge eruditiſſime, enormem commentarium in exiguum opuſculum, habes obſequii mei infirmum pignus, utrumque fortaſſis inutile tibi, ſi id meriti mei modulo, non ex tuae humanitatis ratione metiaris. Ego interim tibi, Clariſſimoque P. Papebrochio, meliora è Coelo precor otia, ut interruptam ſtudiorum veſtrorum lineam in Eccleſiae Catholicae commodum, atque in literarum progreſſum alacrius repetatis. Libris vero veſtris ut pax reddatur, ut honor reſtituatur, una cum omnibus literarum, ac veritatis cultoribus vehementer opto. Et quis modo hanc vobis felicitatem non ſpondeat? Si rationum veſtrarum firmitas, ſi adverſariorum veſtrorum minus aequae accuſationes perpendantur, ſi animo praejudiciis expurgato ad ſententiam eatur, non dubito, quin a veſtris partibus ſtet victoria. In eam enim Urbem, atque in illud Tribunal cauſſam veſtram agitandam intuliſtis, ubi tot eruditiſſimi viri melioribus literis dant operam, ubi quot eruditos invenias, totidem etiam ſcias aequitatis amantes. Atque utinam votum ſpemque meam brevi completa intelligam; tunc enim non vobis tantum pro pace recuperata, ſed univerſae literatorum Reipublicae gratulabor, quum omnium interſit tum utiliſſimi operis, tum veritatis triumphum inſpicere. Vale.

CHRO-

CHRONICON
REGUM ITALIAE.

DIE Sabbati, quod eſt decimo die menſis Aprilis, & fuit in eo die ſecundum Paſchae Civitate Arlenda migravit ab hac die Rodulphus Rex. Regnavit annos V.

Deinde venit in Italia Domnus Ugo Rex. Ab ea die regnatum annos XXI. expletos, & menſes VIIII., & dies III., & filius ejus Lautharius ab ea die regnatum cum ipſo genitori ſuo annos XVI. & dies VI. Poſt deceſſum ipſius Ughoni regnavit ipſe Lautharius annos III. expletos, & menſes VII. & dies II. Obitavit dies Veneris, qui eſt decimo Calendas Decembris Civitate Taurinenſum. Erat tunc in die onora.

Fuit itaque tunc Regnum ſine Rege eo tempore dies XXIV. & in viceſimo quarto die, qui fuit die Dominico XV. die Decembris in Baſilica S. Michaelis, quae dicitur Major, fuerunt electi, & coronati Berengarius, & Adalbertus filius ejus in Regibus. Et re-

Digitized by Google

gnaverunt in pace annos XII. & viſcerunt ſe, poſtquam coronam acceperant, annis XX. & IV. & menſibus IV. & dies V.

Oto Imperator regnavit annis XI. & menſes IV.

Item Oto filius ejus regnavit poſt deceſſum genitori ſuo annis X. & habebat regnatum cum ipſo genitori ſuo annis VI.

Defuncto ſecundo Otone fuit tunc Regnum ſine Regem annos V. & menſes IX. Die Veneris, quod eſt decimo Kal. Februar. in finibus Romani ad locum, qui vocatur Paterne apud ipſe Oto Imperator Indiction. XV.

Fuit tunc Regnum ſine Rege XXIV. dies. Die, qui fuit Dominico, & fuit XV. die menſis Februar. in Civitate Papia inter Baſilicam S. Michaelis fuit coronatus Ardoinus Rex, & regnante annos duos, & menſes II.

Et in die Dominico, qui fuit die Menſis Madii inter Baſilicam Sancti Michaeli, quae dicitur Majore, fuit electus Henricus, & coronatus in ſecundo die, qui fuit die Lunae XII. die Menſis Madi, & coronatus Civitate Papia ab igne combuſta fuit. Et regnavit Annos X. minus menſes IV. Et in Feſtivitate Cathedrae S. Petri VIII. Kal. Mart. fuit coronatus ad Imperatorem, & imperavit Annos XII. & menſes V. minus dies IV.

Et fuit tunc Regnum ſine Rege annos II. & menſes VII. & dies IV. Et tunc fuit coronatus Chunradus in Roma VIII. Kal. Junias. Et percurrit Indictio XI. & anni Incarn. Domini Milleſimo viceſimo octavo. MXXVIII.

ALIUD CHRONICON.

IN Nomine Domini Ugo Rex, & Lautharius filius ejus regnavit inſimul annos XX. Poſt vero ipſius Ugoni deceſſum ipſe Lautharius filio ejus regnavit annos III.

Deinde regnaverunt Berengarius, & Adalbertus filio ejus inſimul annos XI.

Deinde venit primus Otto in Italia, & privavit Regnum eorum Berengarium, & Adalbertum, & fuit translatum ad Imperatorem. Et imperavit annos XI. & menſes III. & dies VI. antequam ejus filius Otto fuiſſet Imperator.

Poſtquam

Poſtquam ipſe ſecundus Otto fuit coronatus ad Imperatorem eſſe, imperavit annos XXI. menſibus III. diebus VI. Ipſi ambo inſimul anni VI. Poſt autem ipſius primi Ottonis deceſſum praedictus filius ſecundus Otto imperavit annos X. cum patre annis VI. menſibus III. diebus VI.

Et fuit intervallum poſt ipſius deceſſum, antequam tertius Otto fuiſſet coronatus ad eſſe Imperatorem, annos XII. Imperavit ipſe tertius Otto Annos V. & menſes VIII.

Poſt ipſius deceſſum regnavit Ardoinus Rex annos II. & menſes II. & dimidio.

Deinde venit Anricus Rex, & imperavit Regnum eidem Ardoinus. Fuit coronatus ad Regem in Papia tertio die ante feſtivitatem Sancte Xiri, quae fuit in medio Madio. Et habet modo regnatum IX. annos, & dies IX. XII. Kal. Junias odie. Et percurrit Indictio XI.

Pro omni tempore mumnit Indictiones octavo Kal. Octubris, hoc eſt ſeptimo die exiente menſe Septembri anno Incarnationis Domini N. J. C. milleſimo XII. Ugo intrabit Rex, & percurrit Indictio octava. Lautharius intrabit, & percurrit Indictio quarta. Berengarius quando intrabit Rex, & percurrit Indictio VI. Quando intrabit Otto Rex, percurrit Indictio VII. Otto filius item Ottonis, percurrit Indictio III. Quando intrabit Rex tertius Otto, percurrit Indictio XV. Quando intrabit Rex Ardoinus, & percurrit Indictio I. Quando intrabit Rex Anricus, percurrit Indictio XI. Quando fuit Lotharius, fuit intervalle *egoriti*. Intrabit Rex, & fuit Incarnatio Domini N. J. Ch. DCCCCLXV. Et quando Berengarius migravit, erat DCCCCLXV.

ADNO-

ADNOTATIONES

IN HAEC CHRONICA.

GEMINOS MS. Codices pervetuſtos in Ambroſiana Bibliotheca ſervamus, quorum prior Capitularia Regum Francorum, alter Langobardorum leges complectitur. Hic circiter Ann. Chriſti MXIII. ille Anno MXXVIII. exarati fuere, & olim in Coenobio quodam, ut ibi notatur, extabant Oſcelae ſito, quod vulgo *Suſa di Savoja* appellatur. Multa hinc diſcas, quibus Regum. Italiae Chronologia amplificetur, nonnulla etiam, quibus reſtituatur. Praeter alia heic animadvertas, Regio nomine inſigniri Arduinum, quem Henricus Imperator inter Coelites poſtea cooptatus acerrimo bello inſectatus eſt, cumque Ticinenſi in Urbe corona Italica fuiſſe redimitum. Regnum illius duobus tantum annis, duobus menſibus, & aliquot diebus conſtaſſe dicitur. Hunc tamen Arduinum Ditmarus Lib. IV. Hiſtor. *Regem à Longobardis falſo appellatum* ait, & in eamdem ſententiam plerique Germanici Scriptores ivere. Utri ex his partibus ſtet veritas, inquiram ego fortaſſis in Diſquiſitione *de Corona Ferrea* (a) hoc ſecundo Tomo includenda. Diverſam etiam rationem temporis, quo Conradus Imperator Romanam Coronam ſuſcepit, heic obſerves; reliqui enim Hiſtoriographi à Baronio laudati Anno Chriſti 1027. illum à Joanne Pontifice die Sancto Reſurrectionis Dominicae inunctum, & coronatum affirmant, quod tamen VIII. Kal. Junias peractum hoc in Chronico legitur. Quod eſt ad Annos, quibus tertius Otto Romanorum Imperatorem egit, recte notatos heic video. Quum enim An. Ch. *996.* V. Id. Maii Romae aureum diadema acceperit, annoſque deinde V. & menſes IX. imperaſſe dicatur, ejus mors iccirco in Annum 1002. & in menſem Februarium eſt coniicienda. Quare iis auſcultandum non eſt, qui falſa temporum ratione ducti in Anno ſuperiore, hoc eſt 1001. Caeſaris hujus interitum figunt. Hoc Emin. etiam Baronius animadvertit. Ceterum & hinc percipimus, Auguſtorum annos a die tantum ſuſceptae Romanae Coronae numerari olim conſueviſſe, quem morem aliis ſcriptoribus uſurpatum cognovimus. Tandem ope Indictionum heic deſcriptarum tempora facilius intelligas, quibus Italicum ſceptrum Reges obtinuere. In noſtro autem Codice, ubi Regum Francorum Capitularia leguntur, poſt Chronicon Conſtitutio Henrici Imperatoris, ut arbitror, primi ſequitur, quam quia hucuſque non editam cenſeo, huc derivare par eſt.

CON-

(a) Hac Tom. XI. P. III.

Digitized by Google

CONSTITUTIO

HENRICI PRIMI IMPERATORIS.

HENRICUS GRATIA DIVINAE MISERATIONIS ROMANORUM IMPERATOR AUGUSTUS.

OMNIBUS *noſtris fidelibus praeſentibus etiam & futuris notum fieri volumus, quod ſemper Reipublicae providentes, quae digna ſunt, probabilium perſonarum noſtri Imperii fidelium acceptione diſponimus. Cum enim pro excellentia noſtri Regni, & pro utilitate multimoda demoraremur in Civitate Argentina, quae vulgari nomine Straburge vocatur, multorum perlatum eſt ad nos relatione, quod plurimi tunc erant, qui ſub occaſione his periculis laborabant. Unde etiam digna proviſione omnibus ſuccurrentes, atteſtatione quamplurium nobis aſtantium fidelium Archiepiſcoporum, Mediolanenſis videlicet, & Treverenſis, Epiſcoporum quoque Tranburgenſis, Placentini, Cumani, Vercellenſis, Parmenſis, Aquenſis, Lunenſis, Vulterrenſis, Marchionum quoque & Comitum Italibenſium, nobilium vero multorum Vavaſſorum, ſapibentium, & Judicum, inter multa, quae Reipublicae congruebant, tria Capitula inſervimus, quae & ab omnibus noſtri Imperii obſerventur, ſtabilique obſervatione teneantur amodo, & deinceps ſtatuimus, jubemus, & firmiter praecipimus. Haec ſunt, quae inviolabiliter obſervari jubemus.*

Cap. I. Quicumque ex quacumque natione legitimam uxorem acceperit, vel acceperit, ſi eam mori contingerit ſine filiis, filiabuſque eorum amborum, vir ſuae uxoris ſuccedat, & omnia bona ejus percipiat.

Cap. II. Quicumque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, aut ſororem, vel nepotem, vel aliquem ſuum propinquum per ſe, aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios ſuos legitimos heredes perveniat. Interfectoris vero hereditas in Fiſco redigatur. Ipſe vero ordinante Epiſcopo publicae poenitentiae ſubdatur. Quod ſi ille, qui crimine arguitur, negare voluerit, per ſe pugnam faciat, nec liceat ei Campionem pro ſe dare, niſi decrepita aetas, aut juvenilis, aut infirmitas pugnare probibuerit.

Cap. III. Qui infra trevvam, vel datum pacis oſculum, aliquem hominem interfecerit, & negare voluerit, pugnam per ſe faciat, nec Campionem pro ſe dabit, niſi ut dictum eſt ſupra. Si vero convictus fuerit, manum, qua homicidium fecit, amittat.

VETU-

Digitized by Google

VETUSTISSIMI VERSUS
QUI OLIM IN BIBLIOTHECA
SANCTI ISIDORI
HISPALENSIS EPISCOPI
LEGEBANTUR.

ISIDORI Spalenſis Epiſcopi extant verſus titulis Bibliothecae.

Sunt heic plura ſacra, ſunt heic mundialia plura,
 Ex his, ſi qua placent carmina, tolle, lege.
Prata vides plena ſpinis, & copia floris;
 Si non vis ſpinas ſumere, ſume roſas.
Heic gemmae radiant veneranda volumina Legis,
 Condita ſunt pariter heic nova cum veteri.
Origenes. Ille Origenis ego Doctor veriſſimus olim,
 Praereptus ſubito lingua nocente fui.
Condere, ſi credis, ſtudui tot millia libros,
 Quot legio miſſos ducit in arma viros.
Nulla meos umquam tetigit blaſphemia ſenſus,
 Sed vigil, & prudens tutus ab hoſte fui.
Sola mihi caſum Periarchûm dicta dederunt,
 His me conjectum impia tela premunt.

Digitized by Google

Gallia me genitum, me Pictavis ore tonanti *Hilarius.*
Doctorem Hilarium miſit alumna ſuum.
Ambroſius Doctor ſignis inſignis, & Hymnis, *Ambroſius.*
Enitet heic titulis, enitet eloquiis.
Mentitur, qui te totum legiſſe fatetur, *Auguſtinus.*
Aut quis cuncta tua Lector habere poteſt?
Namque voluminibus mille Auguſtine refulges;
Teſtantur libri, quod loquor ipſe, tui.
Quamvis multorum placeant volumina libris,
Si Auguſtinus adeſt, ſufficit ipſe tibi.
Hieronyme Interpres variis doctiſſime linguis *Hieronymus.*
. . . .
Te Bethlem celebrat, totus te perſonat orbis,
Te quoque noſtra tuis Bibliotheca libris.
Nomine Joannes Chryſoſtomus inde vocatur, *Joannes Chryſoſtomus.*
Aurea quod noſtrum lingua coruſcat opus.
Conſtantinopolis me praeceptore refulget,
Et celebror libris Doctor ubique meis.
Compoſui mores, virtutum praelia dixi,
Et docui miſeros crimina flere reos.
Clarior eloquio cunctis Cypriane refulges, *Cyprianus.*
Tu modo Doctor eras, tu modo Martyr ades.
Si Maro, ſi Flaccus, ſi Naſo, & Perſius horret, *Prudentius.*
Lucanus ſi te, Papiniuſque tedet;
Par eat eximio dulcis Prudentius ore,
Carminibus variis nobilis ille ſatis.
Perlege facundi ſtudioſum carmen Aviti. *Avitus.*
Ecce Juvencus adeſt, Seduliuſque tibi. *Juvencus.*
Ambo lingua pares, florentes verſibus ambo *Sedulius.*
Fonte Evangelico pocula larga ferunt.
Deſine Gentilibus ergo inſervire Poetis.
Dum bona tanta potes, quid tibi Calliroen?
Hiſtorias rerum, & tranſacti tempora ſecli *Euſeb.*
Condita membranis haec ſimul arca gerit. *Oroſius.*
Quantum Auguſtino clares tu Jppone magiſtro,
Tantum Roma ſuo Praeſule Gregorio. *Gregor.*
Non ſatis antiquis Doctoribus impar haberis
Leander vates. Hoc tua dicta docent. *Leander.*
Conditur heic juris ſeries ampliſſima legum, *Theodoſius.* *Paulus.*
Veridico Latium quae regit ore forum. *Gajus.*

Non fucos, libros geſtant haec ſcrinia noſtra;
  Qui cupis, ecce lege, ſi tua vota libent.
Tolle heic ſegnitiem, pone faſtidia mentis;
  Crede mihi frater, doctior inde redit.
An dicis forte: Quid jam mihi iſta neceſſe eſt,
  Quod meditem ſtudij non ſupereſſe mei?
Explicui Hiſtorias, percurrique omnia Legis:
  Vere hoc ſi dicis, jam nihil ipſe ſapis.
Coſmas. Quos claros orbe celebrat medicina magiſtros,
Damianus.   Hos praeſens pictos ſignat imago viros.
Hyppocrates. Sunt medio dona, quam diu quiſque laborat,
Gallienus.   Aeger jam ſurgit, nulla lagena venit.
Quod debes medico, redde aeger, ne mala rurſus
  Occurrant, occurret denuo nemo tibi.
Pauperis attendat medicus cenſum, atque potentis,
  Diſpar conditio diſpari habenda modo eſt.
Si fuerit dives, ſit juſta occaſio lucri;
  Si pauper, merces ſufficit una tibi.
Quidquid Arabs aris, quidquid fert Indus odoris,
  Quidquid & Jonii pervehit unda maris,
Cynamomum, myrrham, folium, caſſiamque nitentem
  Balſama, thus, calamum, Choriciumque crocum;
Haec poſſunt magnorum pigmentaria Regum,
  Et domus immenſis proflua deliciis.
Nos vilibus fruimur pratorum germinis herbis,
  Quas humiles valles, & juga celſa ferunt.
Sacri ergo Heſperidum montes, & rura valete,
  Nam multis curis munera veſtra valent.
Heic odorata jacent, heic ſpirant cynnama, thura,
  Quaeque opulentus Arabs, quaeque Sabea feret.
Unguenti genera dum ſint gratiſſima plura,
  Nil roſa, nil viola gratius eſſe poteſt.
Cedet Elinus, cedet Amaracinus illis,
  Cedet & heic Cypriûm quae regione venit.
Unguenta heic cernis varia, quae Graecia miſit,
  Plurima & Heſperia de regione ſumus.
Vaſcula concreta fragilis de pulvere cretae
  Pigmenta gerimus, pocula nulla damus.

IN

Digitized by Google

IN PROPOSITA CARMINA

ADNOTATIONES.

UTi anno proxime elapſo animadverti in Prolegomenis ad Tomum (a) primum Anecdotorum, vetuſtiſſimus ille Codex, unde quatuor S. Paulini Epiſcopi Nolani Poemata deſcripſi, alia quoque SS. Patrum carmina complectebatur, puta Venantii Fortunati, Proſperi, Juvenci, Aratoris, & Paulini Petricordii. S. Proſperi Epigrammatis hi verſus ſubiiciuntur ab antiquo Scriptore certe profecti.

Haec Auguſtini ex ſacris Epigrammata dictis
Dulciſono Rhetor componens carmine Proſper
Verſibus exametris depinxit, pentametriſque,
Floribus ex variis ceu fulget nexa corona,
Unde ego te Lector, religis qui haec ſedulus, oro
Intentas adhibere ſonis coeleſtibus aures;
Iſtic nam invenies, animum ſi cura ſubintrat,
Maxime quid doceant Sanctae moderamina Legis
Obſervare homines, vel quid vitare ſub aſtra,
Sidereum Coeli cupiunt qui ſcandere Regnum.

Heic quoque carmina moralia leguntur Catoni adſcripta, poſt quae ſine titulo ſequitur Theodulfi Aurelianenſis Epiſcopi Paraeneſis ad Judices libro primo carminum edita. Deſiderantur tamen in Codicibus impreſſis carmina quatuor in calce Poematis exarata, & cum aliis verbis conjuncta. Ita vero ſe habent:

Carmina ſi fuerint, te Judice, digna favore,
Reddatur titulus, purpureuſque nitor.
Sin minus, aeſtivas poteris convolvere ſardas,
Aut piper, aut calvas hinc cooperire nuces.

Dices illi in fletu cordis: Aſpice ad infelicem pietate immenſa. Reſpice crudelem miſericordia publica. Vulneratus ad medicum curro. Serva pietatem conſuetudinis, qui tamdiu ſuſpendiſti gladium ultionis, dele numeroſitatem criminum multitudine miſera-

(a) Tom. XI. P. I.

miſerationum. Poſt haec proxime leguntur verſus pluteis praefixi Bibliothecae Sancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi. Auctorem illorum minime novi, neque Theodulſo Aurelianenſi adſcripſerim, quamquam in argumento ſimili ſaepe verſato; neque enim tam negligenter metri, ac Proſodiae leges ille neglexiſſet. Iſidoro ipſi fortaſſe quis tribuat, nam & Poetices ornamentis ſanctum illum Epiſcopum excultum fuiſſe prodit *Lamentum Poenitentiae* Throchaicis verſibus compoſitum, atque inter ejus opera evulgatum, ſi quidem Iſidoro tribuendum eſt Poemation illud a Braulione Epiſcopo Caeſarauguſtano in Catalogo operum Iſidori praetermiſſum. Certe quin ad ſeculum Chriſti ſeptimum, quo potiſſimum floruit Iſidorus, opuſculum hoc referri queat, mendae quam plures non obſtant; illa enim tempeſtate adeo afflictae literarum res fuere, ut non Poetica tantum ars, ſed omnes diſciplinae Barbaris regnantibus tetra in nocte jacerent. Itaque S. Iſidori Bibliothecam hi verſus illuſtrabant, & quum eis multa inſint in SS. Patrum laudem recte pronunciata, idcirco in eruditorum, ac praeſertim Hiſpanorum gratiam luce donandi fuere.

Digitized by Google

EXPOSITIO FIDEI CATHOLICAE FORTUNATI.

QUICUMQUE *vult eſſe ſalvus, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem, quam niſi quiſque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in aeternum peribit.* Primo ergo omnium Fides neceſſaria eſt, ſicut Apoſtolica docet auctoritas dicens: *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Conſtat enim neminem ad veram pervenire poſſe Beatitudinem, niſi Deo placeat, & Deo neminem placere poſſe, niſi per Fidem. Fides namque eſt bonorum omnium fundamentum, Fides humanae ſalutis initium. Sine hac nemo ad Filiorum Dei poteſt conſortium pervenire, quia ſine ipſa nec in hoc ſeculo quiſquam juſtificationis conſequitur gratiam, nec in futuro vitam poſſidebit aeternam. Et ſi quis heic non ambulaverit per Fidem, non perveniet ad ſpeciem beatam Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Catholica* univerſalis dicitur, ideſt recta, quam univerſa Eccleſia tenere debet. Eccleſia quippe Congregatio dicitur Chriſtianorum, ſive conventus populorum. Non enim ſicut conventicula haereticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur, ſed per totum terrarum orbem dilatata

diffun-

diffunditur. *Ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur*, & credamus, & colamus, & confiteamur Trinitatem in perſonis, unitatem in ſubſtantia. Hanc quoque Trinitatem perſonarum, atque unitatem naturae Propheta Eſajas revelatam ſibi non tacuit, cum ſe dicit Seraphim vidiſſe clamantia *Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Ubi prorſus in eo, quod dicitur tertio *Sanctus*, perſonarum Trinitatem, in eo vero, quod ſemel dicimus *Dominus Deus Sabaoth*, divinae naturae cognoſcimus unitatem. *Neque confundentes perſonas*, ut Sabellius errat, qui ipſum dicit eſſe Patrem in perſona, quem & Filium ipſum, & Spiritum Sanctum. Non ergo confundentes perſonas, quia tres perſonae omnino ſunt. Eſt enim gignens, genitus, & procedens. Gignens eſt Pater, qui genuit Filium; Filius eſt genitus, quem genuit Pater, Spiritus Sanctus eſt procedens, quia a Patre, & Filio procedit. Pater & Filius coaeterni ſibi ſunt, & coaequales, & cooperatores, ſicut ſcriptum eſt: *Verbo Domini Coeli firmati ſunt*, ideſt à Filio Dei creati, *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Ubi ſub ſingulari numero Spiritus ejus dicitur, Trinitatem perſonarum aperte demonſtrat, quia tres unum ſunt, & unum tres. *Neque ſubſtantiam ſeparantes*, ut Arius garrit, quia tres perſonas eſſe dicit, ſi & tres ſubſtantias eſſe mentitur, Filium dicit minorem quam Patrem, & creaturam eſſe; Spiritum Sanctum adhuc minorem quam Filium, & Patris & Filii eum adminiſtratorem eſſe adſerit. Non ergo ſubſtantiam ſeparantes, quia totae tres perſonae in ſubſtantia Deitatis unum ſunt. *Alia eſt enim perſona Patris*, quia Pater ingenitus eſt, eo quod à nullo eſt genitus; *alia perſona Filii*, quia Filius à Patre ſolo eſt genitus; *alia Spiritus Sancti*, quia à Patre, & Filio procedens eſt. *Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una eſt Divinitas*, ideſt Deitas, *aequalis gloria*, ideſt claritas, *coaeterna majeſtas*. Majeſtas gloria eſt, claritas, ſive poteſtas. *Qualis Pater, talis Filius, talis & Spiritus Sanctus*, ideſt in Deitate, & omnipotentia. *Increatus Pater, increatus Filius, increatus & Spiritus Sanctus*, ideſt à nullo creatus. *Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus & Spiritus Sanctus*. Non eſt menſurabilis in ſua natura, quia inlocalis eſt, & incircumſcriptus, ubique totus, ubique praeſens, ubique potens. *Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus & Spiritus Sanctus*, ideſt non tres aeterni, ſed in tribus perſonis unus Deus aeternus, qui ſine initio, & ſine fine aeternus permanet. *Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens & Spiritus Sanctus*. Omnipotens dicitur, eo quod omnia

poteſt,

poteſt, & omnium obtinet poteſtatem. Ergo ſi omnia poteſt, quid eſt quod non poteſt? Hoc non poteſt quod omnipotenti non competit poſſe. Falli non poteſt, quia ſanctus eſt; mori non poteſt, quia immortalis vita eſt; finiri non poteſt, quia infinitus & perennis eſt. *Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus & Spiritus Sanctus.* Proprium nomen eſt Patris Pater, & proprium nomen Filii Filius, & proprium nomen eſt Spiritus Sancti Spiritus Sanctus. *Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus & Spiritus Sanctus.* Dominus dicitur, eo quod dominetur creaturae cunctae, vel quod creatura omnis dominatui ejus deſerviat. *Quia ſicut ſingillatim*, ideſt ſicut diſtincte *unamquamque perſonam Deum, & Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur.* Quia ſi me interrogaveris, quid eſt Pater? ego reſpondebo: Deus, & Dominus. Similiter ſi me interrogaveris, quid eſt Filius? ego dicam: Deus, & Dominus. Et ſi dicas: quid eſt Spiritus Sanctus? Ego dicam: Deus, & Dominus. Et in his tribus perſonis non tres Deos, nec tres Dominos, ſed in his tribus, ſicut jam ſupradictum eſt, unum Deum, & unum Dominum confiteor. *Unus ergo Pater, non tres Patres*, ideſt quia Pater ſemper Pater, nec aliquando Filius. *Unus Filius, non tres Filii*, ideſt quia Filius ſemper Filius, nec aliquando Pater. *Unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti*, ideſt quia Spiritus Sanctus ſemper eſt Spiritus Sanctus, nec aliquando Filius, aut Pater. Haec eſt proprietas perſonarum. *Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius.* Quia ſicut numquam Filius ſine Patre, ſic numquam fuit Pater ſine Filio; ſic & numquam fuit Pater, & Filius ſine Spiritu Sancto. Coaeterna ergo Trinitas, & inſeparabilis unitas ſine initio, & ſine fine. *Nihil majus aut minus.* Aequalitatem perſonarum dicit, quia Trinitas aequalis eſt, & una Deitas, Apoſtolo docente, & dicente: *Per ea, quae facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, & per creaturam Creator intelligitur ſecundum has comparationes, & alias quamplures. Sol, candor, & calor, & tria ſunt vocabula, & tria unum. Quod candit, hoc calet, & quod calet, hoc candit. Tria haec vocabula res una eſſe dignoſcitur. Ita Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus tres perſonae in Deitate ſubſtantiae unum ſunt, & individua unitas recte creditur. Item de terrenis vena, fons, fluvius, tria ſunt vocabula, & tria unum in ſua natura. Ita trium perſonarum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ſubſtantia, & Deitas unum eſt. *Eſt ergo Fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus Jeſus Chriſtus.* Jeſus Hebraice Latine Salvator dicitur,

tur, eo quod ſalvat populum; Chriſtus eo quod Spiritu Sancto divinitus ſit delibutus, ſicut in ipſius perſona Eſajas ait: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me &c.* Ita & Pſalmiſta de Chriſto Domino dicit: *Unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae conſortibus tuis. Dei Filius, Deus pariter, & homo eſt.* Filius a felicitate parentum dicitur; Homo ab humo dicitur, ideſt de humo terrae factus eſt. Deus ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, ideſt Deus de Deo, Lumen de Lumine, Splendor de Splendore, fortis de forti, virtus de virtute, vita de vita, aeternitas, de aeternitate. *Per omnia*, ideſt quod Pater in divina ſubſtantia, hoc eſt & Filius. Deus enim Pater Deum Filium genuit non voluntate, neque neceſſitate, ſed natura. Nec quaeratur quomodo genuit Filium, quod & Angeli neſciunt, & Prophetis eſt incognitum. Unde & iſdem eximius Propheta Eſajas dicit: *Generationem ejus quis enarrabit?* Ac ſi dixiſſet: Angelorum nullus, Prophetarum nemo. Nec inenarrabilis, & inaeſtimabilis Deus a ſervulis ſuis diſcutiendus eſt, ſed fideliter credendus, & pariter diligendus. *Et homo ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.* Dei Filius Verbum caro factum, & non quod Divinitas mutaſſet Deitatem, ſed adſumſit humanitatem. Hoc eſt Verbum caro factum eſt, ex utero Virginis veram humanam carnem traxit. Et de utero virginali verus homo, ſicut & verus Deus, in ſeculo natus eſt, ſalvâ virginitatis gratiâ, quia mater genuit, & Virgo manſit ante partum, & poſt partum. *In ſeculo*, ideſt in iſto ſexto miliario, in quo nunc ſumus; ſecula enim generationibus conſtant, & inde ſecula, quod ſequantur, abeuntibus enim aliis alia ſuccedunt. *Perfectus Deus, perfectus homo*, ideſt verus Deus, & verus homo ex anima rationali, & non, ut Apollinaris haereticus dixit, primum quaſi Deitas pro anima fuiſſet in carne Chriſti, poſtea cum per Evangelicam auctoritatem fuiſſet convictus dixit: *Habuit quidem animam, quae vivificavit corpus, ſed non rationalem.* Et e contrario iſte dicit, qui Catholice ſentit: *Ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*, ideſt plenus homo, atque perfectus. *Aequalis Patri ſecundum Divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem*, ideſt ſecundum formam ſervi, quam adſumere dignatus eſt. *Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus.* Ideſt duae ſubſtantiae in Chriſto, Deitas, & humanitas, non duae perſonae, ſed una eſt perſona. *Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed adſumtione humanitatis in Deum.* Ideſt non quod divinitas, quae incommutabilis eſt, ſit converſa in carnem, ſed ideo unus,

unus, eo quod humanitatem adſumſit, coepit eſſe, quod * erat, & non amiſit quod erat, coepit eſſe homo, quod antea non erat; non amiſit Deitatem, quia incommutabilis in aeternum permanet. *Unus omnino non confuſione ſubſtantiae, ſed unitate perſonae.* Ideſt divinitas incommutabilis cum homine, quem adſumere dignata eſt, ſicut ſcriptum eſt: *Verbum tuum Domine in aeternum permanet*, ideſt divinitas cum humanitate, ut diximus, duas ſubſtantias, unam perſonam eſſe in Chriſto; ut ſicut ante adſumtionem carnis aeterna fuit Trinitas, ita poſt adſumtionem humanae naturae vera maneat Trinitas, ne propter adſumtionem humanae carnis dicatur eſſe quaternitas, quod abſit à Fidelium cordibus, vel ſenſibus dici, aut cogitari, cum ita, ut ſupra dictum eſt, & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda ſit. *Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus.* Etſi Dei Filius noſtram luteam, & mortalem carnem noſtrae conditionis adſumſerit, ſed tamen ſe nullatenus inquinavit, aut naturam Deitatis mutavit; quia ſi Sol, aut ignis aliquid immundum tetigerit, quod tangit purgat, & ſe nullatenus coinquinat, ita Deitas ſarcinam, quam ex noſtra humanitate adſumſit, nequaquam coinquinavit, ſed noſtrae naturae carnem, quam adſumſit, purgavit, & à maculis, & ſordibus peccatorum, ac vitiorum expiavit, ſicut Eſajas ait: *Ipſe infirmitates noſtras accepit, & aegrotationes portavit.* Ad hoc ſecundum humanitatem natus eſt, ut infirmitates noſtras acciperet, & aegrotationes portaret, non quod ipſe infirmitates, vel aegrotationes in ſe haberet, quia ſalus mundi eſt, ſed ut eas a nobis tolleret, dum ſuae ſacrae paſſionis gratiam, & Sacramenta chirographo ademto Redemtionem pariter, ac ſalutem animarum nobis condonaret. *Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra*, ideſt ſecundum id, quod pati potuit, quod eſt ſecundum naturam humanam, nam ſecundum divinitatem Dei Filius impaſſibilis eſt. *Deſcendit ad Inferos*, ut Protoplaſtum Adam, & Patriarchas, & Prophetas, & omnes juſtos, qui pro originali peccato ibidem detinebantur, liberaret, & de vinculo ipſius peccati abſolutos de eadem captivitate, & infernali loco, ſuo ſanguine redemtos ad ſupernam patriam, & ad perpetuae vitae gaudia revocaret. Reliqui vero qui ſupra originali peccato principalia crimina commiſerunt, ut aſſerit Scriptura, in poenali Tartaro remanſerunt, ſicut in perſona Chriſti dictum eſt per Prophetam: *Ero mors tua, ò mors*, ideſt morte ſua Chriſtus humani generis inimicam mortem interfecit, & vitam dedit, *Ero morſus tuus, Inferne.*

Partem momordit Infernum pro parte eorum, quos liberavit, partem reliquit pro parte eorum, qui pro principalibus criminibus in tormentis remanſerunt. *Surrexit à mortuis* primogenitus mortuorum. Et alibi Apoſtolus dicit: *Ipſe primogenitus ex multis Fratribus*, ideſt primus à mortuis reſurrexit. *Et multa corpora Sanctorum dormientium cum eo ſurrexerunt*, ſicut Evangelica auctoritas dicit; ſed ipſe, qui caput eſt, prius, deinde qui membra ſunt continuo. Poſtea *aſcendit ad Coelos*, ſicut Pſalmiſta ait: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*, ideſt humanam naturam, quae prius ſub peccato venumdata fuit, & captiva, eamdemque redemtam captivam duxit in coeleſtem altitudinem, & ad Coeleſtis Patriae Regnum ſempiternum, ubi antea non fuerat, & collocavit in gloriam ſempiternam. *Sedet ad dexteram Patris*, ideſt proſperitatem paternam, & in eo honore, quod Deus eſt. *Inde venturus eſt judicare vivos, & mortuos.* Vivos dicit eos, quos tunc adventus Dominicus in corpore viventes invenerit, & mortuos jam antea ſepultos. Et aliter dicit vivos juſtos, & mortuos peccatores. *Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & reddituri ſunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam; qui vero mala, in ignem aeternum. Haec eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.*

Digitized by Google

IN PROPOSITAM EXPOSITIONEM
DISQUISITIO

AD CLARISSIMUM ET ERUDITISSIMUM VIRUM

LAURENTIUM ALEXANDRUM ZACAGNIUM

VATICANAE BIBLIOTHECAE PRAEFECTUM.

SYNOPSIS DISQUISITIONIS.

Symbolum Quicumque *S. Athanaſio doctiſſimi viri abjudicarunt. Quibus rationibus ducti. Vigilio Tapſenſi Queſnellius, Vincentio Lirinenſi P. Chiffletius tribuunt. Quo tempore Symbolum prodierit, aut ſub S. Athanaſii nomine laudari coeperit. Ex antiquiſſimo Codice MS. Ambroſianae Bibliothecae antiquitas ejuſdem, ac differentia oſtenditur. Nunquam addita illi fuit vox* Filioque. *Variae illius Expoſitiones recenſentur. Hujus Symboli Auctor eſſe potuit Venantius Fortunatus. Saltem fuit is hujus Expoſitionis Auctor.*

UTinam, eruditiſſime Zacagni, qui parem tecum in literarum ſtudiis viam inſiſto, eâdem etiam, qua tu, felicitate metam pertingerem, laboreſque mei aeque ac tui aliquam aeternitatis ſpem promererentur; tunc enim majori alacritate hujuſmodi curriculo me totum committerem, & anxia animi contentione in hoc inſtituto inſudarem. Sed quum ingenii mei curtam ſupellectilem mecum reputo, unum mihi inter literarias curas ſupereſſe ſolatium video, nempe mihi ſtudere, dulciſſimamque cum eruditis viris familiaritatem colere. Etſi votis meis plane reſpondeat, ſpem tamen meam ſuperat quidquid utilitatis ex lucubrationibus meis Orthodoxae Fidei obvenire poteſt. Quid enim ego, videlicet corvus inter olores, ſperem praeclariſſimis aevi noſtri Scriptoribus comparatus? Nihil profecto, niſi proborum patientiam, & aliquam ex conſilio meo commendationem. Attamen ubi perſpicio, te quoque eidem rei operam dare, ut nondum edita veterum Patrum, praecipueque Graecorum monumenta publici juris facias, animum meum ad majora incitatum ſentio, & mihimet gaudeo, quod te par cura

exerceat, e qua procul dubio literae meliores promoveantur. Sed ne ex conquiſitis modeſtiae verbis, tuiſve ex encomiis laudem, ac benevolentiam mihi captare videar, en tibi de Symboli *Quicumque* Auctore, & de ejuſdem vetuſtis expoſitionibus novam Diſquiſitionem exhibeo. Plurimi quidem hanc arenam ingreſſi ita omnem ad hoc opuſculum ſpectantem eruditionem conſumſiſſe videntur, ut nihil novi reliquum ſit, quod de illo proferri poſſit. Nonnulla tamen, ni fallor, hucuſque nemini obſervata nunc exhibere juvat, quae utcumque ſe habeant, humanitatis tuae uſum ſibi facile ſpondent. Ante omnia vero, ne, ſi dubitare videar, an S. Athanaſius Symboli hujus Auctor fuerit, teneris quorumdam auribus faſtidium creem, Eminentiſſimi Cardinalis Vincentii Mariae Urſini, Beneventani Archiepiſcopi verba praemittenda cenſui. In Diſſertatione de S. Bartholomaei reliquiis Benevento vendicatis, quam legere eſt pag. 56. Synodici Beneventani Art. VII. inter nonnullos naevos, quos Romano Breviario ineſſe demonſtravit, hunc quoque connumerat: *Symbolum Quicumque vult ſalvus eſſe S. Athanaſio in Breviariis hodiernis adſcriptum, quod illius non eſſe eruditiſſimi plerique ſentiunt, quamquam cujus determinate ſit Auctoris non ita inter ſe congruant. Qua de re legendus Quenellius Diſſert. XIV. in Opera S. Leonis, & alii plures.* Ita Eminentiſſimus, ac doctiſſimus Scriptor, cujus teſtimonium quanti hac in re ſit faciendum, eruditus quiſquis intelligit. Neque vero heic mihi ſunt exſcribenda quae Gerardus Jo: Voſſius in Diſſert. de tribus Symbolis, Godefridus Hermantius in Obſerv. ad vitam S. Athanaſii, Dupinius in Biblioth. Scriptor. Eccleſiaſt. ad S. Athanaſii opera, Natalis Alexander in ſelectis Hiſt. Eccleſ. Diſſert. Daniel Papebrochius Tom. I. Maii, Cabaſſutius, Joannes Mabillonius, Guilielmus Cave, & Caſimirus Oudinus in Supplem. de Script. Eccleſ. ad Bellarminum, aliique de hoc Symbolo Latinis literis mandarunt; eſſet enim actum agere, propiorque toedio, quam eruditioni res foret. Ea tamen memoriae tuae iterum ſubiiciantur oportet, quae Athanaſio Sanctiſſimo Viro opuſculum hujuſmodi facile abjudicare videntur, ut ad obſervationes meas tutiore greſſu deveniam. Primo tam apertis expreſſiſque verbis a Symboli auctore haereſes Neſtoriana, atque Eutychiana refelluntur, ut longe poſt Neſtorii, ac Eutychetis tempora conſcriptum opuſculum dignoſcatur. Atqui S. Athanaſius ſeculo Chriſti quarto humanis ereptus neutram haereſim poſtea natam adeo luculenter damnare potuit. Secundo ſi Athanaſium Auctorem Symbolum hoc habuiſſet, cur ejuſdem auctoritate per plura ſecula doctiſſimi Catholicae Eccleſiae Patres nunquam fuiſſent uſi? Unico hoc telo configi potuiſſet Macedonii, Neſtorii, atque Eutychetis inſania, & nemo tamen inventus eſt, qui ejus aliquando meminerit, non Gregorius Nazianzenus, non Hieronymus, non Auguſtinus, non Coeleſtinus Pontifex, non Leo Magnus, non Cyrillus Alexandrinus, non Caſſianus, aut alii, quorum tamen magni intererat Athanaſii teſtimonium in haereticos pertinaces producere. Quin quod magis mirere, nemo e noſtris, dum Photianum Schiſma ferveret, adeo luculenta S. Athanaſii auctoritate eſt uſus, ut Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere probaret. Tot Patrum ſilentium in eam opinionem nos agit, ut Athanaſium nequaquam Symboli Auctorem arbitre-

bitreretur. Tertio quis credat Athanaſium, qui contra Arianos, dum in humanis ageret, perpetuo ſcriptis decertavit; omniumque ſtrenuiſſime Filium Dei Deo Patri ὁμούσιον, hoc eſt *conſubſtantialem* eſſe oſtendit, hanc vocem in Symbolo ſuo praetermiſſurum fuiſſe? Una haec vox in Nicaeno Concilio a SS. Patribus excogitata Orientem, Occidentemque diu exercuit, & unica veluti Catholicorum teſſera exiſtimabatur. Utique non omiſiſſet Athanaſius Nicaenorum Epiſcoporum ſententiae addictiſſimus. Quarto quamquam ſeculo Chriſtianae Epochae quarto nonnullae prodierint Fidei Catholicae Expoſitiones, tanti tamen Nicaenum Symbolum Athanaſius faciebat, ut hac una formula in ſuae fidei teſtimonium ſemper uteretur. Quapropter ad (a) Jovinianum Auguſtum ſcribens inquit: θελησάσης τοίνυν τῆς σῆς εὐσεβείας μαθεῖν παρ' ἡμῶν τὴν τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας πίστιν, ἐβουλευσάμεθα μᾶλλον πάντων τὴν παρὰ τῶν πατέρων ἐν Νικαίᾳ ὁμολογηθεῖσαν πίστιν ὑπομνῆσαι τὴν σὴν εὐσέβειαν. Hoc eſt. *Quum igitur pietas tua cognoſcere e nobis cupiat Eccleſiae Catholicae fidem, nihil nobis conſultius viſum, quam ut fidem, pro qua Patres Niceae propugnarunt, tuo religioſo animo recitaremus.* Tum addit, univerſas Hiſpaniae, Britanniae, Galliae, Italiae, aliarumque Provinciarum Eccleſias huic fidei formulae conſentire, ſubditque: ταυτῇ τῇ πίστει Αὔγουστε πάντας ἐπιμένειν ἀναγκαῖον, ὡς θείᾳ, καὶ ἀποστολικῇ, καὶ μηδένα μετακινεῖν αὐτῆς πιθανολογίαις, καὶ λογομαχίαις. *Huic autem Fidei, Auguſte, omnes acquieſcant, atque in ea maneant, uti Divinâ, atque Apoſtolicâ oportet, ut nil ex ea immutare per contentiones, pugnaſque verborum liceat.* Alibi vero, & praecipue in Epiſt. ad Antiochenos ſe procul fuiſſe a condenda nova Fidei formula Athanaſius prodit. His accedit, nullam interceſſiſſe cauſſam, ob quam Vir Sanctiſſimus ad hanc Fidei profeſſionem edendam compulſus fuerit; neque enim veri videtur ſimile, quod magnus Annalium parens opinatur, id Romae factum, ut Julio Pontifici fidem ſuam Athanaſius exploratam faceret. Numquam ſane apud viros Catholicos praecipueque apud Epiſcopum maximum haereſis ſuſpicione is laboravit, quippe quot periculis, quot laboribus, quot ſcriptis veram ille Fidem protexerat? Ipſimet Ariani Athanaſium minime haereſeos crimine notabant, ſed ut Magiae deditum, ſed ut avarum, ac in Imperatores perduellem incuſabant. Potiora autem haec ſunt argumenta, quae Athanaſio Symbolum hoc abjudicant. Nam quod alii in hujus opinionis confirmationem adducunt, videlicet Latinum, non Graecum, Symboli Scriptorem fuiſſe, e ſtylo, aliiſque conjecturis rem dijudicantes, parum ad hujuſmodi contentionem dirimendam momenti adſert.

Con-

(a) Typographi errorem putamus, & pro *Jovinianum Jovianum* legendum eſt. Ex Imperatoribus nullus hoc nomine: ſed Jovianus tempore S. Athanaſii imperavit poſt Julianum, eidemque Athanaſius epiſtolas, & hanc ipſam *de Fide*, ut in omnibus illius Operum editionibus videre eſt, miſit, ubi graece πρὸς Ἰοβιανὸν, latine ad *Jovianum* legitur Jovinianus autem Monachus & Haereſiarcha per Siricium Pontificem Max. & per Conc. Mediolanenſe ſub S. Ambroſio damnatus, & ab Imperatoribus Theodoſio, & Honorio proſcriptus, & in Inſulam relegatus, miſere deceſſit. SS. Ambroſius Epiſt. XXXXII. Auguſt. de Haer. Cap. LXXXII. Hieronym. Baronius &c.

Conceptum Latine Symbolum hoc primum fuiſſe, fateor & ego; etenim primigenium quemdam Latinitatis contextum praefert, deinde Graeca exemplaria MS. omnia fere inter ſe diſſident, Latina vero ſecum concordant, poſtremo Latinis antiquitus Symbolum innotuit, ſero autem Graecis. Ego vero inter tot Graeca volumina MS., quibus Ambroſiana affluit, nullum umquam Symboli hujus exemplar Graecum offendi; contra vero nonnulla e Latinis, eaque vetuſtiſſima, ut infra oſtendam. Sed cur Athanaſius, Latino quoque ſermone in hac formula condenda uti non potuit? An quia Latinae linguae ignarus foret? Minime ſane. Quandoquidem Latini non minus quam Graeci ſermonis Athanaſium fuiſſe peritum Marcellinus, & Fauſtinus Presbyteri antiquiſſimi in ſuo libello precum fatentur, quum ab ipſo in Graecam linguam translatos Luciferi Calaritani Epiſcopi libros affirmant. Porro in Commentariis S. Auguſtini in Pſalmum CXX. locus ex hoc Symbolo petitus legebatur olim. Lovanienſes tamen Doctores, nuperique PP. Benedictini ex Pariſienſi Congregatione S. Mauri in Operum S. Auguſtini editionibus adnotarunt, hujuſmodi verba ab omnibus MS. Codicibus abeſſe, quod & ego animadverti in vetuſtiſſimo noſtrae Bibliothecae exemplari. Atque haec, aliaque prudenter obſervata Patri Bernardo de Montfaucon laudatae Congregationis S. Mauri Monacho, eruditiſſimo Clariſſimoque Scriptori, ejuſque ſociis ſuaſere, ut in noviſſima editione Operum S. Athanaſii Anno hoc 1698. Symbolum hoc eidem Sancto Antiſtiti ſuppoſitum affirmarent, illudque inter Opera dubia coniicerent. Eruditiſſimus quoque vir P. Joſeph Maria Thomaſius Cleric. Regular. in notis ad Pſalterium Anno proxime elapſo evulgatis breviter, & modeſte ſententiam ſuam explicat de Symboli hujus Auctore his verbis: *Omiſſis nonnullorum conjecturis, ac divinationibus de Auctore bujus Symboli, ex longa praeſcriptione multorum ſeculorum, & Inſcriptionibus veterum Codicum diligentius videndum, num haec plenior explicatio Nicaenae Fidei ſit, velut Hypomneſticon quoddam, ſive Commonitorium ad Catholicorum inſtructionem contra varias haereſes & Graece, & Latine primo confectum de iis, quae de Trinitate, & Incarnatione tum voce diſputata, tum ſcripto decreta ſunt in Concilio Alexandrino ſub Juliano Auguſto, praeſidente S. Athanaſio, praeſentibuſque ex Latinis S. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi, & duobus Diaconis Luciferi Epiſcopi Inſulae Sardiniae. Certe quae Rufinus Lib. X. Hiſtoriae Eccleſiaſticae Cap. XXIX. & Epiſtola ipſa ejuſdem Concilii apud S. Athanaſium Epiſt. ad Antioch. ſcribunt, ſi conſiderentur attentius, verbatimque expendantur, pene totum Symbolum hocce repraeſentare videntur.* Hactenus rationes vidimus, quae S. Athanaſio Symbolum hoc eripiunt; nunc videamus cuinam auctori adſcribendum cenſuerint eruditi. Petrus Pithoeus in Lib. de Proceſs. Spir. Sancti Gallo cuidam Scriptori gloriam hanc tribuere videtur, atque in ejus ſententiam propendere ſe profeſſus eſt Gerardus Joannes Voſſius in Append. ad Differt. de tribus Symbolis. Anno vero 1675. Queſnellus vir doctiſſimus in Append. ad Differt. XIV. in opera S. Leonis Magni rem propius attingens à Vigilio Tapſenſi in Africa Epiſcopo Symbolum laudatum prodiiſſe arbitratus eſt. Ut hoc probet, his utitur argumentis. Tempus, quo ſcriptum videtur Symbolum, Auctori huic optime convenit, ſiquidem poſt haereſes Arianam,

Neſto-

Neſtorianam, atque Eutychianam floruit, imo illas pluribus inſectatus eſt libris. Deinde Vigilio id moris fuit, ut ſi qua contra haereticos opuſcula ſaeviente Barbarorum inſectatione ſcriberet, ea non ſuo nomine, ſed ſub antiquorum Patrum, praecipueque ſub S. Athanaſii perſona evulgaret, quod eruditis maxime conſtat. Veri igitur ſimile videtur, & hocce opuſculum magno Athanaſio per hunc Auctorem fuiſſe ſuppoſitum, eaque etiam firmius confirmatur opinio, ubi ſimul conferantur Symbolum, & libri tres de Trinitate à Vigilio contra Marivadum, ſeu Varimadum ſcripti, in quibus nonnulla ſenſa inter ſe conſimilia reperiuntur. His additur Codicis Thuanaei auctoritas, in quo praeter Dialogum adverſus Arianos, Sabellianos, ac Photinianos ſub Athanaſii nomine à Vigilio editum proxime legitur Symbolum Athanaſianum cum hac epigraphe: *Fides dicta a S. Athanaſio Epiſcopo*. Equidem Queſnelli conjecturis non parum ponderis ineſſe fateor, mecumque ita ſenſere plures alii Scriptores. His tamen obſervationibus minime abſterritus Cl. V. Joſeph Antelmius Anno *1693*. novam de Symboli Athanaſiani Auctore Diſquiſitionem evulgavit, in qua rejectis Queſnelli rationibus gloriam hanc Vincentio Lirinenſi vendicare nervis omnibus contendit. Hoc autem ut praeſtet, Vigilium Tapſenſem de loco primum dejicit, nullam intercedere ſimilitudinem inter hujus libros, laudatumque Symbolum oſtendens. Tum addit, ſi has conjecturas ſequi oportet, formulas apud S. Auguſtinum poſſe reperiri, quae ad Symboli ſtylum propius accedant. Nemo vero hucuſque fuit, qui Auguſtino Symbolum inſcriberet. Praeterea futile eſt argumentum e libris contra Varimadum ſcriptis deſumtum, Vigilium enim illi nequaquam parentem habent. Mos denique Vigilio fuit Athanaſianum Symbolum in operibus Athanaſio ſuppoſitis conſectari, nomenque Athanaſii libris eiſdem praefigere. Neutrum vero in hoc Symbolo animadvertas, quippe ab Athanaſiano ſtylus diſcrepat nomenque Athanaſii antiquitus eidem praefixum non fuit. Praeterea ut Vincentium Lirinenſem Symboli Auctorem ſtatuat, illum in Galliis natum, ſcilicet Treveris, vel in Belgica prima ex teſtimonio S. Lupi probat. Atqui Symboli Auctorem Gallum quoque fuiſſe Pithoei, Voſſii, aliorumque ſententia eſt. Quandoquidem prae aliis nationibus in Gallia prodire in lucem Symbolum iſtud coepit, Treviriſque potiſſimum elucubratum videtur. Tum à Gallis Scriptoribus primum celebratum, atque ab Epiſcopis, Synodiſque Galliarum antiquitus receptum, & commendatum reperitur. Lirinenſis inſuper in iis potiſſimum haereſibus, quae in Symbolo perſtringuntur, profligandis operam poſuit, uti ex ejus Commonitorio apertiſſime cognoſcitur. Sub alienis autem nominibus conſueviſſe Vincentium in arenam prodire, laudati Commonitorii exemplo patet, illud enim ſub nomine Peregrini evulgavit. Quod ſi cum Symboli formulis, ac loquutionibus Commonitorium componas, ac praeſertim Caput XIX., mirum eſt quanta inter ambos foetus ſimilitudo intercedat. Haec & ſimilia pluribus pertractavit eruditiſſimus Antelmius, cujus opinioni quorumnam eruditorum ſuffragia acceſſerint, me penitus fugit; fateor tamen ad veritatem omnium maxime illam accedere. Ceterum praeter has celebres duas ſententias, quibus Vigilio Tapſenſi, aut Vincentio Lirinenſi

rinenſi laudata Fidei profeſſio tribuitur, aliae quoque olim habebantur; ſiquidem teſte Cardinali Bona Cap. XVI. §. XVIII. divinae Pſalmodiae Guilielmus Baldeſanus in Hiſt. Pedemontana MS. S. Euſebium Vercellenſem Epiſcopum magno Athanaſio adjutorem fuiſſe in hoc Symbolo adornando olim ſcripſit; imo ſolum Euſebium ejuſdem Auctorem agnovere aliqui, ut teſtatur Voſſius in fine Diſſert. II. de tribus Symbolis. Alii denique Anaſtaſium Synaitam, alii Athanaſium Spirenſem opuſculi hujus Scriptorem affirmavere. Ita viris eruditis in hac re opinari placuit adeo, ut majoribus umbris, ac ambagibus quaeſtionem hanc involviſſe, non exolviſſe videantur. Proinde me debitae modeſtiae haudquaquam renunciaturum ſpero, ſi quid mea quoque ferat opinio, huc adferam, nulla tamen majoris progreſſus, aut claritatis ſpe ductus. Itaque primo, quonam tempore ſub S. Athanaſii nomine Symbolum innotuerit, diſpiciamus, ut de re planius ſtatuere poſſimus. Jam ſupra animadvertimus Codicum MS. ope S. Auguſtini Enarrationibus in Pſalmum CXX. à ſciolo quodam Athanaſiani Symboli laciniam aſſutam fuiſſe. Quod igitur omnium antiquiſſimum ſupereſt monumentum, Canon ille eſt, quem aeterni nominis vir Jacobus Sirmondus e Soc. Jeſu in Divionenſi quodam Codice repertum publica luce donavit Tom. I. Concil. Galliae pag. 507. Ita vero conceptus eſt: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus Symbolum, quod Sancto inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & Fidem S. Athanaſii Praeſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.* Canonem hunc ad Synodum Auguſtodunenſem, circiter Annum Chriſti DCLXX. ſub S. Leodegario celebratam, fortaſſe referendum tum ipſemet Sirmondus, tum Labbeus autumarunt. Atqui, ut eruditiſſime adnotavit Clariſſimus P. Papebrochius in Reſponſ. ad exhibitionem error. Par. II. Art. XIII. num. *36.* verbis illis *Fidem S. Athanaſii* minime Symbolum Athanaſianum deſignatur, ſed quidem Nicaenum, in quo elaborando plurimum inſudaſſe Athanaſium veri ſimile eſt; Etenim cur Apoſtolico Symbolo commendato Nicaenum praetermiſiſſent Auguſtodunenſes Patres? Cur Athanaſiani Symboli, cujus tunc nullus erat uſus in ſacris, cognitionem exegiſſent, Nicaenumque ne uno quidem verbo Commemoraſſent? Praeterea ad Auguſtodunenſe ſub S. Leodegario Concilium Canon laudatus haud referendus videtur, ſed potius ad alia aliis temporibus procul dubio eadem in Urbe celebrata. Quare hinc nullum pro Symboli hujus antiquitate firmum argumentum haurire poſſumus. Verum ne majoris quidem momenti ſunt verba illa, quae in Concilii Toletani Quarti Profeſſione Fidei teguntur; quamvis enim phraſes nonnullae ibidem inveniantur Symboli phraſibus oppido ſimiles, attamen ejuſmodi non ſunt, ut iis Patribus Symbolum jam innotuiſſe demonſtrent. Quin ex eodem Concilio has formulas quis delibaſſe videri poteſt, ut inde Symbolum iſtud conflaret. Igitur ad ſeculum a Chriſto nato nonum devenimus, quo revera Athanaſiani Symboli memoria nobis occurrit. Theodulſus Aurelianenſis Epiſcopus, qui ſub Carolo Magno floruit, in lib. de Spiritu Sancto num. 8. quaedam ex hocce Symbolo citat, ipſumque Athanaſio tribuit. Hincmarus poſtea Rhemenſis contra Goteſcalcum Cap. XXXV. & alibi Athanaſium Symboli Auctorem nuncupat. Horum opinioni ſubſcripſere

Agobar-

Agobardus Lugdunenſis, Fridericus Ultrajectinus, Anſcharius Hamburgenſis, Rathramnus Corbejenſis, Aeneas Pariſienſis, Abbo Floriacenſis, Ratherius Leodicenſis, aliique non pauci ex antiquis, quorum catalogum reperias in Diſſertatione mihi nondum lecta, quae inſcribitur: *Judicia eruditorum de Symbolo Athanaſiano ſtudioſe collecta, & inter ſe collata auctore Wilhelmo Erneſto Tentzelio An.* 1687. *evulgata*. Quantum igitur ex literaria antiquitate colligere licet, nono duntaxat Epochae vulgaris ſeculo celebrari primum coepit, & ſub S. Athanaſii nomine commendari Symbolum iſtud. Ubi videas, quam male Gerardus Jo: Voſſius ejuſdem opuſculi vetuſtatem ſeculo Chriſti decimotertio olim adſcripſerit, quamvis eruditorum rationibus poſtea victus ad annum uſque a Chriſto nato milleſimum opinionem ſuam retraxerit. Quibus hactenus enarratis quis fortaſſe quaerat, an aliquid an aliqua ante nonum ſeculum Symboli hujus veſtigia reperiantur. Jacobus Uſſerius Armachanus vir celeberrimus in Epiſt. ad Ger. Jo: Voſſium praefixa libello de Symbolis antiquorum Pſalterium Latino-Gallicum in Bibliotheca Cottoniana ſibi conſpectum affirmat, quod tum e characterum forma, tum ex antiquo picturae genere Gregorii Magni tempore recentius non erat. Ibi praeter Symbolum Apoſtolorum Athanaſianum quoque legebatur cum hoc titulo *Fides Catholica*, nullâ tamen Athanaſii mentione injectâ. Eruditiſſimus praeterea Antelmius in laudata Diſquiſitione de Symbolo Athanaſiano vetuſtiſſimum Codicem in Colbertina Bibliotheca adſervari animadvertit, ubi Symbolum idem abſque Athanaſii nomine exaratum fuit. Codex vero ille Cottonianum antiquitate praecellere videtur. Equidem Clariſſimo Viro tantam Codicis vetuſtatem affirmanti vix credebam, dolebamque ſummopere mihi nondum illius Diſquiſitionem occurriſſe, quum ecce me hujuſmodi cura levavit Cl. P. D. Bernardus de Montfaucon ſupra laudatus, cujus erudita conſuetudine Mediolani ego nuper fruebar. Mihi igitur affirmavit vir doctiſſimus, geminos Codices ab Antelmio memoratos Caroli M. temporibus fuiſſe exaratos, neque tantam vetuſtatem ab illis praeferri, quantam eis tribuit Antelmius. At nos in Ambroſiana Bibliotheca non minoris praeſtantiae Codicem MS. ſervamus e celebri Bibliotheca Bobienſi in noſtram illatum, in quo Symbolum legas omni tamen inſcriptione deſtitutum. Idem autem Codex ille eſt, unde Bachiarii Apologiam exſcripſimus, antiquiſſimus plane, quippe ante annos mille & plures exaratus, ut in Prolegomenis ad Bachiarium, & pag. 16. prioris Tomi Anecdotorum (a) conjeci. In fronte libri aliâ, ſed antiquâ manu haec leguntur: *In hoc volumine infraſcripta continentur: Dogmatis Liber Fidei. Bachiarii Fides. Sermo de Aſcenſione Domini. Hieronymi Fides. Ambroſii Confeſſio Fidei. Hieronymi regula Catholicae Fidei, Libellus de Trinitate. Ambroſii de Trinitate libri tres. Ejuſdem libellus Fidei.* Abſunt a libro quinque poſtrema opuſcula, & quoniam integer adhuc eſt Codex, & nuſquam mutilatus, idcirco nunquam adfuiſſe videntur. *Dogmatis liber* nullo Auctore notatus alius non eſt, quam *Liber de Eccleſiaſticis Dogmatibus*, qui olim ſub S. Auguſtini nomine circumferebatur, nunc ab omnibus Gennadio Maſſilienſi Presbytero adſcribitur. Nonnullas in hoc Opu-

(a) In hac Editione pag. 12. Part. I. Tom. XI.

Digitized by Google

ſculum Obſervationes meas expectet Lector in libello quodam propediem typis commendando. Poſt Bachiarii Apologiam, & Symbolum *Quicumque* haec ſubſequuntur: *Incipit de Aſcenſione Domini N. J. C. Sermo dicendus. Domini N. J. C. Adventus, ac Aſcenſio multas Fratres Cariſſimi nobis praeſtitit Feſtivitates; naſcitur enim primum, Magis oſtenditur, poſt paulo patitur, reſurgit, aſcendit, ut nos cum eo naſceremur &c.* Deinde fragmentum ſubiicitur, cujus initium ita ſe habet: *Deus Trinitas inviſibilis eſt, inviſa etenim, atque immenſa paternae bonitatis Majeſtas nullis antiquitatibus cognita, nec praeteritis aeternitatibus viſa divinitate tantum intra ſe omnia continens ſibi ſoli quid ſit, & quanta ſit, nota eſt &c.* Ita vero concluditur: *Nam Fides plus ſentit, quam diſputari queat.* Ad quemnam Auctorem Sermo ſit referendus, me fugit. Fragmentum fortaſſis ex operibus S. Ambroſii deſumtum eſt, quod in praeſentia examinare non vacat. His additur *Hieronymi Fides*, eadem omnino, quae ſub Damaſi Romani Pontificis nomine inter S. Hieronymi opera olim fuit evulgata. Ut autem redeam ad Symbolum noſtrum, illud ſingulari dignum eſt animadverſione, quod nempe ab editis libris non parum diſſentiat MS. hic liber. Conſtans enim eruditorum hucuſque ſententia fuit, omnino inter ſe Latina Symboli exemplaria concordare, Graeca vero multis in locis inter ſe diſſidere. Profecto, quod eſt ad Graeca, ſex novimus Symboli formulas inter ſe valde diſcordes, uti obſervatum eſt a Wolffgango Gundlingio in notis ad Zialovuſchi delineat. Eccleſ. Orient. pag. *69.* Prima eſt, quam exhibet Gilbertus Genebrardus Lib. III. de Trinit. ex MS. Lazari Baiffii. Altera eſt, quam Anno 1565. Henricus Stephanus in Gallia vulgavit. Quae duae formulae ſeptem in locis ſecum diſſident. Tertia eſt a Philippo Labbeo, & Gabriele Coſſartio edita quadragies a reliquis diſcordans. Quartam Eccleſia Conſtantinopolitana, Genebrardo teſte, uſurpavit, & mirum in modum ab aliis diſcrepat. Quinta hujus Symboli formula legitur Tom. II. Operum S. Athanaſii edit. Commel. pag. 38. Sextam protulit Uſſerius in libello de Symbolis, quae quoniam a Graecis plane interpolata videtur, pluribus quoque in locis a Latino Symbolo iccirco differt. Tanta autem harum formularum apud Graecos differentia illi quoque argumento cauſſam dedit, ut Symboli Auctor Graece nequaquam ſcripſiſſe crederetur. Cur enim tot inſignes mutationes in Opuſculum hujuſmodi irrepſerint, ſi Graecis literis prima Symboli forma commendata fuit? Id potius diverſis Interpretibus tribuendum eſt, qui Symbolum Latine primum conſcriptum Graeca Civitate ſuo arbitrio donarunt. Latina vero exemplaria, quae hucuſque inter ſe penitus conſentire videbantur, Auctorem certe Latinum oſtendunt. Operae tamen pretium erit, Codicem noſtrum conſulere, Symbolumque cum iiſdem deſcribere diſcrepantiis, quae ibidem leguntur. Ita autem ſe habet:

EXEM-

EXEMPLAR ATHANASIANI SYMBOLI

EX ANTIQUISSIMO AMBROSIANAE CODICE.

*QUICUMQUE vult eſſe ſalvus, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam Fidem, quam niſi quis integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in aeternum peribit. Fides autem Catholica haec eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur, neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim perſona Patris, alia perſona Filii, alia perſona Spiritus Sancti, * una eſt divinitas, aequalis gloria, coaeterna majeſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis & Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus. Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres aeterni, ſed unus aeternus, ſicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus immenſus, & unus increatus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus, & non tres omnipotens, ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dii, ſed unus Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Domini, ſed unus Dominus. Quia ſicut ſingillatim unamquamque perſonam & Deum, & Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica religione prohibemur. Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus Sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens, Patri, & Filio coaeternus eſt. Unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti. Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil majus, aut minus, ſed totae tres perſonae coaeternae ſibi ſunt, & coaequales, ita ut per omnia, ſicut jam ſupradictum eſt, & Trinitas in unitate, & unitas in Trinitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat. Sed neceſſarium eſt ad aeternam ſalutem, ut Incarnationem quoque Domini N. J. C. fideliter credat. Eſt ergo Fides recta, ut credamus, & confiteamur, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, & Deus pariter, & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationabili, & humana carne ſubſiſtens, aequalis Patri ſecundum divinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem. Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non converſione divinitatis in carne, ſed adſumtione humanitatis in Deo. Unus omnino non confuſione ſubſtantiae, ſed unitate perſonae. Nam ſicut anima rationabilis, & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad Inferos, ſurrexit a mortuis, aſcendit ad Coelos, ſedit ad dexte-*

* Additur alia manu: *Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

ram Patris inde venturus judicare vivos, ac mortuos. Ad cujus adventum omnes homines reddituri ſunt de factis propriis rationem, & qui bona egerint, ibunt in vitam aeternam, qui mala, in ignem aeternum. Haec eſt Fides Catholica, quam niſi unuſquiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

In eadem ſcripturae linea haec ſequuntur: *Lacta mater eum, qui fecit te, quia talem fecit te, ut ipſe fieret in te. Lacta eum, qui fructum foecunditatis tibi dedit conceptus, & decus virginitatis non abſtulit natus.* Cuinam Scriptori tribuenda ſint haec verba, ignotum eſt mihi; & utinam ſcirem, fortaſſis enim nobis conjectura eſſet, qua Symboli Auctorem cognoſceremus. Quod tamen heic potiſſimum animadvertas, verſiculus ille eſt, in quo Spiritus Sanctus dicitur a *Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*. Graeculi quidam Photiano veneno infecti quum S. Spiritum a Filio procedere negarent, neque tam luculentum Magni Athanaſii, aut ſaltem antiquiſſimi Scriptoris teſtimonium eludere poſſent, in eam rapti ſunt ſententiam, ut a Latinis particulam *& Filio* additam Symbolo fuiſſe tradiderint. Et revera non Eccleſia tantum Conſtantinopolitana, ſed Serviana, Bulgarica, Ruſſica, Moſcovitica, aliaeque ritui Graeco addictae, etſi Athanaſiano Symbolo in ſacris Liturgiis utantur, hanc tamen particulam *& Filio* inde excluſere. Eam contra Catholicos calumniam noſtri temporis Novatores ſibi adoptarunt, utque alios praeteream, Wolffgangus Gundlingius in Notis ad Zialovuſchi Delineat. Eccleſ. Orient. pag. 54. pluribus probare nititur, vocem illam *& Filio* a Latinis Symbolo intertextam, tum quod idem in Nicaeno, ſeu Conſtantinopolitano Symbolo praeſtiterint, tum etiam quod uſque ad ſeculum XIV. nemo contra Graecorum opinionem Athanaſianum Symbolum produxerit, quum tamen jam quingentos annos controverſia de Spiritus Sancti proceſſione Occidentalium, ac Orientalium calamos exercuiſſet. Verum ſi Gundlingio germanam Codicis noſtri antiquitatem oculis luſtrare contigiſſet, quin minus ſuae opinioni indulſiſſet, non dubito. Scilicet, uti ſupra diximus, longe ante Photiana deliramenta exaratus eſt liber, atque in eo laudata vox legitur. Quamquam inficias non eo, quin a quibuſdam noſtris Scriptoribus vox eadem antiquorum operibus aliquando fuerit adiecta. Contigit hoc in libro Gennadii Maſſilienſis *de Dogmatibus Eccleſiaſticis* ſupra memorato, ac in Confeſſione Fidei, quam alii S. Damaſo, alii S. Hieronymo tribuunt. In utroque hoc Opuſculo, ut ex antiquiſſimo Codice noſtro animadverti, Spiritus Sanctus a Patre procedere dicitur, particula vero *Filii* deſideratur, quae tamen ab editis libris minime abeſt. Sed hoc fide non mala ab Orthodoxis Auctoribus praeſtitum eſt; religioſis enim, teneriſque eorum mentibus flagitii loco habebatur, ſi quem ex antiquis Patribus inveniebant, qui S. Spiritum a Patre procedere, nulla Filii facta mentione, dixiſſet. Quod ſi veteris Hiſtoriae rationem habuiſſent, utique intellexiſſent tum a Patribus Conſtantinopolitani Concilii Primi in Symbolo, quod Nicaenum nuncupamus, tum ab aliis ante Photii Schiſma Scriptoribus vocem *Filioque* omiſſam plerumque fuiſſe, non quod a Filio quoque Spiritum Sanctum procedere negarent, ſed quod nondum in controverſiam veritas illa adducta fuerat. Neque tamen deſuere iis etiam tempo-

ribus

ribus Sanctiſſimi viri, qui ſententiam a Schiſmaticis Graecis poſtea reprobatam tuerentur, quales ſunt S. Baſilius Lib. III. contra Eunomium, Gregorius Nyſſenus Hom. III. & IV. ſuper *Pater noſter*, Epiphanius in Ancorato, Cyrillus Alexandr. Lib. XIII. Cap. II. Theſauri, & alibi. S. Ambroſius Lib. I. Cap. XV. de Spiritu Sancto, S. Auguſtinus Lib. XV. de Trin. Cap. XXVI. Paulinus Nolanus in Natal. IX. S. Leo M. Epiſt. XCIII. ad Turribium &c. Sed quum nemini, ut ajebam, huc uſque in mentem veniſſet perverſa Graecorum recentiorum opinio, qua Spiritus Sanctus a ſolo Patre procedere dicitur, hinc liberum unicuique erat S. Spiritum a Patre, nulla Filii mentione habita, procedentem appellare. Venio nunc ad Expoſitionem Symboli nunc per me redditam luci. Et primo animadvertendum reor, tanti apud Orthodoxos viros vel antiquitus factum fuiſſe Athanaſianum Symbolum, ut illud Commentariis, atque Expoſitionibus explicare, atque illuſtrare ſummum decus cenſerent. Nimirum pretioſo Opuſculo hoc eruditionis tributum debebatur, ut Symbolis Apoſtolico, & Nicaeno, quorum explicationi quamplures operam dederant, hac etiam ex parte ſimile redderetur. Multa de hujuſmodi in Symbolum Expoſitionibus a Lirinenſis Coenobii cultoribus factis diſſerit laudatus Antelmius in Diſquiſitione de Symb. Athanaſ., quam non ſine dolore hucuſque legere non potui. An aliquam integram produxerit Scriptor doctiſſimus ex hiſce Expoſitionibus, mihi non liquet. Clariſſimi quidem Patres Benedictini ex Congregatione S. Mauri, ut me per literas monuit eruditiſſimus inter illos P. Bernardus de Montfaucon, quamdam hujus Symboli Expoſitionem in noviſſima Operum S. Athanaſii Editione Tom. II. evulgarunt ex MS. Codice Monaſterii ſui ante annos ſexcentos exaratam, & a noſtra omnino diſſimilem. Ex editis vero, quas adhuc viderim, Expoſitionibus praecipua eſt illa, quae per S. Brunonem Herbipolenſem Epiſcopum ante medium a Chriſto nato ſeculum undecimum conſcripta fuit. Hanc legere eſt Tom. XVIII. pag. 345. Bibliot. SS. Patrum noviſs. edit. Altera Tom. XXIII. pag. 596. ejuſdem Bibliothecae legitur, eamque lucubravit ſeculo Chriſto undecimo Hildegardis Virgo Sanctiſſima, ut ſuis Sororibus ſacra Fidei noſtrae documenta exponeret. Eſt porro nobis in Ambroſiana Bibliotheca membranaceus Codex annos ab hinc ferme ſexcentos manu deſcriptus, ut ex characterum forma, aliiſque conjecturis affirmari poſſe mihi videtur. Heic praeter alia Opuſcula multa tres Symboli Expoſitiones habentur, quarum unam tantum nunc publici juris facio. Prima ita inſcribitur: *Expoſitio Fidei Catholicae*. Alteri nullus titulus praefixus eſt. Poſtrema vero hunc praeſefert: *Expoſitio Fidei Catholicae Fortunati*. Quid hac inſcriptione viſa certi ſtatuendum ſit, nihil occurrit; adhuc enim in incerto eſt, utrum Symboli, an ſolius Expoſitionis Auctor Fortunatus affirmetur. Utrum libet tamen eligas, profecto magnum huic Opuſculo pretium ex antiquitate accedet. Fortunatus autem heic memoratus alius a Venantio Fortunato non eſt, quem infulae Pictavienſis Eccleſiae, quem Chriſtianae Poetices ornamenta aeternitate donarunt. In Gallia Tranſpadana non longe a Cenetenſi Caſtro, aut a Tarviſina Civitate natus eſt Fortunatus, Ravennae vero educatus, variiſque ibi Diſciplinis imbutus,

butus, antequam Langobardi Italiam invaderent, in Germaniam, Galliaſque ſe contulit. Iis in regionibus diu verſatus, ſummiſque viris carus ad Epiſcopalem tandem Pictavorum Sedem evectus eſt. Plura ab eo profecta ingenii, ac eruditionis monumenta ad noſtram uſque aetatem ſervata ſunt, non ſine magna illius commendatione, quod barbaris omnino temporibus aequales alios Scriptores ſuperaverit. Quod ſi pro Gallo, aut Afro Symboli Athanaſiani Auctorem Italum haberemus, nae magnum provinciae noſtrae decus accederet. Quum igitur veri videatur ſimile, Magno Athanaſio Symbolum non eſſe adjudicandum, ſi aliis Scriptoribus aut Vigilium Tapſenſem aut Vincentium Lirinenſem foetus hujus parentes eſſe per conjecturas divinando dicere licet, cur nobis non liceat paribus conjecturis inniti, celebriſque Symboli Auctorem Fortunatum ſuſpicari? Itaque argumenta ſuperius allata colligamus, & inveſtigemus, an commode Scriptori huic tanta laus, ac palma deferri poſſit. E Gallis primum prodiiſſe Symbolum Athanaſianum animadvertimus tum quod a Gallis Scriptoribus ante omnes celebratum, a Synodis, Epiſcopiſque Galliarum receptum, & commendatum antiquitus fuerit, tum etiam quod Treveris in Galliarum Metropoli illud elucubratum fuiſſe opinio increbuerit. Quapropter Pithoeus, ac Voſſius, aliique eruditiſſimi viri Gallum hominem Symboli parentem opinati ſunt, Antelmius vero hac potiſſimum ratione ductus non Vigilium in Africa Epiſcopum, ſed Vincentium Lirinenſem Opuſculi hujus Auctorem affirmavit. Atqui Fortunato noſtro eadem documenta accommodantur, in Italia quidem nato, ſed pluribus annis inter Gallos verſato, & apud eos vita deſuncto. Illum Treviris etiam fuiſſe a vero non abhorret, namque Nicetium Trevirenſem Epiſcopum, ejuſque ſucceſſorem Magnericum intima familiaritate coluit, uti ex carminibus IX. X. XI. Lib. III. conſtat. Quum vero poſtquam haereſes Neſtorii, ac Eutychetis profligatae fuere, Symbolum procuſum cognoſcatur, utique in Fortunati tempora ejus origo cadere poteſt, quippe ſeculo Chriſti ſexto Auctor hic floruit, Synodique Chalcedonenſis auctoritate in hiſce dogmatibus proponendis uti potuit. Ad haec ut ſupra animadvertimus ex antiquiſſimo Codice Bibliothecae noſtrae Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere ſcripſit procul dubio quicumque Symboli hujus auctor fuit. At Gennadio teſte in Catal. Illuſtr. viror. humanis ereptus eſt Vincentius Lirinenſis *Theodoſio, & Valentiniano regnantibus*, hoc eſt, ut opinari licet, circiter annum Chriſti 445. Eo autem tempore nondum Fidei dogmatibus paſſim accenſeri ſolebat haec de Spiritu Sancto ſententia. Plerique vero Scriptores Symbolum Conſtantinopolitanum ſequuti nulla Filii facta mentione Spiritum a Patre procedere profitebantur. Ipſemet ſane Vincentius nullum in Commonitorio iſtius ſententiae veſtigium reliquit. Contra ſeculo Chriſti ſexto quum doctiſſimis viris clarius haec formula coeperit uſurpari, & a nonnullis quoque Conciliis probata fuerit, a Venantio Fortnnato probabilius potuit proponi. Nihil eſt autem, quod cauſſas eruditi expiſcentur, cur Athanaſii nomen Symbolo huic praefixum fuerit, fruſtraque tum Queſnellus, tum Antelmius oſtendere nituntur, Vigilio ac Vincentio in more fuiſſe, ut aliis Patribus libros ſuos ſupponerent. Nam ſi vetuſtiſſimos Codices

conſu-

Digitized by Google

conſulamus, vel ipſo Antelmio fatente, in iis Symbolum abſque ullius Auctoris nomine exaratum eſt, multiſque ſolum poſtea ſeculis M. Athanaſii nomen praeferre coepit. Quod ſi cauſſam, ex qua Fortunatus hanc Fidei profeſſionem procudere potuerit, inquiramus, illa occurrit, quod in Galliis ſeculo etiam ſexto Neſtorii, atque Eutychetis quaeſtiones agitabantur. Id patet ex geminis Pelagii Papae Epiſtolis ad Childebertum Regem, e quibus prior data dicitur III. Id. Decembr. Anno XV. P. C. Baſilii V. C. videlicet An. Ch. 556. Ita vero Galliarum provincias, ipſumque Regis animum *ſemina ſcandalorum* invaſerant, ut ipſemet Pelagius Pontifex Fidei ſuae formulam ad Childebertum mittere coactus fuerit, qua viſa conſtanter in verae Religionis doctrina ſe Rex continuit. Et quidem circiter haec tempora in Gallias migravit Fortunatus, uti ex ejuſdem carminibus probari poteſt, oblatâque forſan occaſione pro germana Chriſti Fide egregio Symbolo propugnavit. Certe vero ab hujuſmodi ſtudio pius ille Scriptor nequaquam abhorruit. Extant adhuc geminae illius lucubrationes, quarum priore Dominica Oratio exponitur, altera Symbolum Apoſtolorum. Sed & inter Fortunati opera, quae nobis ſuperſunt, quaedam colligas veluti ſemina verborum, ac ſenſuum in Symbolo expreſſorum. Expoſitionem Apoſtolici Symboli ita is exorditur: *Praeclarum in primordio ponitur coeleſtis teſtimonii fundamentum, quia ſalvus eſſe non poterit, qui recte de ſalute non crediderit*. Athanaſianum vero Symbolum paribus elauditur verbis: *Haec eſt Fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*. Carmine etiam V. Lib. VIII. ubi Deiparae Virginis laudes canuntur, ita legitur:

Quod Deus amplexus carnem eſt, caro juncta cohaeſit,
Stat Deus, atque homo fit, Chriſtus utrumque gerit.
Non Deus in carnem eſt verſus, Deus accipit artus,
Non ſe permutans, ſed ſibi membra levans.
Unus in ambobus naturis, verus in ipſis,
Aequalis matri hinc, par Deitate patri.
De patre natus habens divina, humanaque matris,
De patre ſublimis, de genetrice humilis &c.

Quae ſenſa in Symbolo paribus ferme verbis exprimuntur. His tandem accedat Codicis noſtri auctoritas, cujus fidem ut magis exploratam reddamus, haec addere juvat. Praeter librum nondum editum Gezonis Abbatis de Corpore, & Sanguine Chriſti ſeculo Epochae vulgaris decimo lucubratum, pluresque Gloſſas pervetuſtas in ſacra Biblia, multaque alia Opuſcula, Expoſitionem quoque continet Apoſtolici Symboli cum hac inſcriptione: *Incipit Expoſitio a Fortunato Presbytero conſcripta*. Eadem vero eſt ac edita inter Fortunati opera. Tum ſequuntur geminae ejuſdem Symboli Explicationes, tres Orationis Dominicae, & duae Athanaſiani Symboli *Expoſitiones* incertis Auctoribus ſcriptae, tandem ut diximus, *Expoſitio Fidei Catholicae Fortunati* legitur. Quocirca quin ad Venantium quoque Fortunatum Opuſculum hoc ſit referendum, nullus dubito. Quamquam non ita meis conjecturis plaudo, ut

facilius

facilius non arbitrer, Expoſitionem potius quam Symbolum huic Auctori tribuendam. Potuit in ejus manus Symbolum devenire aut a Vigilio, aut a Vincentio, aut alio quopiam elaboratum, cui notas apponere operae pretium Fortunatus duxerit. Utcumque ſe res habeat, patientia tua diutius abuti nolo, Zacagni Clariſſime, teque horarum tuarum literariae Reipublicae utilitati ſacratarum uſu fraudare. Habes heic mei erga te obſequii argumentum, utinam ignorantiae quoque non habeas, & ante tuum tribunal, ſi non commendationem impetrem, ſaltem humanitatis tuae fructum, veniamque promerear. Vale.

GUL.

Digitized by Google

GUINIFORTI BARZIZII
ORATIO
IN SPONSALIBUS
PHILIPPI BONROMEI
CIRCITER ANNUM MCDXXX.

SUB
PHILIPPO MARIA VICECOMITE
MEDIOLANENSIUM DUCE.

VIDEO, Magnifici Domini, ſpectabiles Cives, & egregii viri, ſumma cum alacritate ad ſponſalia haec contrahenda vos conveniſſe, de quibus cum a me Oratio haberi debeat, vereor, ne ſi pro rei dignitate & pauca, & minus accurate dixero, temere aut arroganter hoc dicendi munus adiiſſe videar, utque illud, quod, ut plane intelligo, de me aliquando feciſtis, honeſtiſſimum judicium hac re hodierno die non mediocriter imminutum ſentiam. Quamobrem hoc primum etiam atque etiam quaeſo, exiſtimetis non ea me voluntate ad orandum acceſſiſſe, ut ambitioſe quas tenues, & exiguas eſſe profiteor ingenii vires, oſtentem; ſed partim eorum auctoritate, quorum deſideriis obtemperare ſoleo, impulſum fuiſſe, partim affectu proprio, qui ſemper in eorum laude verſatus libentiſſime fui, de quibus ſermonem heic fieri cauſa poſtu-

poſtulat. Quod ſi minus copioſe res tanta, quanta eſt, a me abſolvetur, veſtra heic valeat prudentia, viri ſpectatiſſimi, veſtra humanitas, ut cum facile perceperitis eam eſſe praeſentis actus amplitudinem, cui vix ulla dicendi facultas par inveniri poſſit, tum mihi ſuccenſendum nihil putetis, ſi etiam, cum multa dixero, plura ſilentio praeteriiſſe videbor. Dicendum quidem eſſe intelligo tum de matrimonialis contractus nobilitate, ac praeſtantia, tum de utriuſque heic contrahentium claritate, & originis gloria, quorum utrumvis mente pertracto, immenſum ſe quiddam offert, quod non dicam oratione proſequi, ſed ne cogitatione quidem ipſa complecti me poſſe confido. Atque ut a primo incipiam, nonne divini atque humani juris codices uſque a mundi creatione diligenter evolvendi erunt, ſi & hujus Sacramenti inſtitutionem, ac dignitatem cognoſcere, & utilitates, quas per omnia tempora humano generi ſine intermiſſione attulit, inveſtigare, & privilegia, quae multa promeruit, ſingula exquirere voluerimus? Sacris nempe literis edocemur non humano conſilio in hac miſeriarum valle, ſed rerum omnium conditoris Dei manu in Paradiſo deliciarum, cum cetera a ſe creata in pulcherrimam formam redegiſſet, ut in ſervitium hominum ſubjecta eſſent, hominem autem ipſum ad laudem & gloriam ſuam de limo terrae formaſſet, edocemur, inquam, ex hominis ipſius latere ab initio ſeculorum eductam Evam, non per internuncium, ſed veritatis ſuae verbo ſociam illi ad ſobolis propagationem, ad communionem vitae, ad ſolatium adjunctam, & conjugatam fuiſſe, tantamque poſtea pro conjugio inviolabiliter ſervando curam Deum geſſiſſe, ut eos corporali morte cum ſumma infamia & perpetua, cum intolerabili cruciatu affici voluerit, qui alieno thoro ſe immiſcere praeſumſerit. Apud omnes vero populos, qui ratione ulla gubernarentur, frequentatum eſſe conjugium fidem nobis faciunt non ſolum ſcripta ſanctorum hominum, quae veritatem doctrinamque redolent, verum etiam poetarum carmina, qui tametſi aliis in rebus velamine mendacii plurima vera contexerunt, hoc tamen unum temerare auſi non ſunt, imo id ratum videntes inviolabilia fere conjugia fando confixerunt. Idem fere Hiſtoriarum libri, cautiones legum, & omnium, qui in ſermonem de hujuſmodi re inciderunt, ſententiae vel plane decantant, vel indubie ſignificant. Ita nobis palam fit nullum ſive dixerim inter homines vinculum, ſive divinum Sacramentum vetuſtate nobilius, auctoris majeſtate celſius, loci, in quo prius inſtitutum fuit, eminentia clarius, frequentatione celebrius, aut firmius, obſervantia denique generalius, hoc uno a divina providentia vel
inſitum

inſitum nobis, vel traditum eſſe. Commoditates vero, quas ad univerſi generis conſervationem, ad animarum ſalutem, ad tranquillitatem mentis, cordiſque laetitiam, ad corporum ſoſpitatem, laborumque ſolatium, ad fortunae bona, pacem, amicitias, affinitates, honores, divitias, tum univerſum ipſum genus humanum, tum ſingulae quaeque nationes, tum ſingulariſſimi homines innumeras pene conſequuntur, non eſt mei propoſiti enumerare, primum quia nimis longam exigunt orationem, nec ſatis omnia colligi poſſunt, deinde quia expers ego conjugii multa ex fide, aut conjectura, dicturus apud vos eſſem, quae non ſolum pro veſtra prudentia multo apertius ea intelligitis, quam ego, ſed etiam ab experientia, quae rerum magiſtra nuncupatur, pene omnes certius tenetis. Suadet ergo haec ratio, ut jura ſpecialia matrimonii, quae tam inducta quam per juris corpus diffuſa late patent, non negligam; non parvo etenim ſtudio egent, ſi unum in locum redigi debent, & ea praeſertim ratione commemoraturus ea fuiſſem, quae & ſignum manifeſtiſſimum utilitatis hujus ab totius orbis rectoribus optime intellectae, & nobile de ipſa per eos promulgatum judicium palam factura eſſet. Itaque his atque aliis praetermiſſis, quae in matrimonii laudem reduci poſſunt, ad ornatiſſimum adoleſcentem Philippum, & ad modeſtiſſimam virginem Franciſcam, inter quos Sponſalia fiunt, convertetur oratio mea. Quorum aetas florida, & decens forma, cum ad conjugium aptiſſime conveniant, tum etiam cetera, quae in vita humana deſiderari ſolent, bona ſpem optimam praebent, hanc ſocietatem unanimem inter eos ac ſumme tranquillam, parentibus vero, propinquis, & amicis jucundiſſimam, denique & Principi, & univerſae patriae probatam ſemper, ac fructuoſam fore. Atque ut reliqua omittamus, aſpicite, obſecro ampliſſimi viri, effigiem horum, atque indolem, & quid ſecum afferat, conſiderate. Nonne duo quaſi virtutis ſimulacra nobis repraeſentantur? nonne ſuaviſſimam civilium morum fragrantiam ſpirant? nonne pulcherrimam prolem, ſuiſque majoribus dignam pollicentur? Hujus tam ingenuae indolis non fallacia ſigna eſſe confirmat eruditio, ac ſumma in his adoleſcentibus honeſtiſſime per omnem aetatem inſtituendis parentum vigilantia. Genitura autem, & a claris majoribus ducta origo, quantum in liberis momentum habeat, quantam vim, ſaepe videmus. Num igitur judicium de his nobiliſſimum facere dubitabimus? quia, etiam ante quam geniti eſſent, non niſi excellenti ingenio, praeſtantique natura procreari poſſe videbantur. Ex Vicecomitibus innocentiſſima haec virgo Franciſca utroque parente orta eſt, quorum genus

Digitized by Google

cum altius repetitis ab annalibus, primum a Trojanis, dehinc ab Albanis proceſſiſſe dicatur. Tum illud in aperto eſt, plures Principes, magnumque inſignium procerum numerum ſuperiore hoc tempore tuliſſe, nunc vero ſereniſſimo iſto ſidere, in cujus lumine ambulamus, Philippo Maria Excellentiſſimo Duce non modo Italiam illuſtrare, verum etiam ſplendorem ſuum ad quaſcumque ſive Tranſalpinas, ſive tranſmarinas, ſive Jeſu Chriſti Redemtoris noſtri caractere inſignitas, ſive barbaras, & quantumvis remotiſſimas nationes tranſmittere, de quo plura dicerem, ſi & temporis, quod anguſtum datur, ratio id permitteret, & ego ad immenſam hanc rem tranſigendam viribus meis ſatis confiderem. Hac Vicecomitum progenie, quae ad Coeli ſimilitudinem varium in ſe ornatum & omne juxta ſuum eſſe pulcherrimum continet; oriunda novitia noſtra gloriari praeterea poteſt patrem eſſe ſibi L. magni animi virum, cujus ut fortitudo atque prudentia difficillimis in rebus egregia eſſe dignoſcitur, ita & manſuetudo, liberalitas, magnificentia ſe ſpectabilem praebet; fides autem, & in Principem noſtrum inviſtiſſimum devotio integra Celſitudini ſuae probatiſſimum eum, & cariſſimum facit. Quid de Philippo adoleſcente Patricio dicam? qui ex gemina domo avita, ſcilicet Vitalianorum, & Bonromeorum veram legitime trahens originem praecipuum ab utraque nobilitatis ornamentum ſuſcipit? Vitalianos enim Padua Urbs celeberrima inſignes variis dignitatibus, eximiiſque titulis per multa jam ſecula etiam primarios habet. Nominarem hoc loco inpavidum militem, atque fortiſſimum adhuc in rebus humanis agentem Avi quondam tui, Philippe, fratrem, nonnulloſque alios, de quorum ſtrenuitate, ac magnificentia recens extat memoria. Commemorarem affinitates, quas cum illuſtribus Marchionibus Eſtenſibus, quas cum aliis ampliſſimis familiis Vitalianum hoc genus aliquando contraxit. Dicerem & aliud excelſum quoddam in illius generis laude, quod adoleſcens ego eadem illa in Urbe didici; ſed cum de Philippo filio dicturus ſim, prohibet me Vitaliani patris conſpectus praeſens, cujus ut recte facta omnia laudem cumulatiſſime pariunt, ita & aures ab omni laude, maxime quae ambitioſa cuiquam videri poſſit, vehementer abhorrent. Bonromeos autem magnos olim Etruria, & potentes novit; hac vero aetate orbis nulla eſt pars, quae non eos ſpectatos habeat. Nam cum ſuperioribus ſeculis opulentiſſimae Terrae Sancti Miniati Principatum cum ſubjacentibus ſibi munitiſſimis oppidis tenuiſſent, non ſolum dehinc per omnes Italiae florentiſſimas Civitates, ſed ad exteras quoque nationes per Europam ultra Alpes, ultra Pyrenaeos

montes,

montes, ultra Oceanum, in Africam quoque, & in Aſiam ſuum latiſſime nomen extenderunt. Clariſſimum ergo utrumque genus tuum, Philippe, crebro ad memoriam revoca, & ſtude (quod te ſtudere gaudeo) majorum tuorum gloriam, quamquam ſplendidiſſima eſt, cum laude vel ſuperexcellere, vel adaequare. In primis autem ante oculos patrem tuum Vitalianum Bonromeum, virum integerrimum, conſtitue, ſemperque in eum intentus eſto, ut ſuam virtutem conſequare; Neminem enim reperio, quem te ſequi magis deceat; Ab eo namque rerum omnium in civili vita occurentium modum perdiſces; In eo quod diligentia pariat, quod frugalitas ſervet, quod liberalitas, quod magnificentia effundat, perſpicies; Ex eo qua moderatione appetendi pro dignitate honores ampliſſimi, qua facilitate oblati ultro pro Republica non ſpernendi, qua fide, quo ſtudio adminiſtrandi, certiſſimam doctrinam hauries. Ipſe te docebit, qua religione in Deum, qua devotione in Principem, qua caritate in patriam, pietate in parentes, benevolentia in proximos, & amicos eſſe, quam ſubmiſſe in ſuperiores, quam comiter ad pares quam manſuete ad inferiores, quam benigne ad omnes, atque benefice te habere debeas. Ejus monitis ſi obtemperabis, tum ad Oeconomica, ſeu privata negotia, tum ad publica impigre, quotiens adeunda erunt, ac prudenter accedes, omnemque ita compones vitam, ut nihil amplius ſecundum civiles mores deſiderare quiſquam in te valeat. Sed eo redeo, unde oratio divertiſſe videtur. Tam claris parentibus, tantiſque majoribus geniti adoleſcentes noſtri, quibus nec mores decentiſſimi, aut honeſtiſſimae diſciplinae deſunt, & ea, quae vel natura dare, vel fortuna concedere poteſt, virtutis ac beatae vitae adminicula copioſe affluunt, certiſſimum, quantum humana conditio ferre poteſt, regia ſua indole nobis indicium ferunt, conjugium hoc jucundum, utile, ſanctum, ac felix ad Dei laudem futurum. Quare Cives nobiliſſimi congratulemini omnes (id quod certe fit) tum adoleſcentibus his, quorum merita in ſui dilectionem allicere quemque debent, tum eorum parentibus, magnificis viris, Deumque Patrem omnipotentem precemur, ut qui affinitatis hujus auctor, atque omnis boni dator eſt, ſolidum hoc gaudium, ſtabile, ac perpetuum eſſe concedat. Verum quoniam hoc percipi non poteſt, niſi voluntatum invicem ſponſione, ac veluti quodam voto praecedente, ad ſtipulationis ego verba in Jeſu Chriſti Dei, ac Mariae Filii Domini noſtri matris, nomine, Spiritu Sancto gratiam ſuam infundente accedam; eam vero, ut res ipſa poſtulat, plebejo ſermone depromam.

ORA-

O R A T I O
IN NUPTIIS
JOANNIS AUGUSTINI
VICECOMITIS
E T
OTTONIS MANDELLI

Circiter Annum Chriſti MCDXXX. recitata.

SI quando ulla in conjugali celebritate habenda fuit a me Oratio, Magnifici Domini, & Spectabiles, & Cives egregii, ſemper ipſe mihi ſum viſus amplam rem, ac ſupra meas vires arduam aggredi, quamquam & otio vel non mediocri tunc reſpirarem, & nunquam de pluribus ſponſalitiis contractibus uno tempore dicendum foret. Nunc vero ſtudiorum multiplicium curis ad gemina inclyta ſponſalia ſimul celebranda evocor (dicam hoc fortaſſe praeter expectationem veſtram, ſed vere dicam) moleſtum quippe ſentio, quod parum temporis ad Orationem, ſi non pro dignitate rerum, ſaltem pro induſtria, quantulacumque eſt, conflandam habuerim; moleſtius, quod non ſatis eloquentiae ad res tantas etiam longo dierum ſpatio allaturus fuiſſem. At cum trium patrum, hinc Petri, & Raphaelis, inde Vitaliani auctoritas, & praeſtantia, cum virginum hinc duorum, inde duarum ad contractum venientium nitidiſſimus candor emicuit, facile impelli potui, ut contra inſtitutum meum nobilem hanc orandi provin-

ciam

Digitized by Google

ciam ad me delatam ſumerem, mallemque & inops in dicendo, & jejunus videri, quam vel pertinaciter his contradicere, quibus obtemperandum ſemper duxi, vel ea voluptate carere, quae ſe mihi offerebat de angelicis, ut ſic dixerim, connubiis cogitanti. Igitur ut quibus de rebus futurus eſt ſermo, explicem, tenellas duas elegantiſſimas virgines Margaritam, & Taldam ſub matre Ambroxia matrona integerrima, decentiſſimis ornatas moribus, Palladiiſque diſciplinis apprime inſtructas exhibet Vitalianus pater, ſpectabilis vir. Magnificus autem, ac potens Heros Petrus Vicecomes Patricium adoleſcentem primogenitum ſuum Joannem Auguſtinum huc loci adduxit, cui prior natu puella matrimonio vinciatur. Raphael quoque Mandellus, ſplendidiſſimus Civis filium venuſtiſſimum Ottonem in medium profert, ut ſibi deſpondeatur annis puella tenerior. Quid de his ſentiam, colendiſſimi viri, ſi quis me interrogat, aperte profiteor rara hujuſcemodi connubia contrahi, & rariora quidem, quam plerique animadverterint. Intueamur parentum excellentiam: pudet me de patribus heic adſtantibus loqui, ac eo licentius id praetermitto, quod eorum & fortunae fulgor in aperto eſt, & virtutum tum urbanarum, tum & militarium ſplendor, & domi foriſque anteactis claruit annis, & quotidie ante hominum oculos verſatur. Quodque ſingula heic me numerare neque ipſis gratum eſſet, & mihi longum, vobiſque audientibus aſſentatorium videri poſſet. Connotentur itaque avi, proavi, longiuſque diſtantes alii progenitores atque agnati. Ad Auguſtinum cumproavo Berteto, plurimiſque aliis agnatione ſibi aſtrictis militibus inclytis ſe conferet avus Gaſpar, ille vir magnus, ille in militia probatiſſimus, in Senatu primus, in rebus praeclaris vices ſaepe Ducales gerens, qui cum opibus, & potentiis tantum poſſet, quantum nemo civis, id ſapienter curavit, ut conſilio, ut auctoritate, ut Principis & gratia, & judicio excelleret. Nec materni Auguſtino deerunt magnifici Saonae Marchiones. Hunc quoque locum irradiabunt, qui terrarum orbem illuſtraverunt Excellentiſſimi Principes ex eodem illo, ex quo & Auguſtinus deſcendit, Vicecomitum capite orti. Quorum unus hic noſter Sereniſſimus Dux Philippus Maria eminentiſſimum celſis majorum ſuorum laudibus cumulum adiiciens vere docuit, nihil tam ſublime inter mortales inveniri, quin ad ſublimius contendere celſus animus & poſſit, & debeat. Ottoni adoleſcentulo aderit avus Otto Mandellus, ſummos apud Reges Legatus ille acceptiſſimus, ille prius oppreſſorum patronus, ille noſtrorum Ducum Illuſtriſſimorum & patris, & filii Senator

tor graviſſimus, ille in armis acerrimus Capitaneus, aureis inſignibus, victoriarumque trophaeis ornatus. Aderit Petrus Ottonis illius pater, qui univerſo primum Sereniſſimi Regis Angliae, dehinc Illuſtriſſimi Pricipis noſtri Galeaz exercitui feliciter praefuit, dignamque immortalitate poſt ſe memoriam reliquit. Aderunt multis comitati Nicolaus, Maſeus, Guidetus, Mandelli milites, nedum ſuis temporibus, ſed noſtra etiam aetate famoſiſſimi. Aderunt Crivelli nobilitatis veſtutate, variiſque honorum titulis praeclari. Aderunt inclyti Gonzagae Mantuani ſtrictiſſima Ottoni conſanguinitate conjuncti. Aderunt ex Marchionibus Heſtenſibus, & Malaſpinis, ex Pellevicinis, ex Comitibus Ruſconibus, ex multis nobiliſſimis tum Mediolanenſibus; tum exteris parentelis viri Sapientiſſimi, qui ſe Ottoni huic adoleſcentulo applicabunt. Nec vero diſpartite ſingulos adoleſcentes ſingulos tantorum Procerum turmae circumvallabunt, ſed promiſcue ambos complectentur, quod ut planum reddam non diutius immorabor verbis. Nota eſt enim huic Urbi affinitas, quae inter Vicecomites, atque Mandellos per temporum longa curricula ſucceſſive renovata eſt. Sed & puellis noſtris grandaevi accedent parentes, qui veſtro illas conſpectui ornatiores offerent. Ex Bonromeis enim hi confluent, qui magnis adminiſtrandis rebus terras mariaque luſtrarunt. Ex Vitalianis quoque generoſi concurrent milites, bello pacique aptiſſimi, inter quos apparebunt qui magni Eccleſiae Confanonerii extiterunt. Concurrent ejuſce cognominis viri plerique eximii. Concurrent, imo jam praeſentes adſunt Fagnani ſpectabilibus multis affinitatibus ſepti, ſuaque propria claritate conſpicui. Concurrent denique Marchionales Heſtenſis domus, aliarumque nobilium praeſtantes multi, qui jure ſanguinis puellas circumſtabunt. Hos etſi pulchrum eſſet enumerare, tamen ut prolixitatem nimiam vitem, ſilentio tranſeo. Hactenus quae dicta ſunt vel praeſenti fide tenemus, vel non remota longe a patrum noſtrorum memoria fuerunt. Quod ſi ad remotiora nos ſecula contulerimus, in Regia uſque ſolia (niſi famae, literarumque monumentis negatur fides) quacumque ambulaverimus una conſcendemus. Non me diffundere in hoc ſermone poſſum, ut conſtitueram, viri clariſſimi, quia praefixas habeo temporis metas, quas pronunciando praeterire non licet. Illud jam liquido perſuaſum puto, raro ad connubia tantam undique majorum gloriam convenire. Illud ſingulare quiddam heic conſpicio, quod etſi neminem contra ſuſpectum verear, praecipua tamen praedicatione digniſſimum judico. Innocentiſſimae duae virgines duobus una hora virgi-

virginibus, quale neſcio quando alias auditum fuerit, puberibus nubunt. Contemplemur, quaeſo patres ſapientiſſimi, immaculata haec conjugia, delicata, ſuavitatis odorem ſpirantia, quibus plane confido coeleſtes Angelicos ſpiritus magna frequentia intereſſe. Contemplemini haec conjugia primo illi, quod in Paradiſo deliciarum inſtitutum fuit, quam ſimillima. Contemplemini, inquam, ea, filiiſque veſtris proponite in exemplum, ut ſuam integritatem eos conſervare non pigeat. Imo & ipſi vobis exemplum inde ſumite. Volo enim excitemini ad filiorum veſtrorum vitam ſagaciter explorandam, ad intempeſtivam eorum tempeſtive cohibendam laſciviam, ad bonas cogitationes ipſorum mentibus inſerendas, ad ingenia pulcherrimae alicujus diſciplinae, virtutumque omnium ſtudio dedicanda. Incredibile eſt, quantum me iſtorum puritas ſincera delectet; Idem non dubito & vobis accidere, atque illud tacite in mentem venire, hunc eſſe praecipuum actum, cui parem neque videritis unquam, nec quando viſuri ſitis animo pernoſcere valeatis. Hinc ea ſola expectatione nos detineri animo, ut id perfectum cernatis, quod tanta admiratione ſuſpicitis. Ego vero libenter quantum in me erit curabo, ut deſideriis veſtris ſatisfaciatis, ſi tamen pauca prius pro inextinguibili qua ſum perpetuandi hujus boni cupiditate praecepero. Ad vos me converto Joannes Auguſtine, & Otto Coeiici adoleſcentes. Incomparabilem theſaurum vos parentum exactiſſimâ diligentiâ, veſtrâque ex parte naturâ in hunc uſque diem cuſtodiſtis. Jam in alium, dum tempus idoneum erit, tranſibitis ſtatum. Vigilate, quaeſo imo vos per Deum adjuro, vigilate, & attente ſtudete veſtrum in ſanctificatione vas cuſtodire, nulliſque illecebris animos veſtros in extraneam labi concupiſcentiam patiamini. Summam, credite, jucunditatem capietis, quotiens nullum unquam illicitum notum vobis fuiſſe concubitum memineritis, quotiens & proprias vobis conjuges memineritis, & vos illis proprios fuiſſe cogitabitis. Hinc amor perpetuus exiſtimabile conjugii bonum, hinc mentium hilaritas, hinc filiorum Deo largiente optata foecunditas, hinc divinae gratiae multiplicatio prodibit, ut ſperare audeam, qua vos aetate intueor, ſi Dei non contemnitis donum, vobis antequam extremum claudatis diem ſuperſtites in quartam & in quintam generationem liberos fore. Haec, atque his conſentanea quoniam vos prae oculis habituros, veſtramque vos non inquinaturos munditiam ſpero, brevi hac ſuaſione contentus finem dicendi facio, ſecuruſque ad verba ſtipulationis, invocatâ Beatiſſimâ Virgine D. N. J. C. Matre Mariâ, Deo praeſidente accedo.

IN GEMINA

HAEC EPITHALAMIA DISQUISITIO.

NEQUE haec, licet ſequioris aevi foetus, illuſtria monimenta amplius eruditis occultanda cenſui, in eis enim non mediocris eloquentia, & ampliſſimae Borromaeorum familiae praeconia honoreſque ſpectantur. Ita Sanctiſſimi Antiſtitis olim noſtri Caroli propagata eſt fama, adeoque ejus praeclaris pro Religione Catholica geſtis non Urbs modo Mediolanenſis, ſed tota Chriſtianorum Reſpublica ſe obſtrictam fatetur, ut ejus originem nobiliſſimam noſcere aut omnium interſit, aut ſaltem nemini ingratum futurum ſit. Satis haec una cauſſa fuiſſet, ut Borromaeorum nobilitati iſtud etiam ſingulare teſtimonium adderem; Propiora nihilominus momenta ſcribentem urgent ad obſequii profeſſionem. Etenim ſi magni illius Federici Cardinalis Borromaei ſtudium in hanc Urbem mecum reputo, quo ſplendidiſſimam Bibliothecam, atque in ea celebre Collegium Ambroſianum literarum commodo, atque aeternitati ſacravit, quot nominibus eidem devincti non ſumus? Atque ego potiſſimum qui in ejus Collegium nulla virtutis commendatione ab Illuſtriſſimis Conſervatoribus ſum cooptatus tanto arctius in Borromeae gentis aere ſum, quanto praeſentius ejus munificam beneficentiam ſentio. His accedit humaniſſima illa benevolentia, qua me proſequi pro ſua magnanimitate non deſinunt cum Excellentiſſimus Comes Carolus Verbani Lacus Toparcha, velleriſque aurei Eques, tum Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Comes Gibertus utriuſque Signaturae Referendarius, Protonotarius Apoſtolicus ex participantium numero, & Vicoboldoni Abbas, atque Excellentiſs. Comitis Caroli digniſſima proles Comes Joannes, quibus aeternos annos mecum Italia tota adprecatur. Proinde cur ego de nobiliſſima familia perpetuo ſileam in tanta meritorum affluentia? Vix ingrati animi vitio liber abeat ille, qui, dum vires majora negant, aliena beneficia ſaltem teſtando non probet. Opportune itaque contigit mihi, ut egregias haſce Orationes tenebris, ac pulveri ſubducerem, quarum ope & Borromaeorum praeſtantia, & meum erga illos obſequium uberius explicarentur. Et de hujus quidem gentis antiquitate, ac nobilitate peculiares tractatus edidere doctiſſimi viri Joſeph Ripamontius in Libris *de Origine*, *& Pontificatu S. Caroli* Baſilius Serenius in *Stylobate familiae Borromaeae*, & Jo: Petrus Creſcentius in *Amphitheatro Nobilitatis Italicae*. Atqui eorum nemini hujuſmodi occurrerunt Orationes, e quarum alioqui luculenta auctoritate lucubrationum ſuarum pretium augere potuiſſent. Noſtris autem temporibus quum de praeſtan-

tioribus

tioribus Italiae familiis eruditiſſimum opus elaborare pergat Jacobus Wilhelmus Imhofius, Norimbergenſis Senator, vir editis ſcriptis undequaque clariſſimus, in illuſtranda Borromaeorum Genealogia operam ab illo collocari compertum eſt mihi. Quare illius ſtudiis non exiguum lumen quaeſitum fuerit, ſi & has conciones ante ſcribentis oculos conſtituam. En igitur ambas, quarum priorem ex Ambroſianae Bibliothecae MS. Codice X. 339. in 4. deſcripſi. Quiſnam vero ejuſdem auctor fuerit, ante omnia inquiramus. Guiniſortus ille eſt Bergomas Gaſparini Barzizii C. V. filius, quem ſeculo Chriſti XV. eloquentia inſignis, publicaeque dignitates Mediolani celebrem fecere. Tredecim annos natus in Patavina Univerſitate Doctoris inſignia meruit, ſuamque famam adeo amplificavit, ut a Philippo Maria Vicecomite Mediolanenſium Duce ad plurimas eaſque praeclariſſimas dignitates evectus fuerit. Praeter nonnullas tanti viri Orationes Epiſtolarum quoque ab eodem conſcriptarum libros aliquot in Ambroſiana Bibliotheca nondum evulgatos ſervamus, in quibus quum multa eorum temporum negotia non omnibus obvia pertractentur, mirabiliſque eloquentiae vis contineatur, luci reddendos per me aliquando confido. Ex his autem Epiſtolis nonnulla excerpam, ut Barzizii res melius dignoſcantur. In Ticinenſi Gymnaſio eloquentiam publice profeſſus eſt. Philippo Mediolanenſium Duci a ſecretis fuit, eumque propterea *Ducalem Secretarium* appellat Aeneas Silvius Ep. LI. Senatorum quoque in album relatus fuit ab Alphonſo Aragonum Rege, cui Guiniforti virtutes pluribus experimentis perſpectae erant. Hoc autem ex ejuſdem Epiſtola ad Bartholomaeum de la Sala cognovi: *Agam*, inquit, *literis apud Clariſſimum virum Juriſconſultum Jacobum Pergri Regium Senatorem, ac Vicecancellarium, cui ego Senatorii Collegii ſocietate, intimaque familiaritate conjunctus fui.* Supra vero haec dixerat: *Operam meam apud Sereniſſimum Regem Aragonum deſideras, cui me pro ſua clementia carum eſſe, ut ſuſpicor, audiſti.* Et profecto ad Regem Alphonſum non ſemel Legati munere auctus ſe contulit, aut potius ab illo ad alios miſſus eſt, illiuſque iccirco gratiam tam alte ſibi conciliavit, ut quamplurimis donis ab illo egregie praeter ceteros ornatus diſceſſerit. In Epiſtola etiam ad Epiſcopum Novarienſem An. Ch. 1434. ſcripta ſe *Regium Senatorem, atque Legatum* inſcribit. Neque in ornando Guiniforto cuiquam ceſſit Philippus Maria Vicecomes, Vicarium enim Generalem eumdem creavit, aliiſque dignitatibus amplificavit. Quapropter facile ipſi fuit nobiliſſimam ſibi uxorem quaerere, de qua multis in Epiſtolis, ac praeſertim ad Joannem Auguſtinum fratrem ſuum ita ſcribit: *Uxorem mihi nobiliſſimam tunc virginem, atque iis ornamentis praeditam deſpondi. Ejus pater quondam Joannes Malabarba Mediolanenſis virtute ſpectatus, ac nobilitate primarius civis.* Ceterum quanta apud Principes Guiniſorti exiſtimatio, & fama foret, ex laudatis Epiſtolis cognoſcere licet; ſcribit enim ad Imperatorem Sigiſmundum, ad Joannem Gonzagam Mantuae Marchionem, ad Joannem Jacobum Montisferrati Marchionem, ad Alphonſum Aragonum Regem, ad Joannem Navarrae Regem, ad Rectores Civitatis Camerini, & ad plurimos alios Epiſcopos, egregioſque amicos. Inter hos poſtremos *Stephanum Cacciam Juriſconſultum Novarienſem, & Conciſtorialem Advocatum* pluribus

 literis

literis convenit. Ex hac vetuſtiſſima familia natum nunc Emin. Cardinalem Federicum Cacciam Mediolanenſem Archiepiſcopum, & veneramur, & ſingulari amore proſequimur, cui olim idem muneris Romae non fine Mediolanenſium, ſuique gloria exercere contigit, quaſi Majorum gloriam, quam virtutibus ſuperat, iiſdem dignitatibus antea aemulari videretur. Ab Anno igitur 1400. ad 1450. in vivis egiſſe Guinifortum, veri prorſus ſimile arbitror, atque ut animadverti, pleraeque ejus Epiſtolae intra Annum 1430. & 1446. conſcriptae fuere. De hoc egregio Scriptore meminit P. Donatus Calvius in Scaena literar. Scriptor. Bergom. pag. 311. ubi illius lucubrationes recenſens hanc quoque habet: *Oratio in Sponſalibus Philippi Borromaei adoleſcentis ornatiſſimi. Incipit: Video Magnifici Domini*. Seculo itaque Chriſtianae Epochae decimo quinto ea Mediolanenſibus conſuetudo erat, ut quando inter nobiles viros matrimonia ineunda erant, coram praeſtantiſſimis Civium, & univerſis affinibus nuptiarum contrahendarum ſolemnia peragerentur. Is primariorum conventus, & publica laetitia ſaepe illuſtri aliqua Oratione excipi ſolebat, qua in ſponſorum laudem, familiaeque commendationem quaedam pronunciabantur. Hinc eloquentiſſimis viris eâ provinciâ demandatâ familiarum encomia proferebantur, & quae ſponſis dignitas, quae parentibus, & conſanguineis merita forent, brevi ex panegyrico patebat. Ubi vero in harum Orationum calce vides, Oratorem *ad ſtipulationis verba accedere*, ne continuo cogita, heic diploma illud memorari, quod noſtris temporibus ſponſalia, ut ajunt, de futuro praecedere, atque a tabellionibus confici ſolet. Uti enim ex aliis hujuſmodi concionibus perſpexi, ſtipulatio illa erat, quae Sponſalia, ut ajunt Leguleii, de praeſenti perficit, integrumque Matrimonii Sacramentum conſtituit. Scilicet ante Concilium Tridentinum ad Sacramentum abſolvendum neceſſaria minime fuit Parochi praeſentia. Quare peracta concione, ipſius Oratoris erat nuptias facturos interrogare, quorum conſenſu expreſſo ſtipulatio Matrimonii expreſſa dicebatur. Quanti igitur Barzizii Oratio facienda ſit, quippe a tanto viro lucubrata, & in conſpectu, ut ita dicam, totius Urbis recitata, nemo non videt. Adulationis ſuſpicionem profecto avertebat & dicentis auctoritas, & auditorum majeſtas. Adhibere vanos titulos, & familiarum antiquitatem incertis efferre monumentis tum maxime fugias, quum Oratio multorum, & quidem praeclariſſimorum Civium auribus accipienda eſt, quibus neque mendacia placeant, & mentientem convincere in promtu ſit. Philippo Vitaliani Bonromei filio uxor deſtinabatur Franciſca Lanceloti Vicecomitis filia, quam Franciſchinam Ripamontius in Lib. de Orig. & Pontif. D. Caroli vocat. Quapropter, ut Matrimonium ſplendide pro more celebraretur, aciti fuere inter Mediolanenſes nobiliſſimi, qui ſtipulandis nuptiis intereſſent, & Guinifortus delectus, ut familiae utriuſque ſplendorem eloquentia ſua teſtaretur. Omnium votis, ſuoque muneri plane reſpondit vir diſertiſſimus, nobiſque non infimum Borromaeae gentis ornamentum reliquit. Nam primo Borromaeorum, ac Vitalianorum proſapiam in unam coaluiſſe familiam eſt auctor, quod alii itidem Scriptores memoriae mandarunt. Deinde Vitalianos antiquitus Patavii in urbe clariſſimos ad tempora uſque ſua floruiſſe teſtatur,

dum

Digitized by Google

dum ait: *Vitalianos Padua urbs celeberrima inſignes variis dignitatibus, eximiiſque titulis per multa jam ſecula etiam primarios habet*. Tum affinitates addit, quibus ſe cum inclytis Marchionibus Eſtenſibus, aliiſque ampliſſimis familiis Vitaliani devinxerant, & in haec verba definit: *Dicerem & aliud excelſum quoddam in illius generis laude, quod adoleſcens ego illa in urbe didici &c.* Quid ſit eximium hoc decus, quod a ſe Patavii olim auditum veluti tranſeundo commemorat Guinifortus, nolo divinare, facile tamen adducor, ut credam heic ſignificari potentiſſimam antiquis temporibus illa in Civitate Vitalianorum gentem fuiſſe, adeo ut illic imperaſſe crederetur. Proſequitur: *Bonromeos autem magnos olim Etruria, & potentes novit. Hac vero aetate orbis nulla eſt pars; quae non eos ſpectatos habeat. Nam cum ſuperioribus ſeculis opulentiſſimae terrae S. Miniati Principatum cum ſubiacentibus ſibi munitiſſimis oppidis tenuiſſent, non ſolum dehinc per omnes Italiae florentiſſimas Civitates, ſed ad exteras quoque nationes &c. ſuum latiſſime nomen extenderunt*. Et profecto inſigne oppidum S. Miniati ita Bonromeorum nomine, & dominatu illuſtre olim fuit, ut illinc eorum nonnullis appellatio advenerit. Illuſtre eſt Venetiis in S. Helenae ſacris aedibus monumentum, ubi ſepultus eſt Anno Ch. 1431. Alexander Bonromeus his verſibus appoſitis:

Mitis Alexander vir Bonromeus Ethruſcus,
Natus enim Sancto Miniate propagine clara &c.

Ibidem quieſcit Bonromeus de Bonromeis Alexandri frater natu major cum hac Epigraphe:

Inſignem virtute virum, Comitemque Tiarae
Vallis, & Arquati Dominum celeberrima praeſens
Urna tenet. Tantam genuit Florentia prolem.
Hic pietatis honos, gravis, & ſectator honeſti
Bonromeus erat juſtus. Ditavit egenos
Semper, & his meritis ſuperam penetravit ad aulam.
Matthaeus de Reverſis
Mediolanenſis fecit MCCCXXII.

Sed quoniam de hoc Bonromeo mentionem fecimus, audire non pigeat, quae de illo Baldus Juriſconſultus habet Volum. II. Conſ. 147. Refert hic Diploma concordiae, quam cum Franciſco Carrarienſi inivit Joannes Galeaz Vicecomes Comes Virtutum, Dominuſque Mediolani Anno 1392. Ejuſdem Carrarienſis imperio relinquitur urbs Patavina, quae Vicecomiti ante paruerat, ita tamen ut intacta bona, ac jura iis ſerventur, qui a Vicecomitis partibus ſteterant. Illos autem hujuſmodi beneficio frui vult, qui *ſint originarii, ſive habitatores Paduae, & quoſcumque alios ſubditos praefati Domini Comitis Virtutum, qui habent domos, vel poſſeſſiones juſto titulo acquiſitas in Padua, vel diſtrictu, & ſpecialiter Milanum de Malabarbis, & patrem, ac Dominum Bonromaeum de Bonromaeis de S. Miniato habitatores Paduae*. Haec in illo Di-

lo Diplomate, cui ipſemet Baldus ſubſcripſit. Patavium itaque unde antiquitus ortum duxiſſe dicuntur, iis etiam temporibus Bonromei incolebant, adeoque conſpicui erant, ut eorum in publicis inter Principes Actis ratio haberetur. Illà vero eàdem in Urbe Vitalianorum ac Bonromeorum familiae longo temporis ſpatio, ut creditur, ſejunctae iterum per adoptionem inſimul nexae fuerunt. Nunc etiam in Verbano lacu antiqua arx Vitaliana ſeculo Chriſti decimo quinto aedificata utriuſque familiae memoriam hac inſcriptione marmori commendata teſtatur:

Vitaliana vocor Verbani turris in undis
Edita, primaevae nomina ſtirpis habens.
Me Ludovicus ſic Bonromeus in altum
Extulit, ut pateat Vitalianus honor. &c.

Infra leguntur alii verſus, inter quos iſte:

Vitalianorum Ludovicus vera propago.

Plura poſſem heic pertexere in ampliſſimae familiae laudem, ni me cumulus rerum abſterreret, libellique mei ratio ad alia abduceret. Unum tantum commemorabo, quod nuper animadverſum mihi eſt, neque male collocatum heic erit. Anno 1489. Stephanus Dulcinius Scalenſis Canonicus libellum de Nuptiis Illuſtriſſimi Ducis Mediolani ad Lucarum Cremonenſem ſcripſit. Quodam vero capite: *de Nuptiarum excellentia* haec habet: *Nuptiarum ſplendorem etiam oſtenderunt duo inter Ciſalpinos potentiſſimi, Joannes Franciſcus Palavicinus Marchio, & Joannes Borromaeus Comes. Hi dimiſſis ſervorum agminibus, quibus alioquin ſtipati incedere ſolent, equo longius ſequente, ipſi pedites in togis auro textis, gemmiſque radiantibus Elyſabellae ad fraenum quaſi Paranymphi utrinque aſtiterunt, totamque viae longitudinem pedibus emenſi in templum introduxerunt. Mira hercle nuptiarum excellentia, quibus tanti viri famulicium praeſtare, & pro Sponſa lateronis, ac ſatellitis officium adimplere non dedignantur.*

Venio ad alterum Epithalamium. Illud, ut ex vetuſta Orationum MSS. collectione haurirem mihi evenit, quam non ita pridem Ambroſianae Bibliothecae dono dedit pereruditus vir Lazarus Auguſtinus Cotta I. V. D. Novarienſis Urbis illuſtrator, & accuratiſſimus antiquitatum cultor. Margarita, ac Talda Vitaliani Boromei V. C. filiae nupſerant, illa Auguſtino Vicecomiti, haec Ottoni Mandello praeclariſſimis inter Mediolanenſes Civibus. Quapropter accitus vir diſertiſſimus fuit, qui Oratione publica initarum nuptiarum Majeſtatem augeret. Habita autem eſt concio, ut arbitror, ſub idem fere tempus, quo alteram Orationem Guinifortus habuit, videlicet circiter Annum Chriſti 1430. quandoquidem apertis verbis ibidem Philippus Maria Vicecomes Mediolani Dux tum vivus memoratur. Auctorem ignoro, ni fortaſſis & ipſe Barzizius fuerit, illumve haec appoſita in calce verba prodant: *Joannes Matthaeus de Privolis ſcripſit*. Porro heic non unius Borromeae familiae commendationem reperias, ſed aliquot etiam illuſtrium familia-

familiarum, quae nunc Mediolani ſplendorem ſuum ab antiquitate manantem novis titulis, ac virtutibus augent. Enumeratis igitur iis, qui Vicecomitem, ac Mandellum ſanguinis, & cognationis proximitate pertingebant, eos non omittit, qui Borromeae familiae per affinitatem jungebantur. Inquit autem hic Auctor: *Ex Bonromeis hi confluent, qui magnis adminiſtrandis rebus terras mariaque luſtrarunt. Ex Vitalianis quoque generoſi concurrent milites, bello pacique aptiſſimi, inter quos apparebunt qui magni Eccleſiae Confanonerii extiterunt. Concurrent, imo jam praeſentes adſunt Fagnani ſpectabilibus multis affinitatibus ſepti, ſuaque propria claritate conſpicui. Concurrent denique Marchionales Heſtenſis domus, aliarumque nobilium praeſtantes multi, qui jure ſanguinis puellas circumſtabunt &c.* Atque hinc, ni fallor, intelliget Lector, quo in honore cum Mediolani, tum aliis in regionibus ea tempeſtate haberetur Borromaeorum nomen, de quorum antiquiſſimo, ac ampliſſimo genere haec pauca ſufficiant, grati, atque obſequentis animi mei teſtimonia.

ANTI

Digitized by Google

ANTIPHONARIUM
MONASTERII
BENCHORENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ANTIPHONARIUM
MONASTERII
BENCHORENSIS.

EX *Codice MS. Ambroſianae Bibliothecae num. 10. Lit. C. deſcriptum per me fuit hoc Opuſculum. Mutilus eſt Liber non uno in loco; vetuſtatem autem illius ad Annos paene mille aſcendere conjeci, charactere ad Saxonicum accedente, literiſque nonnullis minio diſtinctis. Celebre autem olim fuit in Ultonia Hiberniae Provincia Benchorenſe, ſive Banchorenſe Monaſterium diverſum ab altero Benchorenſi Coenobio in Wallia Angliae Provincia ſito. Uſſerius in Britannicar. Eccleſiar. Antiquitatibus Pag. 476. & 531., ad Benchorenſe Hibernicum Coenobium refert locum deſumtum e Lib. II. Cap. II. Hiſt. Eccleſ. Bedae, cujus verba ſunt:* Erant autem plurimi eorum de Monaſterio Bancor, in quo tantus fertur fuiſſe numerus Monachorum, ut quum in ſeptem portiones eſſet cum praepoſitis ſibi Rectoribus Monaſterium diviſum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum ſuarum vivere ſolebant. *Similia habet Gotſelinus Monachus Bertinianus in Vita S. Auguſtini Cantuar. Epiſc. At haec potius ſpectare ad alterum Coenobium Benchorenſe in Angliae Provincia Wallia poſitum, praeter alios C. V. Mabillonius arbitratur in Notis ad laudatam Vitam S. Auguſtini ſcriptam a Gotſelino Monacho Bertiniano Tom. I. Act. SS. Ord. S. Benedicti. Et revera animadvertere heic poſſumus, Benchorenſium Monachorum cladem Bedae memoratam in eo Monaſterio contigiſſe, cui praefuerat* Dinooth Abbas, *de quo tamen nullam mentionem habet Catalogus priorum Benchorenſium in Hibernia Abbatum, qui in Antiphonario noſtro occurrit. At Uſſerii ſententiam roborat locus e Vita S. Comgalli*

 de-

deſcriptus, quem ipſe adfert Pag. 472. Ita vero ſcribit ejus Vitae Auctor. In diverſis Monaſteriis & cellis tria millia Monachorum ſub cura S. Patris Comgalli fuerunt; ſed major & nominatior ceteris praedictum Monaſterium Beanchor eſt &c. *Sanctus itidem Bernardus Clarevallenſis Abbas in Vita S. Malachiae Cap. VI. laudes Hibernici Benchorenſis Monaſterii perſequitur, eique adſcribit, quae Britannico tribuere videtur Beda loco citato.*

Ad uſum itaque inſignis illius Monaſterii in Hibernia ſiti fuit Antiphonarium nunc a nobis evulgatum. E Bobienſis autem Coenobii Bibliotheca in Ambroſianam tranſiit Codex cura ampliſſimi Cardinalis Friderici Borromaei, cui Bibliotheca illa ſuum ortum debet, Urbs, & Archiepiſcopatus Mediolanenſis, omneſque Literati plurima aeternum debebunt. Neque mirum, quod in Bobienſi Coenobio monumentum hoc adſervaretur. Celeberrimi hujus Monaſterii inſtitutor fuit S. Columbanus Abbas, qui ut Jonas Bobienſis Monachus in ejus Vita narrat, non alibi Monachorum albo nomen primum dederat, quam in Monaſterio, cujus eſt Vocabulum Banchor, *illo nempe, quod in Hibernia ſitum fuiſſe diximus. Proinde inter Bobienſes & Benchorenſes Monachos magna in poſterum quoque neceſſitudo interceſſit, ac amoris commercium. Et quamquam excogitare non poſſimus, ab ipſo S. Columbano delatum in Italiam Antiphonarium iſtud fuiſſe, quum ibi quaedam habeantur, quae aliquot dumtaxat poſt ejus mortem annis contigere; attamen ab ejus diſcipulis, proximiſve Succeſſoribus id factum non immerito opinor.*

Quando autem in uſu Benchorenſium fuerit hocce Antiphonarium, conjicere poſſumus ex ipſius poſtremis lineis, ubi Memoria Abbatum noſtrorum exhibetur. *Primus Benchorenſis Monaſterii Abbas ibi numeratur* S. Comgillus, *qui S. Columbani Magiſter ac in eruditione Pietatis Pater fuit. Ita de Columbano laudatus Jonas:* Dedit deinde operam, ut Monachorum necteretur ſocietati, & Monaſterium, cujus eſt vocabulum Banchor, petiit, in quo virtutum Praeſul ubertate cluebat B. Commogellus, egregius inter ſuos Monachorum Pater. *Quamobrem S. Comgillus floruit circiter Annum Chriſt. DLXXX. & adhuc Benchorenſi Monaſterio praeerat, quum S. Columbanus ex Hibernia in Gallias proceſſit, nova Monaſteria inſtituturus: quod paullo ante Annum Ch. DXC. accidiſſe Mabillonius contendit in Notis ad eamdem S. Columbani Vitam Sec. II. Act. SS. Ord. S. Benedicti. Baleus Centur. I. Cap. LIII. Script. Britann. S. Comgilli aetatem nimium anticipat, quum illum Coenobio Benchorenſi praepoſitum*

Digitized by Google

tum Anno Ch. DXXX. ſcribit, eique regendum Britannicum, non vero Hibernicum, Benchorenſe Monaſterium tribuit. Uſſerius ejus mortem figit in Anno Ch. DCI. Pag. 494. Antiq. Britannicarum.

Succedunt in Antiphonario Abbates Beognous, Aedeus, Simlanus, Fintenanus, Michlaiſreus, Seganus, Beracnus, Cumnenus, Columba, Aidanus, Bautherius, Cronanus, Camanus, *&* Cronanus. *De poſtremo haec ibi leguntur.*

Chriſto nunc ſedet ſupremus
Hymnos canens quindecimus
Zoen ut carpat Cronanus,
Conſervet eum Dominus,
Quos convocabit Dominus
Coelorum Regni ſedibus.

Quae ſane indicare videntur, Cronanum tunc etiam temporis in vivis fuiſſe, quum ei Zoe, *ideſt* vita, *optetur, & dicatur* convocandus *ad Coelorum Regni Sedes. Attamen quum ſcriptum ibi ſit* quos convocabit, *non vero* quem convocabit, *vehemens oborta mihi dubitatio eſt, ne* convocabit *idem ſit atque* convocavit, *quod in ſuperioribus repetitum videas; & praecipue quum poſtremus etiam ex his Abbatibus inter Sanctos invocandos enumeretur.*

Quod ſi revera Cronanus Abbas tunc vivebat: tempus, quo Antiphonarium illud concinnatum fuit, aut in uſu erat, divinare fortaſſe liceret. In antiquo Catalogo Sanctorum Hiberniae, *quem Uſſerius publici juris fecit. Pag.* 473. *laudati Operis,* Cronanus *neſcio quis Presbyter Sanctus enumeratur. Tres vero* Cronanos *deinde agnoſcit Uſſerius ipſe Pag.* 502. *Primus An. Ch. DCXL. vixiſſe in Hibernia fertur. Secundus An. Ch. DCLXV. mortem obiiſſe dicitur in Hibernicis Annalibus. Tertius Abbas fuit magnificique Monaſterii fundator in Tipperarienſi Comitatu. Videndus etiam Bollandus ad diem primam Januarii, ubi refert Vitam S. Mochuae, ſive Cronani, quem facit diſcipulum S. Comgilli, & Abbatem. Nos in Catalogo Benchorenſium Abbatum duos Cronanos reperimus. A vero non abhorret, recentiorem inter eos floruiſſe circiter An. Ch. DCLX. quamquam ſi recte memini, Gabriel Bucelinus in Libro de Sanctis Viris Ord. S. Benedicti, quem olim vidi, ſcribit, Cronanum Benchorenſem Abbatem vixiſſe circiter An. Ch. DCXXXVI. Quae tamen ita dicta velim, ut non putem propterea, Codicem ipſum, quo ſum uſus, ad*

Digitized by Google

eam ipſam aetatem eſſe referendum, quum exemplar in Ambroſiana adſervatum, & certe vetuſtiſſimum, ex antiquiore tamen Codice deſcribi ſubinde per Monachos Bobienſes, ſive Benchorienſes potuerit.

Quod eſt ad reliquos Abbates, eruditis locus erit inquirendi eorum tempus ac memoriam in antiquis Annalibus, atque Hagiologiis, ac potiſſimum in vaſtis Bollandiſtarum Libris, eamque in rem plurimum opis conferent, quae de Sanctis Hiberniae viris vaganti, ſed magni tamen facienda, eruditione congeſſit memoratus Uſſerius in Libro Antiquitatum Britannicarum. Heic interim adnotaſſe juvabit, priorem Hymnum, qui in hoc Antiphonario occurrit, tribui S. Hilario Pictavienſi Epiſcopo illis verbis: Hymnum S. Hilarii de Chriſto. *Et profecto compertum eſt inter eruditos, teſte S. Hieronymo, Hymnorum Librum a S. Hilario fuiſſe compoſitum. Ex iis etiam nonnullos in Eccleſia decantari ſolitos fuiſſe tradit Concilium Toletanum IV. Anni DCXXXIII. At in Hymno nunc a nobis producto majorem fortaſſe elegantiam deſiderabunt nonnulli, ut eum S. Hilario adſcribant.*

Ad haec legimus in Antiphonario noſtro Hymnum S. Patricii Magiſtri Scotorum. *Memini autem, Cl. Virum P. D. Bernardum de Montefaucon, dum olim Mediolani ageret, conſpecta Codicis hujus, ac monumenti vetuſtate, mihi oſtendenti fuiſſe gratulatum. Narrabat quippe, in Galliis eſſe eruditum quemdam, cui nata ſuſpicio fuerat, non ipſas ſolum S. Patricii res geſtas, ſed eumdem S. Patricium inter Fabulas Romanenſes eſſe amandandum: tantis nempe anilibus commentis deturpata fuerat Sancti illius Epiſcopi Hiſtoria. At profecto unus hic Hymnus ſatis eſſe poteſt ad confirmandam veritatem cum inſignium Patricii operum, tum celeberrimae famae, quae de S. Viro ad noſtra uſque tempora permanavit. Tu uberiora, etſi non paria antiquitate, ab Uſſerio pete Cap. XVII. Pag. 425. & ſeq. Britannic. Antiquitatum.*

IN

IN NOMINE DEI SUMMI

Canticum Moyſi.

Audite Coeli, quae loquor &c.

Hymnum S. Hilarii de Chriſto.

HYMNUM dicat turba fidelium
Hymnum cantus perſon.....
Chriſto Regi concinnentur
Laudes . . . . . .
Tu Dei de . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
Dextra Patris, mons, & Agnus,
Angularis tu lapis,
Sponſus idem, vel columba,
Flamma, Paſtor, Janua.

In Prophetis inveniris
Noſtro natus ſaeculo
Ante ſaecla tu fuiſti
Factor primi ſaeculi.
Factor coeli terrae factor,
Congregator tu maris,
Omniumque tu creator
Quae Pater naſci jubet.
Virginis receptus membris,
Gabrielis nuntio
Creſcit alvus prole ſancta
. . . . erius credere.
. . . . visam
. . . .
. . . .
. . . .

Cum jubet parvos necari;
  Turbam fecit Martyrum;
  Fertur infans occulendus,
  Nili flumen quo fluit.
Qui refertur poſt Herodem
  Nutriendus Nazareth.
  Multa parvus, multa adultus
  Signa fecit caelitus.
Quae latent, & quae leguntur
  Coram multis teſtibus,
  Praedicans caeleſte regnum
  Dicta factis adprobat.
Debiles fecit vigere,
  Caecos luce inluminat,
  Verbis purgat leprae morbum,
  Mortuos reſuſcitat.
Vinum, quod deerat Hidriis,
  Mutari aquam jubet.
  Nuptiis mero retentis
  . . . . populo.
. . . .
  . . . . bino
  . . . .
  . . . .
Turba ex omni diſcumbente
  Jugem laudem pertulit
  Duodecim viros probavit,
  Per quos vita diſcitur.
Ex quibus unus invenitur
  Chriſti Judas traditor,
  Inſtruuntur miſſi ab Anna
  Proditoris oſculo.
Innocens captus tenetur,
  Nec repugnans ducitur.
  Siſtitur falſis, graſſantur
  Offerentes Pontio.
Dicerent Chriſtum negandum;
  Turbis Sanctus traditur;
  Impiis verbis graſſantur;
  Sputa, flagra ſuſtinet.
Scandere Crucem jubetur
  Innocens pro noxiis;
  Morte carnis, quam gerebat;
  Mortem vicit omnium.
Tum Deum clamore magno
  Patrem pendens invocat
  . . . . . . membra Chriſti
  . . . .;
Vela templi ſciſſa pendent;
  Nox obſcurat ſaeculum;
  Excitantur de ſepulchris
  Dudum clauſa corpora.
Adſuit Joſeph Beatus;
  Corpus myrra perlitum
  Linteo rudi ligatum
  Cum dolore condidit.
Milites ſervare corpus
  Anna Princeps praecipit,
  Ut videret ſi probaret
  Chriſtus, quod ſpoponderat.
Angelum Dei trementes
  Veſte amictum candida,
  Quo candore claritatis
  Vellus vicit ſericum.
Demovit ſaxum ſepulchro
  Surgens Chriſtus integer;
  Haec vidit Judaea mendax,
  Haec negat, cum videret.
F . . . .
  . . . .
  . . . .
  . . . .
Seque a mortuis paterna
  Suſcitatum dextera
  Tertia die rediiſſe
  Nuntiat Apoſtolis.
Mox videtur a beatis,
  Quos probavit, fratribus,
  Quod rediſſet ambigentes,
  Intrat januis clauſis.

Dat

Digitized by Google

Dat docens praecepta legis,
Dat divinum Spiritum,
Spiritum Dei perfectum,
Trinitatis vinculum.
Praecipit totum per orbem
Baptizari credulos,
Nomen Patris invocantes,
Confitentes Filium.
Myſtica Fide revelat
Tinctos Sancto Spiritu,
Fonte tinctos innovatos,
Filios factos Dei.
Ante lucem turba . . . .
Concinit . . . .
. . . .
. . . .
Galli cantus, galli plauſus
Proximum ſentit diem
Nos canentes, & precantes
Quae futura credimus.
Majeſtatemque immenſam.
Concinnemus uniter;
Ante lucem nuntiemus
Chriſtum Regem ſaeculo.
Ante lucem nuntiemus,
Chriſtum Regem ſaeculo.
Qui in illum recte credunt
Regnaturi cum eo.
Gloria Patri ingenito,
Gloria unigenito
Simul cum Sancto Spiritu
In ſempiterna ſaecula.

Hymnum Apoſtolorum.

PRECAMUR Patrem
Regem omnipotentem,
Et Jeſum Chriſtum,
Sanctum quoque Spiritum. Alleluja.

Deum in una
Perfectum ſubſtantia
Trinum . . . .
. . . .
Univerſorum
Fontis jubar luminum
Aethereorum,
Et orbi lucentium.
Hic enim dies
Velut primogenitus
Coeli ab arce
Mundi olim micuit.
Sic Verbum caro
Factum a principio
Lumen aeternum
Miſſum Patre ſaeculo.
Illeque proto
Vires adimens Caho,
Tum improviſo
Noctem pepulit mundo.
Ita aeterno
Iſte hoſte ſubacto
Polum nodoſo
Solvit mortis vinculo.
Tenebrae ſuper
Ante erant abyſſum,
Quam radiaret
Primus dies dierum.
Haec quam prodiret
Vera lux mortalia
Contexit alta
Corda ignorantia.
Eodem die
Rubrum, ut ajunt, mare
Poſt tergum liquit
Liberatus Iſrahel.
Per hoc docemur
Mundi acta ſpernere;
Et in deſerto
Virtutum conſiſtere.

Summerſo ſaevo
Cicni canunt aemulo
Certatim Deo
Laudes Duci igneo.
Sicque erepti
Nequam jubemur fretis
Laudate Deum
Exploſis inimicis.
Et ſicut ille
Lucis fuit initium,
Ita & iſti
Salutis exordium.
Loquatur primus
In tenore diei
Secundus vero
In calore Fidei.
In fine mundi
Poſt tanta myſteria
Adeſt Salvator
Cum grandi clementia.
Tamque aperte
Elementa praetedunt,
Quam vatum hora
Lucide concelebrant.
Natus ut homo
Mortali in tegmine
Non deeſt coelo
Manens in Trinitate.
Vagit in pannis,
Veneratur a Magis,
Fulget in ſtellis,
Adoratur in Coelis.
Statura vili
Continetur praeſepi,
Cujus pugillo
Poteſt orbis concludi.
Primumque ſignum
Portendit diſcipulis
Aquae converſae
In ſapore nectaris.
Tum per Prophetam
Completur ut dictum:
Saliet claudus
Ut cervus perniciter.
Planaque fatur
Abſoluto vinculo
Lingua mutorum
Imperante Domino.
Surdi ſanantur,
Caeci, atque leproſi,
Fune retroſo
Suſcitantur mortui.
Totidem panes
Quinque dividit virum
Saturaturis
Procul dubio millibus.
Poſt tantas moles
Divinae clementiae
Exoſus ille
Stimulo invidiae.
Qui invidere
Et odire animam
Pro inimicis
Prorogans . . . .
Adverſus eum
Initur conſilium,
Qui magni dictus
Conſilii eſt nuntius.
Accedunt ei
Ut latroni cum gladiis
Furem aeternis
Tradituri aeſtibus
Tandem humano
Traditur judicio
Mortali Rege
Damnatur perpetuus.
Cruci confixus
Polum mire concutit,
Lumenque Solis
Tribus obtondit horis.

Saxa

Saxa rumpuntur,
Velum ſcinditur templi,
Vivi conſurgant
De ſepulchris mortui:
Conroſum nodis
Annos fere millibus
Extricat ſenis
Inferni feralibus
. . . . . . to-plauſtum
. . . . . . oſa ſoboles,
Abjecta mali morte
Saeva ultrice.
Quemque antiquum
Paradiſo incolam
Recurſu ſuo
Clementer reſtituit.
Exaltans caput
Univerſi corporis,
In Trinitate
Locavit Eccleſiae.
In hoc caelitus
Jubet portas Principes
Regi cum ſociis
Eternales pandere.
Errantem propriis
Evehens certiſſimam
Supernis ovem
Humeris ovilibus.
Quem expectamus
Adfuturum Judicem
Juſtum cuique
Opus ſuum reddere.
Rogo quam tantis
Talibuſque donariis
Vicem condigne
Poſſumus rependere?
Quid tam mortales
Temptamus micrologi
Narrare, quivit
Quae nullus edicere?
Solum oramus
Hoc, idemque maximum:
Noſtri aeterne
Miſerere Domine. Alleluja.

Canticum Sancti Zachariae.

BENEDICTUS Dominus Deus Iſrahel &c.

Canticum.

CANTEMUS Domino glorioſe enim honorificatus &c.

Benedictio trium puerorum.

BENEDICITE omnia opera Domini Dominum, hymnum dicite, & ſuperexaltate eum in ſaecula &c.

Hymnum in Die Dominico.

LAUDATE pueri Dominum, laudate nomen Domini. Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.

Te aeternum Patrem omnis terra veneratur: Tibi omnes Angeli, tibi Coeli, & univerſae poteſtates.

Tibi Cherubin, & Seraphin inceſſabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni ſunt coeli, & univerſa terra honore gloriae tuae.

Te glorioſus Apoſtolorum chorus; te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudet exercitus. Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.

Patrem immenſae majeſtatis. Venerandum tuum verum, unigenitum Filium,

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum. Tu Rex Gloriae Chriſte.

Tu Patris ſempiternus es filius. Tu ad liberandum mundum ſuſcepiſti hominem.

Non horruiſti Virginis uterum. Tu devicto mortis aculeo aperuiſti credentibus regna Coelorum.

Tu ad dexteram Dei ſedens in gloria Patris judex crederis eſſe venturus.

Te ergo quaeſumus nobis tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.

Aeterna fac cum Sanctis gloria munerari.

Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuae, & rege eos, & extolle illos uſque in ſaeculum.

Per ſingulos dies benedicimus te, & laudamus nomen tuum in aeternum, & in ſaeculum ſaeculi. Amen.

Fiat Domine miſericordia tua ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te.

Hymnum quando communicarent Sacerdotes.

SANCTI venite,
Chriſti Corpus ſumite,
Sanctum bibentes,
Quo redempti, Sanguinem.
Salvati Chriſti
Corpore & Sanguine,
A quo refecti
Laudes dicamus Deo.
Hoc Sacramento
Corporis & Sanguinis,
Omnes exuti
Ab Inferni faucibus.
Dator ſalutis
Chriſtus Filius Dei
Mundum ſalvavit
Per Crucem, & Sanguinem.
Pro univerſis
Immolatus Dominus
Ipſe Sacerdos
Exiſtit, & hoſtia.
Lege praeceptum
Immolari hoſtias,
Qua adumbrantur
Divina Myſteria.
Lucis indultor
Et Salvator omnium
Praeclaram Sanctis
Largitus eſt gratiam.
Accedant omnes
Pura mente creduli,
Sumant aeternam
Salutis cuſtodiam.
Sanctorum cuſtos
Rector quoque Dominus
Vitae perennis
Largitur credentibus.

Cael-

Caeleſtem panem
 Dat eſurientibus
 De fonte vivo
 Praebet ſitientibus.
Alpha & Omega
 Ipſe Chriſtus Dominus
 Venit venturus
 Judicare homines.

Hymnum quando Caeria benedicitur.

IGNIS creator igneus
 Lumen donator luminis,
 Vitaque vitae conditor,
 Dator ſalutis, & ſalus.
Nec noctis hujus gaudia
 Vigil lucerna deſerat,
 Qui hominem non vis mori,
 Da noſtro lumen pectori.
Ex Aegypto migrantibus
 Indulges geminam gratiam,
 Nubis velamen exhibes,
 Nocturnum lumen porrigis.
Nubis columpna per diem
 Venientem plebem protegis,
 Ignis columpna ad veſperum
 Noctem depellis lumine.
E flamma famulum provocas,
 Rubum non ſpernis ſpineam,
 Et cum ſis ignis concremans,
 Non uris quod inluminas.
Fuſco depaſto nubilo
 Tempus decoctis ſordibus
 Fervente Sancto Spiritu
 Carnem lucere ceream.
Secretis jam condis favi
 Divini mellis alitus
 Cordis repurgans intimas
 Verbo repleſti cellulas.
Examen ut foetus novi
 Ore praelectum, ſpiritu
 Relectum coelum ſarcinis
 Quaerat ſecuris pinnulis.
Gloria Patri ingenito,
 Gloria Unigenito,
 Simul cum Sancto Spiritu
 In ſempiterna ſaecula.

Hymnus mediae noctis.

MEDIAE noctis tempus eſt,
 Prophetica vox admonet,
 Dicamus laudes Deo
 Patri ſemper, ac Filio,
Sancto quoque Spiritui;
 Perfecta enim Trinitas,
 Uniuſque ſubſtantiae
 Laudanda nobis ſemper eſt.
Terrorem tempus hoc habet,
 Quocum vaſtator Angelus
 Aegypto mortem intulit,
 Delevit primogenita.
Haec juſtis hora ſalus eſt,
 Et quos idem tunc Angelus
 Auſus punire non erat
 Signum formidans ſanguinis.
Aegyptus flebat fortiter
 Tantorum diro funere;
 Solus gaudebat Iſrahel
 Agni protectus Sanguine.
Nos vero Iſrahel ſumus
 Laetamur in te Domine,
 Hoſtem ſpernentes & malum,
 Chriſti defenſi Sanguine.
Ipſum profecto tempus eſt
 Quo voce Evangelica
 Venturus Sponſus creditur,
 Regni coeleſtis conditor.
Occur-

Occurrunt Sanctae Virgines
Obviam tunc adventui,
Geſtantes claras lampades
Magno laetantes gaudio.
Stultae vero remanent,
Quae extinctas habent lampades,
Fruſtra pulſantes januas
Clauſae jam Regni Regiae.
Quare vigilemus ſobrii
Geſtantes mentes ſplendidas,
Adventui ut Jeſu
Digne curramus obviam.
Noctiſque medio tempore
Paulus quoque, & Sileas
Chriſtum vincti in carcere
Conlaudantes ſoluti ſunt.
Nobis mundus hic carcer eſt.
Te laudamus Chriſte Deus,
Solve vincla peccatorum
In te ſancte credentium.
Dignos nos fac Rex agie
Futuri Regni gloriae
Aeternis ut mereamur
Te laudibus concinere.
Gloria Patri ingenito,
Gloria Unigenito,
Simul cum Sancto Spiritu
In ſempiterna ſaecula.

Hymnum in Natale Martyrum, vel Sabbato ad Matutinam.

SACRATISSIMI Martyres ſummi Dei
Bellatores fortiſſimi,
Chriſti Regis potentiſſimi
Duces exercitus Dei,
Victores in caelis
Deo canentes. Alleluja.
Excelſiſſime Chriſte,
Caelorum Deus Cherubin,
Cui ſedes cum Patre ſacra.
Angelorum ibi, & Martyrum
Fulgens chorus,
Tibi ſancti proclamant.
Magnifice tu prior
Omnium paſſus crucem
Qui devicta morte refulſiſti
Mundo, aſcendiſti ad coelos.
Ad dexteram Dei,
Tibi Sancti proclamant.
Armis ſpiritalibus
Munita mente Apoſtoli
Sancti te ſunt ſecuti,
Qui cum ipſa crucis
Paterentur morte
Tibi ſancti canebant.
Chriſte Martyrum tu es
Adjutor potens praeliantium
Sancta pro tua gloria.
Qui cum victores
Exirent de hoc ſaeculo,
Tibi ſancti canebant.
Illuſtris tua Domine
Laudanda virtus, quae per Spiritum
Sanctum firmavit Martyres,
Qui conſternerent Zabulum,
Et mortem vincerent,
Tibi ſancti canebant.
Manu Dei excelſa
Protecti contra Diabolum
Steterunt firmati,
Semper Trinitati fidem
Toto corde ſervantes.
Tibi Sancti canebant.
Vere regnantes erant
Tecum Chriſte Deus,

Qui

Digitized by Google

Qui paſſionis merito coronas
Habent, & centenario
Fructu repleti gaudent,
Tibi Sancti proclamant.
Chriſti Dei gratiam
Supplices obſecremus,
Ut in ipſius gloriam
Conſummemur, & in ſanctam
Hieruſalam Civitatem Dei
Trinitati cum Sanctis
Dicamus Alleluja.

Hymnum ad Matutinam in Dominica.

SPIRITUS divinae
Lucis gloriae
Reſpice in me
Domine.
Deus veritatis
Domine Deus Sabaoth,
Deus Iſrahel
Reſpice.
Lumen de lumine
Referemus Filium Patris
Sanctumque Spiritum
In una ſubſtantia.
Reſpice.
Unigenitus, & primogenitus,
A te obtinemus
Redemptionem noſtram.
Reſpice.
Natus es Spiritu Sancto
Ex Maria Virgine
In idipſum in adoptionem
Filiorum, qui tibi
Procreati ex fonte vivunt.
Reſpice.
Haeredes, & quohaeredes
Chriſti tui, in quem
Et per quem cuncta creaſti,
Quia in praedeſtinatione
A ſaeculis nobis eſt
Deus Jeſus, qui nunc coepit.
Reſpice.
Unigenito ex mortuis
Deo obtinens corpus,
Claritatem Dei, manens
In ſaecula ſaeculorum
Rex aeternorum.
Reſpice.
Quia nunc cepit, qui ſemper
Fuit naturae tuae Filius,
Divinae lucis gloriae tuae,
Qui eſt forma, & plenitudo
Divinitatis tuae frequens.
Reſpice.
Perſona Unigeniti,
Et primogeniti,
Qui eſt totus a toto
Diximus lux de lumine.
Reſpice.
Et Deum verum a Deo vero
Semper ſemper confitemur,
Tribus perſonis
In una ſubſtantia.
Reſpice in me Domine.

Hymnum Sancti Patritii Magiſtri Scotorum.

AUDITE omnes amantes
Deum ſancta merita
Viri in Chriſto beati
Patrici Epiſcopi
Quomodo bonum ob actum
Similatur Angelis,
Perfectamque propter vitam
Aequatur Apoſtolis.

Bea-

Beata Chriſti cuſtodit
  Mandata in omnibus
  Cujus opera refulgent
  Clara inter homines
  Sanctumque cujus ſequuntur
  Exemplum mirificum,
  Unde & in coelis Patrem
  Magnificant Dominum.
Conſtans in Dei timore
  Et fide inmobilis
  Super quae aedificatur,
  Ut Petrum Eccleſia
  Cujuſque Apoſtolatum
  A Deo ſortitus eſt,
  In cujus portae adverſum
  Inferni non praevalent.
Dominus illum elegit
  Ut doceret barbaras
  Nationes, & piſcaret
  Per doctrinae retia,
  Et de ſaeculo credentes
  Traheret ad gratiam
  Dominum qui ſequerentur
  Sedem ad aethereum.
Electa Chriſti talenta
  Vendit Evangelica,
  Quae Hibernas inter gentes
  Cum uſuris exigit,
  Navigiis hujus laboris
  Tum operae pretium
  Cum Chriſto Regni coeleſtis
  Poſſeſſurus gaudium.
Fidelis Dei miniſter,
  Inſigniſque nuntius
  Apoſtolicum exemplum,
  Formamque praebet bonis,
  Qui tam verbis, quam & factis
  Plebi praedicat Dei,
  Ut quem dictis non convertit
  Fructu provocet bono.
Gloriam habet cum Chriſto,
  Honorem in ſaeculo
  Qui ab omnibus, ut Dei
  Veneratur Angelus,
  Quem Deus miſit ut Paulum
  Ad Gentes Apoſtolum,
  Ut hominibus ducatum
  Praeberet Regno Dei.
Humilis Dei ob metum
  Spiritu & corpore,
  Super quem bonum ob actum
  Requieſcit Dominus,
  Cujuſque juſta in carne
  Chriſti portat ſtigmata,
  Et cujus ſola ſuſtentans
  Gloriatur in cruce.
Impiger credentes paſcit
  Dapibus coeleſtibus,
  Ne qui videntur cum Chriſto
  In via deficiant,
  Quibus erogat ut panes
  Verba Evangelica,
  Et cujus multiplicantur
  Ut manna in manibus
Kaſtam qui cuſtodit carnem
  Ob amorem Domini,
  Quam carnem templum paravit
  Sanctoque Spiritui,
  A quo conſtanter cum mundis
  Poſſidetur actibus,
  Quam & hoſtiam placentem
  Vivam offert Domino.
Lumenque mundi accenſum
  Ingens Evangelicum,
  In candelabro levatum
  Toto fulgens ſaeculo,
  Civitas Regis munita
  Supra montem poſita,
  Copia in qua eſt multa,
  Quam Dominus poſſidet.

Maxi-

Digitized by Google

Maximus namque in regno
Coelorum vocabitur,
Qui quod verbis docet ſacris,
Factis adimplet bonis,
Bono praecedit exemplo,
Formamque Fidelium
Mundoque in corde habet
Ad Deum fiduciam.
Nomen Dei audenter
Adnuntiat gentibus,
Quibus lavacris ſalutis
Aeternam dat gratiam,
Pro quorum orat delictis
Ad Deum cotidie,
Pro quibus ut Deo dignas
Immolatque hoſtias.
Omnem pro divina lege
Mundi ſpernit gloriam,
Qui cuncta ad cujus menſam
Aeſtimat quiſquilia,
Nec ingruenti movetur
Mundi hujus fulmine,
Sed in adverſis laetatur,
Cum pro Chriſto patitur.
Paſtor bonus, & fidelis
Gregis Evangelici,
Quem Deus Dei elegit
Cuſtodire populum,
Suamque paſcere plebem
Divinis dogmatibus.
Pro qua ad Chriſti exemplum
Suam tradit animam.
Quem pro meritis Salvator
Provexit Pontificem,
Ut in coeleſti moneret
Clericos militia,
Coeleſtem quibus annonam
Erogat cum veſtibus,
Quod in divinis impletur,
Sacriſque affatibus.
Regis nuntius invitans
Credentes ad nuptias
Qui ornatur veſtimento
Nuptiali indutus,
Qui coeleſte haurit vinum
In vaſis coeleſtibus,
Propinanſque Dei plebem
Spiritale poculum.
Sacrum invenit theſaurum
Sacro in volumine,
Salvatoriſque in carne
Deitatem pervidet,
Quem theſaurum emit ſanctis,
Perfectiſque meritis,
Iſrahel vocatur hujus
Anima videns Deum.
Teſtis Domini fidelis
In lege Catholica
Cujus verba ſunt divinis
Candida oraculis
Ne humanae putent carnes
Aeſſeque a vermibus,
Sed coeleſti alleantur
Sapore ad victimam.
Verus cultor, & inſignis
Agri Evangelici,
Cujus ſemina videntur
Chriſti Evangelia,
Quae divino ſerit ore
In aures prudentium,
Quorum quoque corda, ac mentes
Sancto arat Spiritu.
Chriſtus illum ſibi elegit
In Terris Vicarium,
Qui de gemino captivos
Liberat ſervitio,
Pleroſque de ſervitute
Quos redemit hominum,
Innumeros de Zabuli
Abſolvit dominio.

Hymnos cum Apocalypſi
Pſalmoſque cantat Dei,
Quoſque ad aedificandum
Dei tractat populum,
Quam legem in Trinitate
Sacri credit nominis,
Tribuſque perſonis unam
Docetque ſubſtantiam.
Zona Domini praecinctus
Diebus ac noctibus,
Sine intermiſſione
Deum orat Dominum,
Cujus ingentis laboris
Percepturus praemium
Cum Apoſtolis regnabit
Sanctus ſuper Iſrahel.
Patricius Epiſcopus
Oret pro nobis omnibus,
Ut deleantur protinus
Peccata quae commiſimus.
Patricii laudes
Semper dicamus,
Ut nos cum illo
Semper vivamus.

Hymnum Sancti Comgilli Abbatis noſtri.

RECORDEMUR juſtitiae
Noſtri patroni fulgide
Comgilli Sancti nomine
Refulgentis in opere.
Adjuti Dei flamine
Sancto claroque lumine,
Trinitatis celſiſſimae
Cuncta tenentes regmine,
Quem Deus ad aetherea
Conduxit habitacula,
Ab Angelis cuſtodita,
Permanſura in ſaecula.
Audite pantes ta erga
Allati ad Angelica
Athletae Dei abdita
A juventute florida
Aucta in legis pagina,
Alta Sancti per viſcera
Apta fide juſtitia,
Ad Dei ducta gaudia,
Alti adlata merita
Affatim concordantia,
Ab Angelis.
Bonam vitam, juſtitiam
Benignitatem floridam,
Caritatem firmiſſimam,
Deo primo adhibitam,
Juxta mandatum ſolidam
In regno praeſtantiſſimam,
Proximis ſaepe debitam,
Corde ſereno placitam
Efficiebat cognitam
In futuro fructiferam,
Quem Deus.
Contemptum mundialium
Voluptatum, praeſentium
Vitiorum firmiſſimum
Infirmos devaſtantium
Verborum cogitaminum
Parte laeva verſantium
Continebat per viſcerum
Secreta vigilantium
Ab Angelis.
Doctus in Dei legibus
Divinis dictionibus
Ditatus ſanctis opibus,
Deo ſemper placentibus,
Dedicatus in moribus,
Dei Stephanus agius
Docebat ſic & caeteros
Dicta docta operibus
Quem Deus.

Ele-

Elegit a primordio,
Quod erat in principio,
Aeternum Verbum paterno
Eructatum ſanctiſſimo
Corde verum altiſſimo
Carus eidem lucido
Pignus praeclaro animo
Conſtans opere placido.
Ab Angelis.
Fulgebat alti fulgore
Solis vice in vertice
Rutilantis meridie
Fidei claritudine,
Confirmatus ex viſcere
In Dei ſemper fidere
Confidens ſanctimoniae
Praecipuo munimine.
Quem Deus.
Gaudium Sancti Spiritus
Habebat in viſceribus
Regnum quod eſt ſublimibus
Deo dignum, & fortius.
Gladium quoque Spiritus
Levatum ad nequiſſimus
Quo proſterneret ſuperbos
Tenens Sanctis in manibus.
Ab Angelis.
Humilis, Sanctus, benignus
Probus in Dei legibus
Humanus, juſtus, commodus,
Laudabilis in moribus,
Hilaris vultu, ſobrius,
Caritatis in floribus,
Decoratus ordinibus,
Factus palam mortalibus
In Scripturis eruditus,
Inſpiratus divinitus,
In Sacramentis providus,
Canonicis affatibus
Teſtamenti praefulgidus,
Fervens ſpiritu, placidus,
Deo carus, & piiſſimus.
Ab Angelis.
Kalcavit mundum ſubdolum
Karitatis per ſtudium
Kaſtitatis firmiſſimum
Contempnens omne vitium,
Inſerens agrum floridum,
Pectus adornans lucidum,
Divinum habitaculum
Trino nomine ſancitum.
Quem Deus.
Lampadem ſapientiae
Conſtituit in pectore
In theſauro ſapientiae
Condito Dei munere,
Inflammatus magnopere
Luce verae juſtitiae,
Exaltatus munimine
Legis, Spiritus, Literae.
Ab Angelis.
Magnum adprehendit bradium
Aeterna vita condignum,
Adeptus Sanctum praemium
Poſt laborem firmiſſimum,
Cujus perfectum meritum
Vocamus in auxilium
Ut mereamur omnium
Vitiorum excidium.
Quem Deus.
Notus Sanctorum coetibus
Abbatem in ordinibus
Monachorum militibus
Anachoretarum ſenſibus
Synodum Sanctis plebibus
Immo vir Apoſtolicus
Clarus cunctis in fortibus,
Adauctus in ſublimibus
Ab Angelis.

O petram ſolidiſſimam
In fundamento poſitam,
O contemptorem omnium
Rerum nequam praeſentium,
O ducem Sanctum militum
Domino militantium,
O Tyronem fortiſſimum
Domino totum deditum.
Quem Deus.
Poſitus muri ferrei
Vice in luce populis
Diſſipare, diſperdere,
Cuncta mala deſtruere,
Aedificare, plantare
Bona tota in commune
More Sancti Hieremiae
Conſtituti in culmine.
Ab Angelis.
Quis contempſit praeſentia
Hujus aevi decidua?
Quis aſcendit ad ſuperna
Toto animo gaudia?
Quis volebat in aethera
Carne volare poſita?
Qualiter iſte talia
Adeptus ſancta merita.
Quem Deus.
Rexit ſanctam Eccleſiam
Catholicam per regulam,
Retinens fidem ſolidam
Malam contra nequitiam.
Suam exercens animam
Sanctae legis per paginam,
Cujus exopto gratiam
Mihi adornat animam.
Ab Angelis.
Sapiens ſuos internos
Sanctos elevans oculos
Deducebat ad ſuperos
Capite ſancto intentos,
Parte ſancta in dextera
Collocans ſua viſcera,
Centurionis opera
Habens ſancta per ſtudia.
Quem Deus.
Tulit ſuam memoriam
Ad manſionem ſupernam
Caram Deo, & floridam
Suam exercens animam,
Contempnens terram ſubdolam,
Vanam omnem inſaniam
Domans cum Abraham
Ad terram illam optimam.
Ab Angelis.
Vitam aeternam fulgida
Adeptus eſt ſub corona,
Ubi adſumet praemia
Permanſura in ſaecula
Comitaturus agmina
Angelorum praecipua
Inquirens ſemper talia
Vigilans in Eccleſia.
Quem Deus.
Chriſtum orabat Magiſtrum,
Summum ornans obſequium,
Chriſti gerens officium
Actum per Apoſtolicum.
Hujus ſequens veſtigium
Ducens Deo exercitum
In ſanctum habitaculum
Trinitatis lectiſſimum.
Ab Angelis.
Hymnum Deo cum cantico
Immolabat Altiſſimo,
Diei noctis circulo
Orans ſaepe cum triumpho
Nunc cantavit ſub numero
Canticum novum Domino
Junctus

Junctus choro Angelico
Summo Sanctis in jubilo.
Quem Deus.
Zona cinctus juſtitiae
Caſtitatis eximiae
Mundo opertus ſindone
In ſigno caſtimoniae
Foeminalia lucidae
Habens toto ex viſcere,
Cujus ſancto prò opere
Reddetur mercis condigne.
Quem Deus ad aetherea
Conduxit habitacula
Ab Angelis cuſtodita
Permanſura in ſaecula.

Per merita, & Orationes S. Comgilli Abbatis noſtri omnes nos Domine in tua pace cuſtodi.

Hymnum Sancti Camelaci.

AUDITE bonum exemplum
Benedicti pauperis
Camelaci Cumienſis
Dei juſti famuli.
Exemplum praebet in toto,
Fidelis in opere,
Gratias Deo agens,
Hylaris in omnibus,
Jejunus, & manſuetus;
Kaſtus hic ſervit Deo,
Laetatur in paupertate,
Mitis eſt in omnibus,
Noctibus, atque diebus
Orat Dominum ſuum,
Prudens, juſtus, ac fidelis,
Quem cognati diligunt.
Regem Deum aſpexit,
Salvatoremque ſuum.
Tribuit huic aeternam
Vitam cum fidelibus.
Chriſtus illum inſinuavit
Patriarchae Abrahae.
In Paradiſo regnabit
Cum Sancto Eleazaro.

Collect. ad Secundam.

ESTO nobis protector in iſta die, Domine ſancte Pater omnipotens aeterne Deus, & miſerator, & miſericors, & auxiliator, & dux nobis & inluminator cordium noſtrorum. Cuſtodi Domine cogitationes, ſermones, opera, ut poſſimus placere in conſpectu tuo Domine, & perficere voluntatem tuam, & ambulare in via recta toto noſtrae vitae tempore.

Item alia ad Secundam.

TE oramus altiſſime
Exorto ſolis lumine
Chriſto oriens nomine,
Adeſto nobis Domine
Qui regnas in ſaecula.

Ad Tertiam.

CHRISTI per horam tertiam
Deprecamur clementiam
Uti nobis perpetuam
Suam tribuat gratiam,
Qui regnas.

Digitized by Google

Ad Sextam.

TUIS parce ſupplicibus
Sexta hora orantibus
Qua fuiſti pro omnibus
Chriſte in Cruce poſitus.
Qui regnas.

Ad Nonam.

EXAUDI preces omnium
Nona hora orantium,
In qua Chriſte Cornelium
Viſitaſti per Angelum.
Qui regnas.

Ad Veſperas.

VESPERTINO ſub tempore
Te invocamus Domine,
Noſtris precibus annue,
Noſtris peccatis ignoſce.

In hora dimidii noctis.

NOCTIS tempus exegimus
Chriſte in tuis laudibus,
Miſerearis omnibus
Te ex corde precantibus.
Qui regnas.

Ad Nocturnum.

JESU clementer viſita
Nocte orantes media,
Qua divina potentia
Petri ſolviſti vincula.
Qui regnas.

Ad Matutinum.

DEUS ſubveni omnibus
Te ter ſanctum laudantibus
Unumque confitentibus
Sacris hymnorum cantibus
Qui regnas.

Item ad Matutinum.

GALLORUM Chriſte cantibus
Te deprecor ſonantibus
Petri ob quondam fletibus
Noſtris intende precibus.
Qui regnas.

Item alia ad Matutinum.

DEUS qui pulſis tenebris
Diei lucem tribuis,
Adventum veri luminis
Tuis effunde famulis.

Item ad Secundam.

EXAUDI nos Domine ſupplices tuos, qui in hac hora prima diei referimus tibi gratias Domino Deo noſtro, qui nos redemiſti tuo Sancto Sanguine, ut preces, ac petitiones noſtras vice primitiarum tibi oblatas pie, clementerque ſuſcipias. Qui regnas.

Ad horam Tertiam.

TIBI ſubnexis precibus Chriſto Domino ſupplicamus, qui in hora tertia diei Spiritum Sanctum

ſtum Apoſtolis orantibus emiſiſti, ejuſdem gratiae participationem nobis poſcentibus jubeas concedi. Qui regnas.

Ad horam Sextam.

OMNIPOTENS aeterne Deus, qui nobis magnalia feciſti, ſexta hora ſanctam Crucem aſcendiſti, & tenebras mundi inluminaſti, ſic & corda noſtra inluminare digneris. Qui regnas.

Ad horam Nonam.

NONA agitur diei hora. Ad te Domine directa ſupplicatione, qua cultoribus tuis divina monſtrantur miracula, noſtra quoque eorum imitatione corda inlumina. Qui regnas.

Ad Veſpertinam.

VESPERTINA oratio noſtra aſcendat ad aures divinae majeſtatis tuae, & deſcendat benedictio tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te. Qui regnas.

Ad initium Noctis.

DEUS, qui inextricabiles tenebras inluminas noctium, denſitatem caliginis inluſtras, corda noſtra in opere mandatorum tuorum, te oramus Domine, cuſtodias. Qui regnas.

Ad initium noctis.

EVOLUTIS nunc diei temporibus, nocturniſque ſpatiis ſupervenientibus, Dei miſericordiam deprecemur, ut ſuppleti divinis ſenſibus, tenebrarum operibus renuntiare poſſimus. Qui regnas.

Ad pacem celebrandam.

INJUSTE egimus. Redemiſti nos Domine Deus veritatis in tuo ſancto ſanguine, nunc adjuva nos in omnibus Jeſu Chriſte, qui regnas.

PAX multa diligentibus, pax tua Domine Rex coeleſtis permaneat ſemper in viſceribus noſtris, ut non timeamus a timore nocturno. Qui regnas.

Incipit Symbolum.

CREDO in Deum Patrem omnipotentem inviſibilem, omnium creaturarum viſibilium, & inviſibilium conditorem.

Credo & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum, Deum omnipotentem, conceptum de Spiritu Sancto, natum de Maria Virgine, paſſum ſub Pontio Pylato, qui crucifixus, & ſepultus deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit in coelis, ſeditque ad dex-

teram

teram Dei Patris omnipotentis exinde venturum judicare vivos, ac mortuos.

Credo & in Spiritum Sanctum Deum omnipotentem unam habentem ſubſtantiam cum Patre & Filio. Sanctam eſſe Eccleſiam Catholicam, abremiſſa peccatorum, Sanctorum communionem, carnis reſurrectionem. Credo vitam poſt mortem, & vitam aeternam in gloria Chriſti. Haec omnia credo in Deum. Amen.

Oratio Dominica.

PATER noſter &c.

Ad Nocturnum.

PER horam mediae noctis tunc gaviſi ſunt Angeli de nativitate Domini N. J. C. Ita & nos laetari debemus in tua ſancta pace omnipotens Deus, qui vivis &c.

Ad Matutinum.

TU es Domine inluminator caliginum, conditorque elementorum, remiſſor criminum; miſericordia tua Domine magna eſt ſuper eos, qui te toto corde requirunt. Majeſtas tua Domine mane nos exaudiat, & deleat delicta noſtra, quae tibi non ſunt abdita. Qui regnas &c.

Item ad Matutinum.

TU es ſpes, & ſalus. Tu es vita, & virtus. Tu es adjutor in tribulationibus. Tu es defenſor animarum noſtrarum, Deus Iſrahel in omnibus. Qui regnas &c.

Oratio communis Fratrum.

NE memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Cito anticipent nos miſericordiae tuae, quia pauperes facti ſumus nimis: Adjuva nos Deus ſalutaris noſter propter gloriam nominis tui. Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Ne tradas beſtiis animam confitentem tibi. Animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem. Reſpice in teſtamentum Domine. Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Feſtina Domine liberare nos ex omnibus peccatis noſtris.

Pro Baptizatis.

SALVUM fac populum tuum Domine, & benedic haereditati tuae, & rege eos, & extolle Domine illos uſque in ſaeculum. Miſerere Eccleſiae tuae Catholicae, quam in tuo ſanguine redemiſti. Qui regnas.

Exur-

Digitized by Google

Exurge Domine in requiem tuam. Tu es arca ſanctificationis tuae. Sacerdotes tui induantur juſtitiam, & ſancti tui &c. Qui &c.

Laetentur in te Domine omnes Sancti tui, qui ſperant in te in omni veritate.

Pro Abbate.

DOMINUS conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra. Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus. Dominus cuſtodiat introitum tuum ex hoc nunc, & uſque in ſaeculum.

Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi, ſum umbra alarum tuarum protege nos.

Protegere, & ſanctificare digneris omnibus omnipotens. Qui regnas &c.

Pro Fraternitate.

TU Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos a generatione hac in aeternum.

Exaudi orationes noſtras pro Fratribus noſtris, ut illis Deus miſerearis

Pro pace populorum, & Regum.

DOMINUS virtutem populo ſuo dabit. Dominus benedicet populo ſuo in pace.

Pacem praeſtare digneris omnibus omnipotens Deus. Qui regnas &c.

In Blaſphemantibus.

DOMINE miſericordia tua in ſaeculum, opera manuum tuarum ne deſpicias.

Domine Deus virtutum ne ſtatuas illis hoc in peccatum.

Pro Impiis.

JUDICA illos Deus, decedant a cogitationibus ſuis; uſque irritaverunt te Domine.

Confundantur illi, qui confidunt in ſe, & non nos Domine, qui confidimus in te.

Pro iter facientibus.

O DOMINE ſalvum fac, o Domine bene proſperare. Proſperitatem itineris praeſta famulis tuis. Qui &c.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui confiteantur tibi.

Tibi gratias agunt animae noſtrae pro innumeris beneficiis tuis. Qui regnas &c.

Pro Eleemoſynariis.

DISPERSIT, dedit pauperibus. Juſtitia ejus manet in ſaeculum ſaeculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

Eleemoſynas facientibus in hoc mundo retribue Domine in regno tuo Sancto.

Pro infirmis.

EXCLAMAVERUNT ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberabit eos.

Tribue Domine tuis famulis ſanitatem mentis, & corporis.

Exurge Domine adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

Salvare nos digneris per invocationem Sancti tui nominis. Qui regnas &c.

Deus qui ſanctis Martyribus, & electis tuis coronam Martyrii praeſtitiſti, te oramus Domine, ut eorum meritis obtineamus veniam, qui tantam gloriam non meremur. Qui regnas &c.

Ad te Domine clamabo. Deus meus ne ſileas a me.

Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Adjutor noſter Deus Jacob miſerere nobis Domine. Qui regnas &c.

Ad collectas.

SANCTUS in ſanctis, Agnus immaculatus, glorioſus in Coelis, mirabilis in terris, praeſta nobis Domine ſecundum magnam miſericordiam tuam Deus, quae te petimus, & oramus. Qui regnas.

Ad Martyres.

AETERNUM virtutis tuae nomen omnipotens Deus oramus, uti nos Martyrum, & omnium Sanctorum tuorum meritis ſocios fide pares, devotione ſtrenuos, paſſione conſimiles in reſurrectione felicium facias coaequari. Qui regnas &c.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam &c.

Tribue Domine petentibus te ex fide ſecundum magnam miſericordiam tuam Deus, qui regnas &c.

Ad Nocturnum.

MEDIA nocte clamore facto, ut nos inveniamur parati ſponſo, qui regnas &c.

Ad Matutinum.

DEUS Deus noſter ad te de luce vigilare debemus, & tu excita de gravi ſomno, & libera de ſopore animas noſtras, & in cubilibus noſtris compungamur, ut tui eſſe memores mereamur. Qui regnas &c.

Tu es ſpes & ſalus. Tu es vita, & virtus. Tu es adjutor in tribulationibus. Tu es defenſor animarum noſtrarum Deus Iſrahel in omnibus. Qui regnas &c.

Ad

Ad Matutinum.

O Qui in altis habitas, & humilia reſpicis in coelo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, de profundo cordis te deprecamur, ut firmes manus noſtras ad praelium, & digitos noſtros ad bellum, quo poſſumus in matutino interficere omnes peccatores terrae noſtrae ac nos indefice mereamur & templum ſanctum tuum Chriſte. Qui regnas &c.

Ad Martyres.

DEus, qui Sanctos tuos cum menſura approbas, & ſine menſura glorificas, cujus praecepta finem habent, & praemia terminum non habent, exaudi per illorum merita preces noſtras, & tribue, ut eorum patrocinia adjuvent nos ad Fidei profectum, ad bonorum operum fructum, ad proſperitatis bonum, ad ſalubritatis commodum, ad Religionis cultum, ad divini timoris augmentum per Dominum N. J. C. Filium tuum, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, & gloria futurorum, regnans, & permanens una cum aeterno Spiritu Sancto in ſaecula ſaeculorum.

Collectio poſt Canticum.

DEus, qui exeunti ex Aegypto populo tuo maria diviſiſti, & ſuſpenſis utrinque marginibus in ſpecie muri erigi fluenta juſſiſti, animas quoque noſtras a diluvio peccatorum liberare digneris, ut tranſire vitiorum gurgitem valeamus hoſte contempto, Salvator Mundi, qui cum aeterno Patre vivis, dominaris ac regnas cum Spiritu Sancto in ſaecula ſaeculorum.

Collectio poſt benedictionem puerorum.

EXaudi preces noſtras, omnipotens Deus, & praeſta, ut ſicut in decantato Hymno beata puerorum inſtituta ſectamur, ita tuo munere peccatorum laqueis abſoluti aeterni ignis non ambiamur incendiis, Salvator Mundi, qui cum Patre vivis &c.

Collectio poſt tres Pſalmos.

TE Domine de Coelis laudamus, tibi ut canticum novum cantare meramur. Te Dominum in ſanctis tuis venerabiliter deprecamur, ut omnia noſtra vota ſuſcipias, peccata dimittas Salvator Mundi. Qui regnas &c.

Collectio poſt Evangelium.

EXULTANTES gaudio pro reddita nobis hujus diei luce omnipotenti Deo laudes gratiaſque referamus, ipſius miſericordiam obſecrantes, ut diem Dominicae Reſurrectionis nobis ſolemniter celebrantibus, pacem, & tranquillitatem, laetitiam praeſtare dignetur, ut a vigilia matutina uſque ad noctem clementiae ſuae favore protecti, exultantes laetitia perpetua gaudeamus per Dominum N. J. C. &c.

Super Hymnum.

SANCTE Domine, inluminatio, & ſalus vera credentibus. Reſurrectio Dominicae claritatis, inlumina cor noſtrum, ut Trinitatis ſcientia, & Unitatis cognitione, filii lucis, & membra Chriſti, ac templum Sancti Spiritus eſſe mereamur, qui regnas in ſaecula ſaeculorum.

De Martyribus.

HI ſunt Domine, qui felici cruore perfuſi, dum blandientem mundi hujus inlecebram glorioſa Paſſione deſpiciunt, mortem morte vicerunt, conſiderantesque tenebras hujus lucis certo termino, ac fine ruituras, ſumpſerunt de poena vitam, & de morte victoriam. Rogamus te Chriſte, ut eorum precibus adjuvari mereamur, quorum conſortes eſſe non poſſumus per te Chriſte, qui cum Patre vivis, dominaris, & regnas.

Super Cantemus Domino gloriam.

DEUS, qui cotidie populum tuum jugo Aegyptiae ſervitutis abſolvis, & per fluenta ſpiritalis lavacri in terram repromiſſionis devicto hoſte tranſducis. Da nobis de vitiorum impugnatione victoriam, & devictis tenebris noſtris deducas haereditatem in Sanctuario, quod praeparaverunt manus tuae, Salvator mundi, qui cum aeterno &c.

Super benedictionem trium puerorum.

SANCTE Domine, & glorioſe mirabilium virtutum effector, qui tribus pueris inter ſupplicia conſtitutis adſiſtis, cui factum facile eſt ignium temperare naturam, & vim quodammodo exuſtantium coercere flammarum, ut inter incendia frigida hymnum tibi canentes cum magna victoria exultarent, eamdem nunc Domine ad liberandos, ac protegendos nos dona virtutem Salvator Mundi.

Super

Super Laudate Dominum de Coelis.

QUEM cuncta canite elementa Dominum laudent. Cujus confeſſio ſacra eadem in Coelo, & Terra, & pignora Sion novum tonanti dicite hymnum, facturi judicium nefandiis in fine conſcriptum, perſtrepite diverſis ſpiritales melodiae modis, ut Chriſtum conlaudent ſpiritus per ſaecla omnes, qui cum Patre vivit.

Super Canticum.

DEus, qui impiam Aegyptum dienniis corruptionibus multas, & diviſo mare planum iter populo praeſtas, preces exaudi quaeſumus noſtras, & nos noſtris taliter hoſtibus ſalva Salvator Mundi. Qui regnas &c.

Poſt benedictionem trium puerorum.

DEus, qui pueris fide ferventibus fornacis flammam frigidam facis, & tribus invictis morte devicta quartus adſiſtis, precamur nobis aeſtibus carnis talem virtutem praeſtes aduſtis per te Jeſu Chriſte, qui regnas &c.

Poſt Laudate Dominum de Coelis.

DEus noſter, Deus omnium animarum, te adoramus, ut in hac vigilia ſolempnitatis ad miſſa pervenire praeſtes, quo uſque tenebrae iniquitatis noſtrae convertantur in lumine, ſicut Sol in meridie ſplendeſcit, Salvator Mundi, qui regnas &c.

Poſt Evangelium.

DOMINICAM, noſtrae Reſurrectionis initium, venerantes, Trinitati Deo noſtro debitas laudes, & grates unito referamus affectu, obſecrantes miſericordiam ejus; ut nobis Domini, & Salvatoris noſtri beatae Reſurrectionis participium tam in Spiritu, quam etiam in corpore concedat, qui cum Patre vivit &c.

Poſt Hymnum.

RESPICE Domine ad preces noſtras, qui infirmitates viſitaſti humanas, & tuam nobis ſanctificationem largire, & immortalitatem Chriſte, qui regnas &c.

Item poſt Canticum.

SUMMERSO in mari Pharaone liberatur Iſrahel. Nos quoque per Baptiſmi gratiam, & Crucis triumphum ab omni malo quaeſumus liberari per te Chriſte &c.

Item

Item poſt Benedicite.

DEus, qui tres pueros de fornace eripuiſti, ſic nos eripias de ſuppliciis inferni, qui regnas in ſaecula.

Poſt Laudate Dominum de Coelis.

TE laudamus Domine cum Sanctis tuis, ut preces noſtras ſuſcipere digneris, qui regnas &c.

Poſt Evangelium.

RESURGENTEM in hoc diluculo Dominum deprecamur, ut & nos in vitam aeternam reſurgamus per omnia ſaecula ſaeculorum.

Poſt Hymnum.

RESURRECTIONEM tuam Chriſte veneramur, per quam in aeternum ſalvari mereamur per omnia ſaecula.

Chriſte Deus, qui in ſalutem populi tui Iſrahel adjutor, & protector fuiſti, quem per ſiccum mare ab Aegypto duxiſti, ſalva nos hoc modo ab jugo peccati, Qui regnas in ſaecula.

Poſt Hymnum trium Puerorum.

TE enim omnipotens Deus benedicimus jure, qui tres pueros liberaſti ab igne, nos quoque de ſupplicio mortis aeternae propter miſericordiam tuam eripe, qui regnas &c.

Poſt Laudate Dominum de Coelis.

DEus altiſſime Rex, Angelorum Deus, laus omnium elementorum, Deus gloriae, & exultatio Sanctorum, cuſtodi animas ſervorum tuorum, qui regnas in ſaecula.

Poſt Evangelium.

CANTICIS ſpiritalibus delectatim nos Chriſte conſonantes canimus tibi, quibus tua majeſtas poſſit placari oblata laudis hoſtia ſpiritali, qui tecum vivit &c.

Item poſt Evangelium.

DILUCULO lucis auctore reſurgente exultemus in Domino devicta morte, quo peccata poſſimus ſemper obire, vitaeque ambulemus in novitate, qui tecum vivit &c.

Poſt

Poſt Hymnum.

LUx orta eſt in luce prima, exordio dierum antiquo facta, Unigenitus tuus Domine, qui noſtra abluere venit per Crucem peccata, qui tecum vivit &c.

De Martyribus.

TRIUMPHALIUM memores Martyrum tuorum, qui pro te toleravere vexilla paſſionum, precamur, ut per ſancta merita ipſorum noſtrorum veniam merea mur peccatorum. Qui regnas &c.

Poſt Cantemus.

PLEBS Iſrahel in figuram noſtri liberatur in tranſitu maris. Nos ergo per gratiam Baptiſmi libera tu ab exitiis mundi. Qui regnas &c.

Poſt Benedicite.

UT tres pueros in flamma ſalvaſti deſcenſu in fornacem coeleſtis nuntii, ſic nos per Angelum magni conſilii liberare digneris ab igne Inferni. Qui regnas.

Poſt Laudate Dominum de Coelis.

DEUS, quem exercitus canit coelorum, quemque Eccleſia laudat Sanctorum, quem hymnizat ſpiritus univerſorum, miſerere obſecro omnium noſtrorum, qui regnas &c.

Super Cantemus.

CANTEMUS tibi Domine exercituum Chriſte, orantes, ut quemadmodum exemiſti dilectum populum tuum captivitatis acerrimae jugo, iter demonſtrante eis nubis columpna per diem, eadem ignis quoque per noctem. Finditur ergo mare dextera, laevaque in abruptum; digeſtis aggeribus ſtupens unda ſolidatur; tuus populus navigat plantis. Mira res! iter ejus nec eques poteſt ſequi, nec ratis. Maria tympanum quatit, hymnus iſte canitur, grex peculius tuetur. Ita & nos ab infeſtatione veteris inimici, & ab omni periculo mundi liberare digneris Salvator mundi, qui cum aeterno Patre vivis, dominaris, ac regnas una cum aeterno Spiritu Sancto in ſaecula ſaeculorum.

Super benedictionem trium puerorum.

TRES Hebrei venerabiles numero, Sacramento muniti, aetate teneri, ſed Fidei ſoliditate robuſti, amore divinae religionis Regis adorare imaginem contempſerunt, utpote qui ipſum contempſerant Regem, qui ira ſufflatus ſolito ſepties amplius caminum

num juſſit incendi, ac pice, & ſtuppa armatum citari incendium aeſtuantibus globis. Erubeſcit quoque ipſum alienis ignibus coelum. Illo praecipitantur inſontes, ibidemque te, propter quem praecipitantur, inveniunt Chriſte. Taliter & nos ex Tyranni intellectualis furore, & ab ingenito igni digneris liberare, Salvator mundi, qui cum aeterno Patre vivis &c.

Poſt Laudate Dominum de Coelis.

LAUDENT te Domine Angeli, Virtutes, Sydera, Poteſtates, & quae ortum ſuum tibi debent officio tuae laudationis exultent, ut per univerſitatis armoniam tibimet concinnentem fiat, ut in Coelo, ita & in terra voluntas tua. Sit tibi precamur Domine beneplacitum in populo tuo, ut per exaltationes tuas in ejus faucibus collocatas, maneat in ſingulis & verbi tui armatura, qua doceas, & vitae noſtrae veritas, qua ſemper adſpicias, & ſalus, qua manſuetos exaltes, quia ſecundum multitudinem magnitudinis tuae te laudamus Domine gratia laudationis oſtenſae immolatione per Pſalterium, mortificatione per tympanum, congregatione per chorum, exultatione per organum, jubilatione per cymbalum, ut ſemper miſericordiam tuam habere mereamur Chriſte Salvator mundi, qui cum aeterno Patre vivis &c.

Super Cantemus Domino.

DOMINE, qui Cinchrim fugientes tueris bis ſenas per inviſa tribus aemulum itinera, prius fluctibus in binis montium utrimque redactis celſorum, ceu jugis abrupte arentibus talis aequore murum quaſi & de petra lymphas producens; mergatur ergo ut olim piorum ſupplicium hoſtis aeterni quaeſumus ſtatores currum, quod eſt cujus affatus, actuſque cum cogitatu celeri nequam ſit Pharaoni Rex Iſrahelem verum, quae unda ſalvat, ut Chriſto carmina canat, per ſaecla, qui cum Patre vivit.

Verſiculi familiae Benchuir.

BENCHUIR bona regula,
  Recta, atque divina;
  Stricta, ſancta, ſedula,
  Summa juſta, ac mira.
Munther Benchuir beata
  Fide fundata certa,
  Spe ſalutis ornata,
  Caritate perfecta.
Navis numquam turbata,
  Quamvis fluctibus tonſa,
  Nuptiis quaque parata
  Regi Domino ſponſa.
Domus deliciis plena
  Super petram conſtructa,
  Nec non vinea vera
  Ex Aegypto tranſducta.
Certe civitas firma,
  Fortis, atque munita,

Glo-

Glorioſa, ac digna,
Supra montem poſita.
Arca Cherubin tecta
Omni parte aurata,
Sacroſanctis referta
Viris quatuor portata.
Chriſto Regina apta
Solis luce amicta,
Simplex, ſimulque docta,
Undecumque invicta.
Vere regalis aula,
Variis gemmis ornata,
Gregiſque Chriſti caula,
Patre ſummo ſervata.
Virgo valde foecunda,
Haec & Mater intacta,
Laeta, ac tremebunda,
Verbo Dei ſubacta.
Cui vita beata
Cum perfectis futura,
Deo Patre parata,
Sine fide menſura.
Benchuir bona regula.

Collectio ſuper hominem, qui habet Diabolum.

DOMINE ſancte Pater omnipotens aeterne Deus expelle Diabolum, & gentilitatem ab homine iſto de capite, de capillis, de cerebro &c.

Oratio de Martyribus.

DEUS, qui Martyribus tuis largitus es regnum, nobis autem peccatoribus veniam praeſtare digneris. Hi coronam ſuam paſſione per Fidem meruerunt; nos vero pro iniquitatibus, & praevaricationibus noſtris remiſſionem a te, & miſericordiam poſtulamus per te Jeſu Chriſte.

Incipit Antiphona in Natale Domini ſuper: Domine refugium ad Secundam.

AB hodierno die nox minuitur, dies creſcit, concutiuntur tenebrae, lumen augetur, & in lucro lucis nocturnae diſpendia transferentur.

Incipiunt Antiphonae ſuper Cantemus, & Benedicite.

EDUCTI ex Aegypto Patres noſtri & pertranſierunt, pedibus rubrum mare, dixeruntque laudem Domino noſtro.

Tres pueri in camino miſſi ſunt, & non timuerunt flammam ignis, dixeruntque laudem Domino noſtro.

Filii Hebraeorum penetraverunt, Iſrahelitae plebes tranſierunt per ſiccum mare, laudemque dixerunt.

Tres pueri te orabant de medio ignis, ad te clamabant ex una voce, hymnumque dicebant.

Glorioſus in Sanctis, mirabilis in majeſtatibus, faciens prodigia.

Benedicamus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dominum.

Dextram, laevamque Moyſes aſpexit viam regalem, * polum eduxit, ad littus maris uſque perduxit.

* fort. populum.

Fornacis flammas pueri contempſerunt, Chriſto jugiter immolaverunt, viam iniquam dereliquerunt.

Super Laudate Dominum de Coelis.

DE coelis Dominum laudate, pſalterium jocundum immolate, laudate eum in ſono tubae.

Pharao demerſus eſt in Rubrum mare. Moyſes pertranſit in ſicco pede maria, dixit Deo cantate.

De Martyribus.

POst ignes & laminas, cruces, atque beſtias Sancti cum magno triumpho vehuntur in regno, & in refrigerio.

In invocatione Sanctorum Martyrum miſerere Deus ſupplicum tuorum.

Super: Domine refugium in Dominicorum die.

COnvertere Domine uſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.

Item alia.

REspice in ſervos tuos, & in opera tua Domine.

Item alia.

REpleti ſumus mane miſericordia tua.

Alia cotidiana.

SIt ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos.

Ad communicare.

COrpus Domini accepimus, & Sanguine ejus potati ſumus, ab omni malo non timebimus, quia Dominus nobiſcum eſt.

Item alia.

IN labiis meis meditabor hymnum Alleluja; cum docueris me, ego juſtitias reſpondebo. Alleluja.

Item alia.

GUstate, & videte Alleluja, quam ſuavis eſt Dominus, Alleluja.

Alia.

HOc ſacrum corpus Domini, & Salvatoris ſanguinem ſumite vobis in vitam perennem. Alleluja.

Item

Item alia.

QUAM dulcia faucibus meis eloquia tua Domine.

Item alia.

HIc eſt panis vivus, qui de Coelo deſcendit. Alleluja. Qui manducat ex eo, vivet in aeternum. Alleluja.

Item alia.

REFECTI Chriſti Corpore, & Sanguine tibi ſemper Domine dicamus. Alleluja.

Ad Veſperum, & ad Matutinam.

GLORIA in Excelſis Deo, & in terra pax &c.

Memoria Abbatum noſtrorum.

SANCTA Sanctorum opera
Patrum, Fratres, fortiſſima
Benchorenſi in optima
Fundatorum Eccleſia,
Abbatum eminentia
Numerum, tempora, nomina
Sine fine fulgentia,
Audite magna merita,
Quos convocavit Dominus
Coelorum Regni ſedibus.
Amavit Chriſtus Comgillum
Bene & ipſe Dominum,
Carum habuit Beognoum,
Domnum ornavit Aedeum,
Elegit Sanctum Simlanum
Famoſum mundi Magiſtrum,
Quos convocavit Dominus
Coelorum Regni ſedibus.
Gratum fecit Fintenanum,
Heredem, almum, inclytum,
Illuſtravit Machlaiſreum,
Kaput Abbatum omnium,
Lampade ſacra Seganum
Magnum Scripturae medicum.
Quos &c.
Notus vir erat Beracnus,
Ornatus & Cumnenus,
Paſtor Columba congruus,
Querela abſque Aidanus,
Rector bonus Bautherius,
Summus Antiſtes Cronanus.
Quos &c.
Tantis ſucceſſit Camanus
Vir admirabilis omnibus.
Chriſto nunc ſedet ſupremus
Hymnos canens quindecimus;
Zoen ut carpat Cronanus,
Conſervet eum Dominus.
Quos convocabit Dominus
Coelorum Regni ſedibus.
Horum Sanctorum merita
Abbatum fideliſſima
Erga Comgillum congrua
Invocamus altiſſima,
Uti poſſimus omnia
Noſtra delere crimina
Per Jeſum Chriſtum aeterna
Regnantem in ſaecula.

DE CORONA FERREA
COMMENTARIUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE CORONA FERREA

QUA ROMANORUM IMPERATORES IN INSUBRIBUS CORONARI SOLENT

COMMENTARIUS.

ERUDITISSIMO AC HUMANISSIMO VIRO

NICOLAO RUBINO

METROPOLITANAE BASILICAE CANONICO ORDIN. AC THEOLOGO.

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS

S. P. D.

SAepe tecum, Rubine Vir Sapientissime, quae ſint ſtudiorum meorum inſtituta, communicare ſoleo, & aliquam de rebus eruditis ſubinde quaeſtionem iniicere, non ut diem tantum honeſta conſuetudine occupemus, verum etiam ut communione doctrinarum minorem ignorantiam poſtremis vitae annis paremus. Quo quidem ex commercio quam doctior quotidie diſcedam, quantumque utilitatis inde mihi obveniat, ſi velim profiteri, non tam ingenui, quam grati hominis officio perfungar. Enimvero ita Eccleſiaſticis ſtudiis, hujuſque praeſertim ampliſſimae Urbis Hiſtoriae animum addixiſti, ut nil

ut nil jam tuis objiciatur oculis novum, & quod ante memoriae tuae non commendaveris. Quem igitur ego potius in inſcitiae meae ſubſidium, quam te, deligam conſiliorum meorum in literis excolendis, ut ita dicam, auctorem? Memineris porro, quoties nos exercuerit celebris de Corona ferrea quaeſtio, quum videlicet ejus originem, uſumque inveſtigaremus, & an eadem rebus ſacris accenſenda foret, inquireremus. His accedebat intelligendi ſtudium, a quo, & ubi ejuſdem Coronae collatio olim perageretur, hinc Mediolanenſi, illinc vero Modoëtienſi populo tantam ſibi gloriam vendicante. Occurrebant etiam, quibus Imperatorum coronatio in Inſubribus novitatem ſapere videbatur, eamque in ſententiam pendere clariſſimi nominis virum Onuphrium Panvinium moleſte ferebam. Quin coronandi in Oppido Modoëtienſi Caeſares non tantum novam, ſed & abſurdam conſuetudinem Blondus appellabat, ita ſcribens in Regione VII. Lombardia: *Modoëtia nobiliſſimum totius Lombardiae Oppidum, in quo ſervat abſurda conſuetudo a trecentis annis introducta Caeſares Germanos Corona ferrea in Romanos Reges, Imperatoreſque inſigniri*. Quae quidem opinio quum inſignis Oppidi gloriae non leviter officiat, refellenda videbatur. Ea propter oblata mihi ſcribendi cauſſa ex Henrici VII. vita, quem Mediolani duntaxat, & non Modoëtiae, teſte Cermenatenſi, Italico diademate cinctum vidimus, quid mea ferat opinio, in praeſentia prodere volo. Te vero non fugit, heic potiſſimum diſputari poſſe de praeſtantia Mediolanenſis Antiſtitis, cujus olim erat, prout nunc etiam eſt, Italiae Reges inungere, imo, ſi nonnullis Scriptoribus fidem habemus, eos quoque ad Regnum eligere. Et hoc profecto glorioſum eſt noſtri Metropolitae decus, quanquam noſtris temporibus tantum ab ejus uſu Italia abſit, quantum a veterum incolarum gloria. Mutata nimium eſt rerum facies, atque inteſtinis externiſque odiis concuſſa eſt Provincia, olim orbis terrarum Domina, ut ſi cum antiqua Romanorum virtute, ac potentia nunc componeretur, ſe ipſam vix agnoſcere poſſet. Neque tamen iccirco ea nobis ſunt vota, ut veteris Regni ambitionem velimus, quum optimorum ſummeque piorum Principum imperio nunc pareamus, quibus nihil antiquius eſt quam pace, & clementia ſubjectos populos moderari. Nobis ſane magis conducit ſub optimis Principibus parere, quam cum peſſimis imperare. Itaque veteribus monimentis inſiſtamus oportet, ut in Mediolanenſis Archiepiſcopi jure inquirendo, ferreaeque Coronae uſu explicando tutiores progrediamur. Interea ſi quid minus caute, ſi quid imperite ediſſeram,

ram, humanitate tua ſupplendum, atque emendandum ſpero, ut animus mihi alia impoſterum pro tantae Urbis dignitate molienti addatur.

CAPUT PRIMUM.

Coronarum origo, & uſus apud antiquos. Corona a diademate diverſa. Tres Coronae recentioribus Romanorum Imperatoribus uſurpatae. Ferrea deſcribitur.

CORONARUM uſus non apud Graecos Romanoſque tantum, ſed apud ipſos Reges barbaros antiquiſſimis temporibus, longeque ante Romanae Reipublicae ortum invaluit. Aliae e floribus, aliae e frondibus, aliae demum ex metallo conſtabant pro varia Sacrorum, regionumque conſuetudine, pro diverſa utentium ratione. Majeſtatem vero Regnantium aurea Corona plerumque diſtinguebat, etſi olim vel ipſis militibus e praelio cum victoria reverſis exhiberi ſoleret. Deinde veluti peculiare Principum ornamentum uſurpata fuit, noſtraque tempeſtate nemini, praeterquam Regibus, magniſque Principibus, aureo diademate uti fas eſt. Hic autem praecipuus aurearum Coronarum ſplendor priſcis quoque Imperatoribus adhibebatur, quanquam Julio Caeſari, ejuſque ſucceſſoribus regalem in Urbe ſpeciem praeferre, aut periculum foret, aut iis abſtinere ſervientis Reipublicae ſolamen videretur. Sunt qui male intellectis Scriptorum locis ducti arbitrentur, ſub Aureliano duntaxat aureas Coronas a Romanis Imperatoribus uſurpari coepiſſe. Sed ii nequaquam vetera numiſmata animadverterunt, in quibus quamplures ante Aurelianum Caeſares cum radiata corona conſpicui viſuntur. Ex his nonnulla inſpexi ego tum in Cimeliis Bibliotechae noſtrae, tum etiam apud Patinum, alioſque eruditos. Cernuntur ibidem DIVUS AUGUSTUS, NERO CLAUDIUS, IMP. CAES. NER. TRAJANUS, tum Pertinax, Julianus, Alexander Severus, Balbinus, Philippi ambo, Trajanus Decius, Herennius Etruſcus, Hoſtilianus, Aemilianus, Valerianus &c. ſinguli radiatis coronis redimiti. Quamobrem ea mihi ſtat ſententia, coronis aureis Romanos Monarchas uſos fuiſſe, ſoliuſque diadematis gemmati uſum iis diſplicuiſſe quod inſigne potiſſimum Regni id foret.

Caligulam propterea, ac Domitianum legimus coronam auream in publicis ludis geſtaſſe, *quumque parum abfuiſſet, ut Caligula diadema ſumeret, admonitus eſt, Principum, & Regum ſe exceſſiſſe faſtigium*, uti Suetonius in ejus Vita Cap. XXII. narrat. Ad Aurelianum Caeſarem uſque hujuſmodi in Romanis Principibus modeſtia obtinuit. Primus hic omnium, ſi Aurelio Victori credimus, jam fatiſcente Imperio, & ad Regni formam delapſo, *Diadema capiti innexuit, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur*. Reliquis ſubinde Imperatoribus cum aureae coronae, tum diademata in uſu fuere. Mutato dein Imperii ſtatu, & a Graecis Auguſtis ad Francos, atque ad Germanos jure Imperii Romani translato, non una ſolum corona redimiri coeperunt Imperatores, ac Reges, ſed duabus, tribuſve, prout latiora, aut breviora erant dominationis confinia. Tribus vero coronis ſupra ceteras fama acceſſit, nempe aureae, argenteae, ac ferreae, quibus deteriorum temporum Caeſares ornari conſuevere. Argenteam accipiebant ii, quum Aquiſgrani ad Germanicum Regnum inaugurabantur; ferream, quum Langobardorum Regnum obtinebant; demum auream quum Romanorum Imperatores appellabantur. A vero plane abhorret Auctor Gloſſae in c. Romani. Clementina de jurejur. haec ſcribens: *Scire debes* (*prout habetur etiam in Pontificali*) *quod Rex Romanorum coronatur triplici corona. Prima eſt ferrea, quam recipit ab Archiepiſcopo Colonienſi in Aquiſgrano ejuſdem Dioeceſis. Secunda eſt argentea, quam ingreſſus in Italiam recipit a Mediolanenſi Archiepiſcopo in villa Modicenſi ejuſdem Dioeceſis. Tertia eſt de puro auro, qua coronatur per Papam in Eccleſia S. Petri ad Altare S. Mauritii*. Utique corona argentea ab Archiepiſcopo Colonienſi in Germania, corona vero ferrea ab Archiepiſcopo Mediolanenſi in Inſubribus tribuebatur, & mos ille perpetuo retentus. Miror idcirco, Donatum Boſſium, cui alios conſentientes invenio, Civem Mediolanenſem hoc ignorare potuiſſe, quum in Chronico ad Ann. *766*. Gloſſae verba tanquam veriſſima deſcribit, argenteaque corona Italicos Reges Mediolani inſigniri ſolitos eſſe tradit. Quid haec metallorum differentia in his coronis efformandis portendat, ſedulo Juris periti, nonnullique alii Scriptores quaerunt, & praeſertim Baldus inter Legulejos vir celeberrimus hac de re opuſculum edidit, in quo myſticam metallorum ſignificationem interpretatur. Ferro ajunt fortitudinem deſignari, qua populos rebellantes, atque a fide deſciſcentes profligare Imperator debet; argento claritatem, quae potiſſimum Principem decet, auro vero, quod omnibus

bus

bus metallis excellentius eſt, Caeſarem reliquis Regibus excellentiorem ſignificari. At hujuſmodi interpretationes ſale plerumque carent, neque in iis examinandis operam inſumere vacat. Aeneas Silvius, cui poſtea Romanum Pontificatum adepto Pii II. nomen fuit, de coronis iſtis quaedam habet in Lib. IV. Hiſtoriae Auſtrialis, quae non ita pridem publica luce frui coepit. Ita vero ſermonem ille ſuum exorditur: *Libet heic pauca de coronis dicere, ne ſtulte videamur eorum opinioni conſentire, qui tres coronas Imperatori neceſſarias ajunt, Teutonicam, Mediolanenſem, & Romanam, & unam argenteam, alteram ferream, tertiam auream eſſe ſermocinantur. Inter quos etiam Legum Interpretes delirant, quid ferrum, quid argentum, quidve ſignificet aurum, plurimis verbis explicare laborantes, atque ut aurum ceteris metallis, ſic Romanorum Imperium ceteris Regnis praeſtabilius eſſe confirmant. Verum cujuſque materiae corona fuerit, ad parabolizandum idonea videri poterit.* Utcumque ſe res habeat, errare illos video, qui revera ex hiſce diverſis metallis coronas conſtare arbitrantur; omnes enim puriſſimo ex auro conflatae ſunt, coronaeque tantum in Inſubribus adhibitae additus eſt circulus ferreus, in interiore parte intextus. Hieronymus Balbus in libello de Coronat. ad Carolum V. haec habet: *At in Germania perinde ut Romae corona aurea Imperatorem inſigniri, illa ſcilicet, qua Carolus Magnus primo uſus eſt, ipſe ego certiſſimus ſum teſtis, quia nono ab hinc anno tuae coronationi Carole V. non ſolum interfui, ſed cum per id tempus apud te Ludovici Pannoniae, Bohemiaeque Regis Oratorem agerem, ad quem jus eligendi ſpectabat, etiam praefui.* Antiquior autem Hieronymo Balbo Aeneas Silvius in laudato libro quarto Hiſtoriae Auſtrialis hujus rei fidem facit his verbis: *Has autem coronas omnes aureas eſſe compertum habeo, quamvis per medium circulum coronae Mediolanenſis lamina quaedam parvula ex ferro ducatur, quae ſtultae interpretationi efficit locum; quippe Daniel Propheta quatuor orbis Regna majora deſcribens ultimum, quod noſtri Romanum eſſe volunt, ferro comparavit, quoniam ſicut ferrum omnia metalla comminuit, ſic omnia Regna Romanum Imperium detrivit.* Et profecto coronam Germanicam nunquam ex argento fuiſſe conflatam, veri videtur ſimilius, quippe temporibus etiam Witichindi vetuſtiſſimi Hiſtorici aurea in uſu erat, prout ipſe Lib. II. Hiſtor. teſtatur. Alias quoque coronas ab Imperatoribus uſurpatas ſcribunt, qui eorum res memoriae commendarunt, cujuſmodi Arelatenſis fuit, ac Ratiſponenſis. De prima ita ibidem loquitur Aeneas Silvius: *Similem modum de Regno Burgundo-*

Digitized by Google

gundorum obſervavit antiquitas, quod Boſonem Romanis Imperatoribus legimus tradidiſſe, cujus corona in Arelate ſuſcipitur. Alteram Friderico Primo Imperatori una cum Germanici Regni jure collatam ſcribit Anonymus ille, qui Romano Pontificali, ſeu Caerimoniali rubricas addidit. At quamvis ex auctoritate Othonis Friſingenſis Hiſtorici celebris id ille affirmet, ſententiam tamen hanc multimodis nutare cenſeo. Etenim nunquam Ratiſponae ad Regnum Germanicum Caeſares inaugurari conſuevere, ſed Aquiſgrani, ut Caroli Magni exemplum imitarentur, ipſeque Fridericus ad Othonem Friſingenſem patruum ſuum haec de ſe ſcribit: *Poſt primam unctionem Aquiſgrani, & acceptam coronam Teutonici Regni, generalem Curiam Merſeburg in Pentecoſte celebravimus.* Deinde nuſquam apud Othonem ipſum Ratiſponenſis coronae mentionem inveni. His viſis ut rem noſtram propius attingamus, Coronam ferream, qua Imperatores in Langobardici Regni jura immittebantur, deſcribendam reor. Eſt autem circulus aureus perquam latus, & gemmulis non levis pretii exteriori parte circumornatus. Introrſus lamina ferrea inſerta eſt, & non *in ſummitate*, ut Pontificalis Romani Scholiaſtes ſcribit. Nullae heic pinnae, aut radii, queis ceterorum Regum coronae diſtingui ſolent, & queis regnantium capita Solis inſtar majeſtatem, ſplendoremque effundere videntur. Ceterum Modoëtiae noſtris temporibus hujuſmodi inſigne ſervatur, de cujus Oppidi praeſtantia, ac praerogativis ſermo inferius recurret.

CAPUT SECUNDUM.

Coronae ferreae origo quaeritur. Quidam a Theodelinda inſtitutam arbitrantur. Alii antiquiorem, aut recentiorem eſſe tradunt.

IN tradenda ferreae Coronae origine multa nobis occurrunt impedimenta, quaeſtionemque invadimus impeditiſſimam ſane, multiſque hinc inde difficultatibus circumſeptam, quippe Auctores aut partium ſtudio abrepti, aut conjecturis nimium indulgentes illam ad arbitrium ſuum decernere maluerunt, quam incertam relinquere. Antiquorum hac de re ſilentium nihil minus praeſtitit, quam ſcribentium ingenia terrere, quin cauſſa fuit, ut eo fidentius opiniones ſuas expromerent, quo minus timoris ſuberat, ne

prodita

prodita vetuſtate tabularum convincerentur. Ego tamen tantam veritatis rationem habendam arbitror, ut me fateri non pudeat ea neſcire, quorum ſcientiam certo obtinere non licet. Bartholomaeus Zucchius Scriptor Modoëtienſis, vir non obſcuri nominis, Reginae Theodelindae, ferreaeque Coronae Hiſtoriam Anno 1613. evulgavit. Uterque libellus Italica lingua conſcriptus eſt: utrumque ego identidem conſulam; Theodelindae enim vitam a P. Alexio Ledeſma jampridem deſcriptam erunt qui Romanenſibus fabulis quam Hiſtoriae propiorem arbitrentur. Zucchius itaque Cap. X. Hiſt. Theod. a Gregorio Magno ferrei diadematis in Italia uſum arceſſit, cujus rei *gravem*, ut is ait, *auctorem* teſtem habemus ita ſcribentem: *S. Gregorius Pontifex Theodelindam Corona ferrea donavit*. In Proemio vero ad Hiſtoriam de Corona ferrea quis hic *Auctor gravis* fuerit, apertius prodit, Carolumque Sigonium magni nominis virum appellat, a quo laudata ſententia emanavit. Verum qua fide heic Zucchius egerit, quave diligentia in Sigonio legendo fuerit uſus, neſcio; etenim id nuſquam Sigonius ſcripſit, imo Coronam ferream ab ipſa Regina Theodelinda inſtitutam prodidit, Mediolanenſium Scriptorum auctoritate fretus. Sunt ejus verba Lib. I. de Regno Italiae Anno 591. *Scriptores Mediolanenſes patrios ſequuti Annales aſſerunt, coronam Agilulfo impoſitam fuiſſe, a Theodelinda Regina inſtitutam, auream illam quidem, verum circulo ferreo interiore intextam, unde poſt ferreae nomen Italico Longobardorum in Regno enituit*. Hujuſmodi verba Zucchius quoque produxit Cap. I. de Cor. ferr. Sed quoniam iis opinionem ſuam aliqua ex parte infirmari ſentiebat, ideo quaedam praetermiſit, & *a Theodelinda Regina inſtitutam* fuiſſe coronam diſſimulans, vocem *primo* Sigonianae ſententiae adjecit. Porro quum Sigonius Auctor diligentiſſimus, neque incertis opinionibus niti ſolitus ſuam hac de re ſententiam expromere noluerit, Scriptoribuſque tantum Mediolanenſibus facti fidem reliquerit, quid iſti de Coronae ferreae inſtitutione ſenſerint, videamus. Et primo Georgius Merula Lib. II. Antiq. Vicecom. haec de Henrico I. Imperatore Sancto ſcribit: *Quidam ſunt Auctores, ab hoc Henrico coeptam conſuetudinem ferreae Coronae, quam Mediolani is demum accepit, qui in Germania Caeſar deſignatus ſit. Alii primum Othoni hujuſmodi ornamenta data ferunt. Sunt qui a Carolo factum repetant. Ego cum incerta tradantur, nec ſatis firmum originis auctorem habeam, quando res coeperit, minime affirmare auſim*. Addit tamen egregius Auctor, ſibi veriſimillimum videri, Coronae hujus origi-

originem poſt Caroli Magni tempora coepiſſe, ut extraneis Regibus in Italicum Regnum advenientibus, Regaliſque dignitatis inſignia ſuſcipientibus, Italia parêre magis quam ſervire videretur. Bernardinus vero Corius, cui Mediolanenſem Hiſtoriam Italico rudique ſermone conſcriptam debemus, Merulam fere totum exſcripſit. Sed quum aliis addendis temperare ſibi noluerit, aniles, putidaſque protulit fabulas, in quibus judicium deſideres. E *Graphia aureae Urbis*, vetuſto nempe libro, cujus exemplaria amiſimus, refert Corius, primo Corona ferrea inſignitum fuiſſe Julium Caeſarem, tum Auguſtum, ac Trajanum, quod ferro totum terrarum orbem ſceptro ſuo ſubjeciſſent. Diocletianum poſtea, ac Maximianum pro Romani Imperii dignitate aurea corona uti coepiſſe, ſimulque ſtatuiſſe, ut aurea deinceps Romae, ferrea vero Mediolani conferretur. Donatus Boſſius Mediolanenſis, ſeculi & ipſe decimiquinti Scriptor, antequam Italiam Langobardi invaderent, a Lamberto quodam (videlicet Theodeberto Rege Francorum) Tyranno Coronam ferream, *qua honoris gratia Imperatores Mediolani coronabantur*, *Papiam translatam fuiſſe* tradit. Gaſpar quoque Bugatus, Sigonio antiquior, Coronae ferreae primordia ad Maximianum uſque Herculeum Imperatorem retulit, Regeſque non tantum Langobardos, ſed Gothos quoque illa inſignitos affirmavit. Si itaque liceret, Sigonium libenter interrogarem, quorumnam Scriptorum Mediolanenſium teſtimonio fuerit uſus, ut Coronam ferream *a Theodelinda inſtitutam* ſcriberet. Neminem ego inveni, apud quem ſtet rei tantae fides, unumque habeo Triſtanum Chalcum, nobiliſſimum Hiſtoricum, & quidem vetuſtum, ſed ſeculo duntaxat noſtro publica luce donatum, qui Lib. IV. Hiſt. Patr. ſic loquitur: *Agilulfus coronam Mediolani, & reliqua Regum inſignia, Flaviumque praenomen accepit. Et hinc fortaſſe conſuetudo inolevit, ut is demum legitime in Langobardos regnare credatur, cui Theudelindae Diadema imponatur*. Haec Triſtanus dubitantis ſpecie, quae Sigonius videre non potuit. Alciatus vero celeberrimus Auctor in Lib. de form. Rom. Imp. Coronam ferream ex inſtituto Pipini accipi ſolitam ſcribit. Et hactenus intra vulgatos Auctores orationem continui; nunc quid hac de re ferant nondum editi, inſpiciamus. Circiter Annum Ch. 1330. ut alibi me animadvertere memini, ad ſcribendas Hiſtorias totum ſe contulerat Gualvaneus Flamma, praeclariſſimi Ordinis Praedicatorum alumnus, Civiſque Mediolanenſis. Ejus lucubrationes MS. in Ambroſiana ſervamus, magnique facimus, quod ſingularia Urbis hujus monumenta complectantur.

tur. Verum quum difficillimis Italiae temporibus, & grandi literarum nocte damnatis, dederit ille operam hujuſmodi ſtudiis, nil mirum, ſi fabulis foediſque erroribus quandoque ſcateat, interque multum tritici non parum lolii domino etiam nolente irrepſerit. Ego ejus fidem ſequi non dubitavi in iis, quae non nimis longe ab ejus aetate remota narrantur; ceterum ubi antiquiſſima refert, neque probatiſſimis Hiſtoriis innititur, auctoritatem non ſatis firmam ab ipſo expectes. Quam in ſententiam mecum, ut arbitror, ibunt quicumque & ſequiorum ſeculorum infelicitatem, & noſtrae aetatis accuratiſſimam κριτικὴν noſcunt. Igitur Gualvaneus Cap. CCCXXVIII. Chronici Majoris haec habet: *Maximianus poſtquam imperaverat annis XX. in Civitate Mediolani Imperio renuncians, illud Maxentio filio ſuo delegavit. Et coronam ferream, ſive faſciam, qua ſemper uſus fuerat, Mediolani dereliquit ſtatuens, ut quicumque in hac Civitate per Cives de Mediolano coronaretur, ipſo facto eſſet totius Italiae Rex, & omnes ei tenerentur obedire. Unde in libro Extractionum habetur, quod Maximianus, ejuſque praedeceſſores uſque ad iſta tempora uſi ſunt corona ferrea. Cum autem introductus fuit uſus aurei Diadematis, ſtatuit Imperator Maximianus, ut in Mediolano Reges coronarentur ferrea corona. Haec ex dictis Sicardi, Athlantis, & Ptholomei*. Sed cujus ponderis hujuſmodi opinio ſit, nullo negotio intelligent eruditi. Quis enim unquam ſomniavit, a Maximiano Imperatore ſub finem ſeculi a Chriſto nato tertii Coronam ferream fuiſſe uſurpatam? Tunc ſane aut aureis coronis, aut diademate unionibus ſparſo, aut lauru utebantur Auguſti. Nullus praeterea Imperatorum ante Caroli Magni tempora Italicum Regnum in Inſubribus inivit, quum aut Romae, aut Conſtantinopoli jus eſſet conſtituendi Caeſares, atque Italiam illis ſubiiciendi. Ex his autem Gualvanei verbis nugas quoque ſuas, ni fallor, partim mutuatus eſt Corius ſupra memoratus. Quum igitur Scriptores hactenus recenſiti in aſſignanda Coronae ferreae inſtitutione non modo inter ſe diſſideant, verum ne ullam quidem adferant opinionem certam, dignamque prudentum fide, firmioribus fundamentis fulcienda res eſt, ut propius ad veritatem, aut ſaltem ad veri ſimilitudinem accedamus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

Reges Langobardos Coronam non uſurpaſſe, probabile eſt. Contraria ſententia magis arridet. Ferrea tamen Corona non adinventa illorum temporibus.

ET quoniam Langobardici Regni Corona haec audit, primumque Agilulfo impoſita dicitur, poſcit muneris mei ratio, ut ſedulo, ac pro virili parte quaeſtionem hanc perpendam. Quod ſi vel ipſos Modoëtienſes Hiſtoricos conſulere heic placet, Agilulfum haud primum omnium corona donatum fuiſſe intelligemus. Bonincontrus Morigia *Chronicon Modoëtiae* (ita enim inſcribitur) circiter Ann. Chriſti 1345. elucubratus eſt. Unicum ejus libri MS. exemplar ad noſtra uſque tempora ſervatum in Ambroſianae Bibliothecae pluteis extat. Is igitur Auctor Lib. I. Cap. IX. poſtquam Alboino primo Langobardorum Regi ſucceſſorem Clephum fuiſſe dixit: *Hic primus*, addit, *& ultimus eſt, qui in Papia coronatur*. Infra inquit: *Authari Cleph Regis praedicti filius, Lombardiae Rex tertius Anno Domini DLXXXV. regnavit Annis VI. Hic in ſua coronatione dictus eſt Flavius Rex Autharis, quo cognomine poſtea Reges Lombardiae uſi ſunt*. Poſt Autharis mortem Agilulfus in maritum a Theodelinda ſpectatae prudentiae foemina cooptatus regnavit; quare ex ipſorum etiam Modoëtienſium ſententia non is omnium primus corona redimitus fuit. Supra autem vidimus, quid de ferrei diadematis uſu Gualvaneus Flamma ſenſerit; illud enim vel ante Conſtantini Magni imperium uſurpatum tradit. Praeterea in Hiſtoria ſua Cap. CCCCLXIX. Theodeberti, ſeu ut corrupte alibi appellatur, Lamberti Francorum Regis irruptionem in Italiam circiter Annum Chriſti 540. memorat: *Hic Rex*, ut is ſcribit, *Ticini Theudoricum fratrem ſuum in Regem Italiae coronavit Corona ferrea*. Theodericus vero Ticinenſium proditione territus Mediolanum ſe recepit, illique Urbi *honorem coronae ſublatum reſtituit*. Quae quidem omnia an revera contingere potuerint, nunc examinare non vacat. Poſt haec Langobardos Reges enumerat Gualvaneus, ſinguliſque ferream coronam impoſitam fuiſſe ſcribit. Hunc Auctorem plerique rerum Mediolanenſium Scri-

ptores

Digitized by Google

ptores κατὰ πόδα ſequuti Sigonium uſque adeo moverunt, ut ferreum diadema Langobardorum temporibus uſurpatum credere, quam tot Hiſtoricis fidem auctoritatemque abrogare maluerit. Cur tamen ejus uſum ab Agilulfo deduxerit, plane non aſſequor. Sed hoc poſito coronationis primordio, reliquos ſubinde Langobardorum Reges talibus inſignibus donatos affirmare neceſſum illi fuit, quamquam non ſemel profeſſus fuerit, id ex aliena potius quam ſua ſententia ſe ſcribere. Inter tot ambages, rerumque anguſtias quodnam mihi tuto inſtituendum ſit iter, plane non video. Et quidem ſi Paulum Diaconum vetuſtiſſimum rerum Langobardicarum Scriptorem conſulimus, nullam de imponenda corona mentionem is fecit. Quin ſola traditione haſtae Langobardos Reges inaugurari conſueviſſe, ejus teſtimonio ſignificari videtur; inquit enim Lib. VI. Cap. LV. de Geſtis Langobard. *Ipſe Rex Liudprandus eo tempore in languorem decidens, morti approximavit. Quem Langobardi vita excedere exiſtimantes, ejus nepotem Hildeprandum foras muros Civitatis ad Sanctae Dei genetricis Eccleſiam, quae ad Perticas dicitur, in Regem levaverunt. Cui dum contum, ſicut moris eſt, traderent in ejus conti ſummitate cuculus avis volitando veniens inſedit.* Neque inſueta fuiſſet haec Reges exornandi ratio, quippe Romuli temporibus, ſi Juſtino Hiſtorico eſt fides, coronarum loco haſtae Regibus uſurpabantur. Audi Scriptorem hunc ita Lib. XXXXIII. Cap. III. loquentem: *Per ea adhuc tempora Reges haſtas pro diademate habebant, quas Graeci ſceptra dixere.* Regum quoque Langobardorum *coronationem* omnino praeteriit Herempertus Langobardus auctor antiquiſſimus in Hiſtoria de Geſtis Principum Beneventanorum. Quare, ut nil omittamus, ipſemet Sigonius horum auctoritate, ſeu melius dicam, ſilentio ductus coronae uſum apud Langobardos in dubium revocavit; etenim ad Annum 601. ait: *Quod jus a Rege ullo Longobardorum uſurpatum, Paulus nuſquam oſtendit, imo morem eis fuiſſe ait, ut haſtam Regi declarato porrigerent.* In hanc etiam opinionem conceſſit Erycius Puteanus Lib. II. Hiſtor. Inſubr. ubi haec notat: *Miror Langobardos tam cito ab haſtae inſigni ad ferream coronam paſſos ſe transferri.* Equidem hujuſmodi ſententiae olim acquieſcebam, quum libellum ſuum inſcriptum: *Explicatio duorum Sarcophagorum* ad me tranſmiſit Clariſſimus, meique amantiſſimus vir Joannes Ciampinus, mihi nuper, totique eruditorum Reipublicae immaturo fato ereptus, & cui lacrymis meis me parentaſſe ambitioſe fateor. Exhibebat autem eodem in libro doctiſſimus Scriptor Agilulfi Langobardorum Re-

 gis

gis imaginem e vetuſtis nummis depromtam, quos luce pridem Angelus Breventanus donarat in Langobardorum Regum Gentiliaca arbore. Inſpicias ibi Regem corona conſpicuum, horrentique barba vultu circumfuſum cum his literis AGILULFUS. Reliquorum Regum Langobardorum numiſmata, eorumque caput coronatum idem Breventanus in aes incidit, quae tamen mihi non ſine dolore huc uſque videre non licuit. Igitur coronas Langobardis Regibus in uſu fuiſſe liquido conſtat, idque etiam ex antiquis carminibus in Modoëtienſi Baſilica ſculptis probari non leviter poteſt, nam ibi haec leguntur:

Condidit hoc templum mira virtute verendum
Theudelinda potens Regni Diademate pollens.

Theodelindae quidem juſſu carmina haec fuiſſe compoſita nemo facile opinetur, quod Zucchius fidenter ajebat, ſiquidem Leoninam indolem ſapiunt, atque iccirco ſeculis inferioribus ortum habuere. Nihilominus vetuſtatem aliquam praeferunt, & huic loco fortaſſe lucem afferant. Sed ne hinc quidem Coronae ferreae antiquitatem, atque inſtitutionem quiſquam ſe ſperet hauſturum, nam toto, ut ajunt, coelo diademata Langobardorum a ferreo differunt. Scilicet, quod alibi ſcriptum eſt, Coronam ferream circulus aureus efformat ſine radiis, aut pinnis, cui tenuiſſima lamina e ferro ducta artificioſe inſerta eſt. At corona, qua Agilulfus redimitur, galericulus eſt, ſeu mithra calanticae inſtar, totum capitis verticem obvoluens, unionibus ubique nobilitata, Crucemque in apice fixam deferens. Similem Langobardorum Regum Coronam in Grimoaldi numiſmate ſe vidiſſe mihi affirmavit eruditiſſimus Joannes Maria Bidellius, inter Juris peritos Mediolanenſes melioris antiquitatis, reique nummariae cultor, quem de Ambroſiana Bibliotheca bene aliquando meriturum ſperamus. Quod ſi laudati Ciampini conjecturae in Marmor Neapolitanum productae a veritate non abſint, Agilulfum itidem intueare corona inſignitum radiata, ac propterea a Modcëtienſi longe diverſa. Quamquam igitur coronas a Langobardis aliorum Principum more adhibitas ponamus, Coronam tamen ferream tanta antiquitate donare non poſſumus, ut uſurpatam ab iiſdem credamus. Verum haec melius in reliquo Commentarii contextu exploranda nobis erunt.

CA-

CAPUT QUARTUM.

Modoëtienſium, Ticinenſium, ac Mediolanenſium praerogativae pro Coronationibus Regum Langobardorum recenſentur. Mediolanenſium jura Pauli Diaconi auctoritate firmantur.

ETsi Langobardorum Regum coronationes incertae ſint, aut ſaltem nullam ii Coronam ferream adhibuiſſe videantur, cujus ope regalem dignitatem publice conſequerentur, heic tamen recentioribus ſcriptoribus liberaliter demus, Regum coronandorum conſuetudinem ab iis non temere tradi. Quo poſito locum inquirimus, ubi ſolemnis coronarum traditio perageretur. Hoc autem commode praeſtari non poteſt, niſi eorum, quorum coronationes referuntur, chronologice Hiſtoriam pertexamus. Mediolanum, Ticinum, ac Modoëtiam pro tanta gloria inter ſe certantes video, ſingulis populis pro jure ſuo aut rationibus, aut Hiſtoricorum auctoritate propugnantibus. Ticinum, urbs clariſſima, Regumque Langobardorum domicilio diutiſſime uſa, quin ſuum olim eſſet domeſticos Reges coronare, minime dubitat. Modoëtia vero, quam veteres lapides fortaſſe Moguntiacum, ſcriptoreſque Moditiam, aut Moguntiam appellant, celeberrimum Oppidum, atque a Theodelinda Regina illuſtratum, quum Langobardici Regni Sedes a nonnullis dicatur, noſtriſque etiam temporibus ferream apud ſe Coronam ſervet, ſibi antiquam coronationis laudem tribuit. Mediolanum tandem hujuſmodi jus vetuſtate tuetur. Et huic quidem Urbi potiſſimam tantae gloriae partem adjudicandam arbitror non coeco illius ſtudio praereptus, ſed rationum Scriptorumque inter ſe conſentientium auctoritate ductus. Ut autem a Ticino ſermonem inſtituam, quoties ejus dotes, atque antiquitatem ſpecto, cum praeclariſſimis, Italiae Civitatibus illam conferre minime dubito. Nemo tamen melius quam Gothi, ac Langobardi Reges iſtius Urbis praeſtantiam novere, quum in illa regalem conſtituerint ſedem, ac ibi tandiu ſe continuerint, quandiu Italiae partem Deo viſum eſt eorum imperio ſubiici. Plurimum hinc decus, *Regiaeque Urbis* nomen Ticino acceſſit, ſique Ticinenſibus fidem habemus, veluti altera Roma Civitas haberi coepit. Nunc etiam in ponte, quem extra urbis

illius portam fluvio Ticino impoſitum nemo non laudat, vetus lapis legitur cum hiſce carminibus:

Quiſquis huc intrat deflexo poplite dicat,
Dic prope qui tranſis, qui portae limina tangis:
Roma ſecunda vale, Mundi caput imperiale,
Tu bello Thebas, tu ſenſu vincis Athenas,
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes.

Haec tamen inſcriptio an olim ad Ticinenſes referretur, ſunt qui dubitent; Gualvaneus enim Flamma tum in Chronico Extravaganti Cap. XLIX. tum in Manip. Florum Cap. XXII. Urbi Mediolanenſi elogium hoc tribuit. Quin marmor portae Urbis, quae Romana dicitur, affixum fuiſſe eſt auctor. Variant nihilominus aliquantulum inter ſe verſus, quare & hos legendos exhibeo:

Dic homo, qui tranſis, qui portae limina tangis,
Roma ſecunda vale, Regni caput imperiale,
Urbs veneranda nimis, pleniſſima rebus opimis,
Te metuunt gentes, tibi flectunt colla potentes,
In bello Thebas, in ſenſu vincis Athenas.

Utcumque tamen ſe res habeat, ſive lapis ab Urbe hac ſaepe funditus everſa Ticinum delatus fuerit, ſive ad exemplar Mediolanenſis lapidem Ticinenſes inſcripſerint (nam ante annos tantum trecentos lapidem exaratum fuiſſe characterum forma luculenter prodit) ſeu Gualvaneus minus certa retulerit, Civitati illi praeclariſſimae gloriam hanc nequaquam invidemus, diuturnamque inſcriptionis poſſeſſionem, ac majeſtatem intactam relinquimus. Nil itaque mirum eſt, ſi in urbe ſua peractas Langobardorum Regum *coronationes* arbitrentur Ticinenſes, inter quos praecipue Stephanus Breventanus Hiſtoriae Papienſis Scriptor Lib. III. Cap. I. in S. Michaëlis aede Reges Langobardos antiquitus coronari conſueviſſe ſcribit. Sed quod Ticinum Regni Sedem Longobardi ſtatuerint, minime idcirco ibidem etiam coronatos eorum Reges fuiſſe probatur. Aquiſgrani Germanicam coronam, ut Regnum Teutonicum inirent Caeſares, poſterioribus ſeculis accepere, Auguſtalem vero Romae, quum tamen ſedes Imperii aut Viennae in Auſtria, aut alibi fuerit ſita. Sic Pariſiis Gallici Regni ſumma conſtitit, quamvis in urbe Rhemenſi Galliarum Re-

ges

Digitized by Google

ges inungi ſoleant. Atque huc reſpexiſſe cenſeo Bernardum Saccum Ticinenſis Hiſtoriae clariſſimum auctorem, quando Lib. VIII. Cap. IV. haec ait: *Qua quidem ex re, etſi Regii nominis honor in Papienſibus conſtitutus non fuit, Regiae tamen familiaritatis, ſeſſioniſque compos, ac digna effecta Civitas ipſa eo actu fuit*. Quibus verbis, ni fallor, ſibi exploratum eſſe oſtendit Saccus, Ticini quidem Langobardos Reges ſediſſe, ſed alibi honore coronae decoratos fuiſſe. Itaque Modoëtienſes audiamus, quorum cauſſam Bartholomaeus Zucchius agit tum in Hiſt. Reg. Theod. tum in Hiſt. Coronae ferreae. Scribit hic in primo libello Cap. XVI. Langobardorum Regum ſedem primo Veronae ſtetiſſe, deinde Modoëtiam a Theodelinda translatam, ibique ab Othone Tertio Imperatore confirmatam. In altero libello eorum Regum, qui Modoëtiae Coronam ferream ſuſcepere, Catalogum offert. Ex his primus illi eſt Agilulfus Theodelindae conjux, tum Adalvaldus horum filius, Arioaldus dein, Rotharis, Rodoaldus, Aripertus, ac Liutprandus. His addit Carolum Magnum, Pipinum, Bernardum, Lotharium primum, Berengarium primum, & pleroſque alios Italiae Reges. Verum quod eſt ad Langobardos Reges, nullus ei Scriptor vetuſtus laudatur, qui pro hac veritate vadem ſe offerat. Annales tantum Modoëtienſes, & Sigonius utramque paginam implent, ſive de illis Regibus, ſive de Imperatoribus res habeatur. Meum itaque erit oſtendere, quantum Mediolanenſis Civitas Ticinenſi, ac Modoëtienſi in Italicis Regibus inaugurandis praeſtet. Ita tamen in hujus praeſtantiſſimae Urbis laude me non continebo, ut de Ticinenſium, & Modoëtienſium praerogativis omnino taceam. Quem autem melius, dum de Langobardis quaeſtio agitatur, quam Paulum Diaconum, natione Langobardum, qui ſub Deſiderio Rege ultimo floruit, ſequamur? Enim vero quoties cum illo, quod pertinet ad res Langobardorum, ſentimus, toties nos veritatem aſſequuturos facile ſperamus. Alboino barbarae illius gentis Rege primo, Veronae violenta morte e vivis erepto, communi Langobardorum procerum conſilio ad Regnum Clepho eligitur. Quo in loco id contigerit, nos docet laudatus Auctor Lib. II. Cap. XXI. de geſt. Langobard. *Langobardi*, inquit ille, *apud Italiam omnes communi conſilio Cleph, nobiliſſimum de ſuis virum, in urbe Ticinenſium ſibi Regem ſtatuerunt*. Ticini igitur primam coronationem factam merito opinetur quiſpiam, niſi aſſenſum ſuſtinere dicenda inferius nos cogerent. Paulo in hac re concordem habemus Bonincontrum Modoëtienſem; quin & ipſe Gualvaneus

Flam-

Digitized by Google

Flamma negare id noluit, quanquam rationem, ut puto, excogitavit, cujus ope jura Mediolanenſium heic violari probaret. Cap. CCCCLXXXII. Chron. Major. de iſto Clephone haec habet: *Qui cum vellet in Civitate Mediolani in Regem Langobardorum coronari, Cives de Mediolano propter odium Albuini, qui banc Civitatem deſtruxerat, ei coronam, & Civitatis introitum negaverunt, & tunc in Papia fuit coronatus*. Fides ſit penes Auctorem, & ad Autharis Regnum tranſeo. Ubinam creatus hic fuerit, Paulus non docet. Bonincontrus vero Mediolani diadema Regni ei fuiſſe collatum ſcribit. Gualvaneus quoque de illo ſcripſerat Cap. CCCCLXXXXV. Chron. major. *Hic fuit coronatus Mediolani Corona ferrea in parva Eccleſia S. Michaëlis juxta S. Ambroſium*. Autharim fato poſtremo functum excepit Agilulfus a Theodelinda ex Langobardorum conſenſu in thalami, ac Regni conſortium adſcitus. Regem hunc *in Civitate Mediolani Regni diadema ſuſcepiſſe* auctor eſt Bonincontrus, ejuſque opinionem reliqui fere Mediolanenſium rerum Scriptores una cum Sigonio ſequuti ſunt. Quare ſubit mirari, cur hunc Principem *in burgo de Modoëtia Corona ferrea fuiſſe coronatum* Gualvaneus ſcribat Cap. D. Chronic. Major. Sed quid hiſce inſiſtimus, quum Paulum Diaconum rei teſtem habeamus? Inquit is Lib. II. Cap. ult. *Suſcepit Agilulfus, qui erat cognatus Regis Authari, incboante jam menſe Novembrio regiam dignitatem. Sed tamen congregatis in unum Langobardis, poſtea menſe Majo ab omnibus in Regnum apud Mediolanum levatus eſt*. Ex his, ni fallor, tanti Hiſtorici verbis, quid nobis de coronationis loco ſentiendum ſit, plane diſcimus. Menſe Novembri Anno 590. renunciatus Rex fuerat Agilulfus, regalemque dignitatem, ut ait Paulus, injerat. Anno vero proxime ſequenti menſe Majo in publico Langobardorum conventu coronam Mediolani accepit, qua re peracta dein jus regnandi numeris omnibus abſolutum obtinuit. Anno poſtea 604. in ipſa etiam Mediolanenſi Urbe Adalualdus Agilulfo ex Theodelinda natus in regalis dignitatis communionem publice advocatus fuit. Sunt Pauli verba Lib. IV. Cap. XXXI. *Igitur ſequenti aeſtate menſe Julio levatus eſt Adaloaldus Rex ſuper Langobardos apud Mediolanum in Circo in praeſentia patris ſui Agilulfi Regis, aſtantibus legatis Theudeberti Regis Francorum*. Ambos hos Reges Mediolani conſediſſe pluribus in locis prodit laudatus Auctor, ac proinde veram Langobardici Regni ſedem eo tempore Mediolanum fuiſſe, hinc quoque intelligimus. Ceterum de reliquis Langobardorum Regibus quanquam Paulus multa

Digitized by Google

tradiderit, locum tamen urbemque, ubi eorum ſinguli aut electi, aut inaugurati ad Regnum fuerint, nequaquam memoravit. Eorum ſedes Ticini plurimum ſtetit, & quum duos filios Rex Aripertus ſibi ſucceſſores reliquiſſet, Pertharitum, & Gundibertum, unus Ticini, alter vero Mediolani Regnum quiſque ſuum moderabantur. Animadvertimus etiam Hildeprandum Liutprandi nepotem extra muros Ticinenſis urbis in Baſilica S. Mariae ad Perticas Regem fuiſſe ſalutatum. Porro in referendis reliquorum Scriptorum, ac potiſſimum Gualvanei, & Bonincontri verbis non immorabor; uterque enim pro ſuo erga patriam ſtudio aut Mediolani, aut Modoëtiae Reges coronatos affirmat. Reſtat igitur, ut Pauli Diaconi auctoritate ducti fateamur, Ticini quidem Langobardos Reges plerumque conſediſſe, Mediolani vero corona ſaepius fuiſſe donatos. Nunc ad Imperatores, alioſque Ciſalpinos Reges ſermonem convertamus.

CAPUT QUINTUM.

Reges Franci neque Mediolani, neque Modoëtiae coronati. Sigonii ſententia exploditur. Romae corona iis impoſita.

EXACTIS a regali throno Langobardis, & victo captoque Deſiderio Rege, rerum in Italia potitus eſt Carolus Magnus, in quem e Graecis Imperii quoque Romani jura per Urbis Pontificem fuere translata. Illum Modoëtiae Corona ferrea ab Archiepiſcopo Thoma redimitum Carolus Sigonius Lib. IV. de Regno Ital. tradit, ejuſque opinioni lubentiſſime Zucchius ſubſcripſit. Eadem de Pipino Caroli filio, & Bernardo, ac Lothario nepotibus narrant ambo laudati Scriptores, & ne quid diſſimulem, Gualvaneus quoque in Manip. Flor. Cap. CXXVI. & ſequ. eiſdem conſentientem invenio. Attamen ex ſolis conjecturis Auctores iſta affirmaſſe tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Mihi ſane veri videtur ſimillimum, ab hujuſmodi coronatione Carolum, ceteroſque e Francorum gente Imperatores abſtinuiſſe. Sexcentos, ut ita dicam, Hiſtoriarum conditores legimus, partim Caroli Magni, ejuſque ſucceſſorum aequales, partim ab eorum aetate parum remotos, quos aut in Bibliotheca nova Labbei, aut in ſingulari Collectione Scriptorum Hiſtoriae Francicae a Ducheſnio elabo-

Digitized by Google

elaborata, aliiſve in locis invenire eſt. Quis ergo non videt in tot monumentis hanc Regum coronandorum conſuetudinem praeteriri non debuiſſe, ſi unquam invaluiſſet? Nihilominus, etſi minutiſſima quaeque Caroli Auguſti, & reliquorum geſta ibidem recenſeantur, nullum tamen verbum de Modoëtienſi coronatione perinde occurrit, quaſi contemnendum, & ſilentio obvolvendum decus illud fuiſſet. Contra nemo ex his Scriptoribus ſilentio praeterit Romanam Caroli Magni coronationem, quam etiam inter praecipuas ejus laudes referendam eſſe quiſque agnoſcebat. His accedit Cointii viri celeberrimi auctoritas, qui Gallicos Annales immani labore Latinis literis mandavit ſuorumque Regum geſta omnium accuratiſſime exploravit. Poſtquam hic Sigonii verba retulit ad Annum Chriſti 774. *Non temere*, inquit, *negabis Carolum Magnum illa corona per Archiepiſcopi Thomae manus hoc anno redimitum*, *cum in antiquis Auctoribus nulla ſit hujuſce rei memoria*. Videat igitur Sigonius, quo ſe Auctore tueatur, ubi Modoëtiae coronatum affirmat Carolum. Nam quod eſt ad Pipinum ejus filium, non Modoëtiae, ſed Romae, Italiae Regem fuiſſe renunciatum, ibique corona donatum ſcimus. Vetuſtiſſimi Francorum Annales apud Ducheſnium Tom. II. pag. 32. haec tradunt ad Annum Chriſti 781. *Et Rex Carolus celebravit Paſcha in Roma. Et ibi baptizatus eſt Domnus Pipinus filius ſupradicti Domni Caroli M. Regis ab Adriano Papa*, *qui & ipſe eum de ſacro fonte ſuſcepit. Et duo filii Domni Caroli Regis inuncti ſunt in Reges a ſupradicto Pontifice. Hi ſunt Domnus Pipinus*, *& Domnus Hludowicus Reges. Domnus Pipinus Rex in Italiam*, *& Domnus Hludowicus Rex in Aquitaniam.* Tunc igitur Italici Regni corona Pipino collata fuit. Porro addit idem Chronologus: *Et inde revertente Domno Carolo Rege*, *Mediolani Civitatem pervenit. Et ibi baptizata eſt filia ejus Domna Giſela ab Archiepiſcopo nomine Thoma. Et ab inde reverſus eſt in Franciam.* Eadem ſcribit Eginhardus de Geſtis Caroli M. Imperatoris, coronamque Pipino, ac Ludovico Romae ab Adriano impoſitam & ipſe narrat. Ceteri vero Hiſtorici ſimilia memoriae mandarunt. Quamobrem videas, ad Civitatem etiam Mediolanenſem deveniſſe Carolum, ibique ab Archiepiſcopo Thoma filiam ejus Giſelam ſacris undis fuiſſe purgatam. Quod ſi Modoëtiae Coronam iterum Pipino contuliſſet Mediolanenſis Archiepiſcopus, neque ignorare id Auctores potuiſſent, & ſcribere debuiſſent, qui ſacram Giſelae expiationem, quanquam longe minoris momenti rem, nequaquam omiſere. Atque ex his hactenus enarra-

tis

tis conſtat, ni mea me fallit opinio, quandiu Romanum Imperium, Italiamque Reges Francorum tenuere, Italici Regni diadema Romae tantummodo illis fuiſſe collatum. Ut autem evidentius haec pateant, exemplum Ludovici II. Imperatoris heic itidem producam, neque enim hunc Sigonius Modoëtiae coronatum affirmare eſt auſus. De illo in Vita Sergii II. Papae haec ait Anaſtaſius Bibliothecarius: *Tunc almificus Pontifex in Baſilica Principis Apoſtolorum manibus ſuis ipſum Hludowicum Lotharii Imperatoris filium oleo ſancto perungens, regali, ac pretioſiſſima coronavit Corona, Regemque Langobardis praefecit.* Poſt Ludovicum II. Italico Regno praefectus eſt Carolus Calvus, eumque Papiae corona redimitum manu Anſperti Archiepiſcopi Mediolanenſis Sigonius ad Annum 876. ſcribit. Quin verba addit ab Anſperto in *coronatione* pronunciata, quae ita ſe habent: *Nos Anſpertus cum omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, & reliquis, qui nobiſcum convenerunt, Italici Regni Optimatibus, perpetuam optamus proſperitatem, & pacem*, & reliqua apud Puricellum in Monum. Ambroſ. Baſil. num. 127. legenda. Verum nullus dubito, quin Sigonianam aſſertionem totius antiquitatis ſilentium infirmet. Nimirum Scriptores ceteri Carolum Calvum Romae a Summo Pontifice Regem, Caeſaremque inauguratum produnt, Ticinenſem vero *coronationem* nullam prorſus commemorant. Quae vero verba Anſperto Sigonius affingit, ea quidem, ſeu melius dicam, eorum ſimilia in Synodo Ticinenſi, quo convenerant Epiſcopi, ceterique Italici Regni Optimates Anno 876., fuere pronunciata, & forſan ab ipſo etiam Mediolanenſi Antiſtite, ſed ut Carolum ſolummodo *Protectorem, dominum, ac defenſorem omnium eligeret* Synodus, non ut Corona inſigniret. His accedit, Ticinenſe illud Concilium anno eodem a Patribus Synodi Pontigonenſis fuiſſe confirmatum, nulliuſque, praeter quam Romanae, coronationis mentionem illic factam fuiſſe. *Sicut*, inquiunt *Patres*, *Domnus Johannes Apoſtolicus, & univerſalis Papa primo Romae elegit, atque ſacra unctione conſtituit, omneſque Italici Regni Epiſcopi, Abbates, Comiteſque Domnum noſtrum glorioſum Imperatorem Karolum Auguſtum unanimi devotione, elegerunt ſibi protectorem, ac defenſorem &c. ita & nos eligimus.* Utriuſque Synodi decretum tum in magna Conciliorum Synopſi Labbeana, tum apud Sirmondum Tomo III. Concil. Gall. & apud Ducheſnium Tomo III. invenias. Quod reliquum eſt, Sigonius in poſtrema Hiſtoriae de Regno Italiae editione verba ſuperius allata e libro induxit, coronationis tamen mentione minime obli-

obliterata. Carolum tandem Craſſum Italiae Regem a Mediolanenſi Archiepiſcopo Ciſalpini Regni inſignia ſuſcepiſſe, quibus tabulis fretus neſcio, affirmat Sigonius ad Annum 880. Ego vero in antiquiſſimo Chronico Monaſterii S. Galli Regem hunc *a Joanne Papa benedictum* legi, non ab Archiepiſcopo coronatum, quod referunt etiam Annales Francorum Metenſes, aliique Auctores. Cum Carolo Craſſo Francorum in Italia Regnum deſiit. Quod ſi veteres Hiſtorias ſedulo revolvamus, a Romanis tantum Pontificibus Francos Reges Italico diademate cinctos intelligimus. Sigonii vero ſententiam, ubi veterum ſuffragiis ea ſit deſtituta, ſomno juſtius quam Hiſtoriae compares. Sane Donatus Boſſius, Georgius Merula, Triſtanus Chalcus, aliique rerum Mediolanenſium diligentiſſimi Scriptores, & in hujus Urbis antiquitatibus verſatiſſimi, hanc Francorum in Italia Regum coronationem prorſus omiſere, quum revera nullae eis tabulae ſuppeterent, quibus tantam gloriam Inſubribus vendicarent.

CAPUT SEXTUM.

Poſt Francos Italici Reges coronam in uſu habent. Ubi eam receperint, inquiritur. Berengarii I. Rodulfi, Hugonis, Lotharii, Berengarii II. Adalberti, atque Othonis M. coronationes referuntur.

FRANCOS in Ciſalpino Regno excepit Berengarius, natione Italus, & dux Forojulienſis, quem Sigonius Lib. VI. de Regno Italiae Anno 888. Papiae coronam accepiſſe de manu Anſelmi Mediolanenſis Archiepiſcopi tradit. Gualvaneus tamen Flamma Cap. DCL. Chronici Majoris MS. haec de illo narrat: *Hic in Modoëtia fuit coronatus, ſicut patet in Privilegio dato Civibus de Pergamo, quia dum coronaretur in Modoëtia conceſſit Pergamenſibus, ut ſuam poſſent reaedificare Civitatem.* Gualvaneum Bonincontrus, & Zucchius exſcripſere. Cuinam vero ex hiſce Scriptoribus habenda ſit fides, non video; neque enim praeſtantiora monumenta conſulere heic poſſumus. Iiſdem etiam difficultatibus obſepta eſt Rodulfi Regis coronatio, quem in Italiam contra Berengarii tyrannidem accitum, Sigonio teſte, Lampertus Mediolanenſis Archiepiſcopus Ticini coronavit, *illa quidem corona, quae Modoëtiae ſervatur.* Poſtrema haec tamen verba nuſquam apud Sigo-

Digitized by Google

Sigonium legas, quum ei affingantur a Zucchio, qui ut patriam ſuam extolleret, religioni ſibi non duxit hoc in loco fluxam, atque confictam adhibere auctoritatem. Sequitur Sigonius ad Annum 926. *Hugo ab Italis accerſitus Piſas laetus acceſſit, tum recta Papiam contendit, quo cum veniſſet, Rex ſummo omnium ſtudio ſalutatus Coronam Mediolani ab Archiepiſcopo ſumpſit.* Et hunc locum Zucchius corrupit, uti Puricellus etiam noſter in Monum. Baſil. Ambroſ. num. 159. animadvertit; haec enim verba veluti a Sigonio pronunciata refert: *Papiam perveniens Rex ſummo omnium ſtudio ſalutatus Coronam ferream ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ſumſit*, quaſi non Mediolani, ſed Papiae Coronam Hugo acceperit. Sigonium porro in hac re affirmanda praeceſſere Gualvaneus Flamma, Auctor Chronici Flos Florum, & Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium, quorum verba legas apud Puricellum num. 162. in Monum. Baſil. Ambroſ. His igitur Auctoribus Sigonio conſentientibus Hugo Rex Mediolani coronam obtinuit, qua etiam in Urbe Lotharius ejus filius pari honore conſalutatus Rex fuit. *Lotharius iſte*, inquit Gualvaneus in Manip. Flor. Cap. CXXXIII. *Imperii diadema in Eccleſia S. Ambroſii, ſicut & pater ejus ſuſcepit.* Hujus quoque rei fidem facit Luitprandus Ticinenſis, pervetuſtus Auctor, dum Lib. V. Cap. XIII. Hiſtor. *Lothario*, ait, *denique Mediolanum petente, Rex Hugo Papia omni cum pecunia egreſſus Italiam deſerere, atque in Burgundiam ire cogitavit. Sed res iſta eum retinuit, quoniam dum miſericordia inclinati Lotharium in Eccleſia Beatorum Confeſſoris, & Martyrum Ambroſii, Gervaſii, & Protaſii ante Crucem erigerent, & Regem ſibi conſtituerent &c.* Regibus hactenus enumeratis ſubrogatus eſt Berengarius II. cum Adalberto filio Italiae Rex. Illum Zucchius tertium, Bonincontrus hujus nominis quartum appellant, unanimique conſenſu Modoëtiae coronatum affirmant. Sed quum probatiſſimi Annales hinc nobiſcum facere incipiant, eorum beneficio impoſterum utemur, ut poſteriorum Hiſtoricorum errores emendare poſſimus. Itaque in eo Chronico Regum Italiae, quod in hoc libro edidimus, iſta leguntur: *In viceſimo quarto die, qui fuit die Dominico XV. die Decembr. in Baſilica S. Michaelis, quae dicitur Major, fuerunt electi, & coronati Berengarius, & Adalbertus.* Igitur non Modoëtiae, ſed Papiae in Eccleſia S. Michaëlis regia inſignia Berengarius, atque Adalbertus obtinuere. Et quoniam ita res poſcit, heic iterum Zucchii diligentiam examinare mihi liceat. Ad Berengarium hunc refert ille Diploma quoddam *Canonicis Abbatiae*

S. Joannis Baptiſtae de Moditia collatum, *& datum Kalend. Julii Anno Dominicae incarnationis DCCCCXX. Domni vero Berengarii piiſſimi Regis XXIIII. Imperii vero ſui V. Indict. VIII.* Equidem Modoëtienſis Hiſtoriae infortunium doleo, quod homini aut parum accurato, aut parum fideli commendata fuerit. Quin germanum ſit Diplomatis memorati exemplar, minime ambigo, verum Chronicas notas male Zucchius deſcripſit, nec bene earum ſententiam aſſequutus eſt. Primo non ad Berengarium, ut is opinatur, Tertium, ſed ad Primum, Diploma referendum fuit; hunc enim ad Annum uſque 923. vixiſſe ac regnaſſe conſtat, alter vero Berengarius multum poſt tempus Regnum ſuum eſt auſpicatus. Secundo quum hic Berengarius Regiam dignitatem Anno Chriſti 888. inierit, cum Anno Epochae vulgaris DCCCCXX. trigeſimus quartus Regni illius conjungendus erat, quo & Kalend. Julii annus Imperii ejus quinctus, atque Indictio octava decurrebant, ut recte in Diplomate notatur. Quod ſi Zucchius ſingula accuratius luſtraſſet, pro XXIIII. Anno Regni Berengarii XXXIIII., ut reor, ſcriptum inveniſſet. Senſim ad Othonem Magnum noſtra devenit Oratio, quem primum e Germanica gente Romanorum Imperatorem, ſuumque Regem Italia vidit, niſi etiam (quod per me licet) Germanis Francos Reges accenſere velimus. Ubinam Coronam Italicam acceperit iſte, e Zucchio accipere juvat. Poſtquam is nonnulla Sigonii verba in unum coegit, haec velut ab ipſo Auctore derivata refert. *Othonem vero Valpertus Archiepiſcopus Mediolani in Baſilica Ambroſiana ex promiſſo Corona ferrea, quae Modoëtiae aſſervatur, redemit, eamque ob cauſſam multa ab eo oppida dono accepit.* Heic procul dubio ſe cornicula prodit, ubi alienas imitari, aut ſuffurari vult pennas. Mediolani quidem Corona ferrea Othonem exornatum cenſet Sigonius, ſed coronam illam nequaquam appellavit, *quae Modoëtiae aſſervatur.* Ipſum loquentem audiamus ad Annum 961. *Interim Mediolani Archiepiſcopus promiſſi memor Principum, Epiſcoporumque de more Concilium vocat, atque ex omnium ſententia Regnum Berengario, atque Adalberto abrogatum ad Othonem defert, ipſumque in aede D. Ambroſii urbana inungit, conſecratumque ferrea Corona condecorat.* Utinam tamen Sigonianam phraſim confingere Zucchius ſciviſſet; ſed ille regulis Priſciani poſthabitis pro *redimivit* ſcribere non erubuit *redemit*, verbis profecto ab elegantia Sigonii alienis, homineque Latini ſermonis imperito dignis. Addit vero Zucchius, Othonem coronatione Mediolanenſi minime contentum Modoëtienſem quoque

rece-

Digitized by Google

recepiſſe, *ut multi Scriptores teſtantur*. Si tam multos Auctores Zucchius habuerat tantae rei teſtes, miror, cur ne unum quidem produxit, qui quum veris teſtimoniis niti non poterat, appoſitis utebatur. Sed homo aliis imponere ſolitus ſat habuit rem affirmare, alioqui certus fore, ut pauci ex Lectoribus rem intime examinarent. Ego quotquot hucuſque Auctores pervolvi, Mediolani tantum, non vero etiam Modoëtiae Othonem coronatum didici. Quin Bonincontrus in Chronico MS., & Balthaſſar Fidelis Archipresbyter Modoëtienſis in libro de praerogat. B. Joannis Baptiſtae Cap. ult. dum Italiae Reges Modoëtiae coronatos recenſent, Othonem Magnum ibidem coronatum nuſquam commemoravere. Placet huc referre, quae de hujus Imperatoris inauguratione Landulfus habet Scriptor Mediolanenſis, qui, prout in primo (a) Anecdotorum Tomo animadverti, ſub finem ſeculi a Chriſto nato undecimi Hiſtoriam hucuſque MS. lucubravit, ſub Datii Mediolanenſis Archiepiſcopi nomine ſaepe a Scriptoribus laudatam. Inquit autem hic: *Spreta Alberti* (hoc eſt Adalberti) *ac ſuae gentis ſuperbia, qui Italiam quaſi ancillam dominabantur, Oto ab omnibus in Regem magnis cum triumphis Mediolanum electus, & ſublimatus eſt. Interea Walperto myſteria Divina celebrante, multis Epiſcopis circumſtantibus Rex omnia regalia, lanceam, in qua Clavus Domini habebatur, & enſem regalem, bipennem, balteum, clamidem imperialem, omneſque regias veſtes ſuper B. Ambroſii Confeſſoris altare depoſuit, perficientibus, atque celebrantibus Clericis, omnibuſque Ambroſianis ordinibus divinarum ſolemnitatum myſteria; Walpertus magnanimus Archiepiſcopus omnibus regalibus indumentis cum manipulo Subdiaconi, corona ſuper impoſita, aſtantibus B. Ambroſii Suffraganeis univerſis, multiſque Ducibus, atque Marchionibus, decentiſſime, & mirifice Otonem Regem collaudatum, & per omnia confirmatum induit, atque perunxit*. Eadem, aut ſimilia legas apud Gualvaneum Flammam deſcripta, & a Puricello in Monum. Ambroſianae Baſilicae num. 177. relata. Litulfum quoque Othonis M. filium, quem contra Berengarium Italiae tyrannum e Germania cum expedito militum robore pater ad Inſubres miſerat, Langobardorum corona decoratum legi in vetuſtiſſima Hiſtoria MS. *de Geſtis Comitiſſae Mathildis*, quam Ambroſiana Bibliotheca ſervat. Ibi ſcriptum eſt: *Et venit praedictus Litulfus cum praedictis militibus quadam die menſis Maii ejuſdem Anni a Civitate Veronae uſque ad arcem Canoſſinam per unum diem, & alia die ſequenti ivit Parmam,*

(*a*) Hujus vero Editionis Tom. XI. P. I. pag. 230.

Parmam, & accepit Coronam Longobardiae, & rediit &c. Parmae tamen coronationem hanc celebratam fuiſſe nemo ſuſpicetur, ſed quidem, ut par eſt credere, Mediolani.

CAPUT SEPTIMUM.

Othonis III. coronatio illuſtratur. Fortaſſe primus is fuit, qui Modoëtiae coronam accepit. Inſigni huic Oppido munera ab illo collata referuntur.

OTHONEM II. Imperatorem in Inſubribus coronatum nequaquam legimus. Quare ad ejus filium Othonem Tertium nos conferamus. Illi Coronam Italicam in urbe Mediolanenſi ab Archiepiſcopo Landulfo collatam his verbis adnotavit Sigonius Anno 995. *Landulphus Urbem* (ſcilicet Mediolanum) *ingreſſus Othonem Regio diademate decoravit.* Verum non Mediolani tantum, ſed Modoëtiae quoque coronatum Othonem tradunt Modoëtienſes Scriptores, quorum vetuſtiſſimus Bonincontrus Lib. I. Cap. XXX. Chronici MS. in haec verba loquitur: *Porro hic Otto Tertius primo in Modoëtia, poſtea in Mediolano Italici Regni coronam accepit.* Id ſi verum eſt, cur in Oppido illuſtri dignitatem regiam obtinere voluerit Otho, cauſſam mihi videor aſſequutus. Maximae iis temporibus controverſiae inter Cives Mediolanenſes, & Archiepiſcopum Landulfum intercedebant. Adeo autem exarſere odia, ut in apertum bellum deducta res fuerit. Magno praelio Landulfus profligatus nullum praeſentius praeſidium invenit, quam ſe ad Othonem in Germania morantem recipere, eumque in Italiam grandibus promiſſis illectum pertrahere. Superatis Alpibus Otho cum ingenti exercitu in Inſubres fertur, Urbemque Mediolanenſem obtemperare adhuc recuſantem arcta obſidione cingit. Dum ita res agerentur, non ſine probabili conjectura arbitror, Modoëtiam proximum Oppidum, & Reginae Theodelindae, aliorumque Regum donis celebre ab Othone fuiſſe delectum, ut ibi regalia ab Archiepiſcopo obtineret inſignia, ſimul atque ut Mediolanenſes ſibi viles eſſe oſtenderet. Neque enim neceſſum erat Mediolani potius quam alibi Reges inungi, ut ex coronationibus Ticini peractis patet, dummodo Mediolanenſis Archiepiſcopi opera in coronatione mi-

nime

Digitized by Google

nime deſideraretur. Et ſane ex iis temporibus Modoëtia Langobardici Regni Sedes audire coepit, titulo ei ab Othone collato. Hoc vel ipſi Modoëtienſes fatentur. Audi Baltaſſarem Fidelem eorum Archipresbyterum, qui Anno 1513. libellum de Praerogativa B. Joannis Baptiſtae publici juris faciebat. Sunt ejus verba Cap. poſtremo: *Otto tertius Modoëtiam Regni Sedem conſtituit, Caeſareaeque coronae incorporavit, ut in quacumque hujus provinciae inveſtitura non comprehendatur, niſi de illa ſpecialis mentio fiat.* Bonincontrus vero, a quo Modoëtienſe Chronicon Anno 1345. conditum dixi, Cap. XXX. Lib. I. de Othone laudato haec aliquantulum confuſa narrat: *Hic ordinavit, & inſtituit, quod terra de Modoëtiae eſſet caput Lombardiae, & Sedes Regni illius. Sciens ubi cunctis Lombardis ad illorum protectionem ab Imperatore coeleſti principem, & auditorium conſtitutum eſt. Propterea placuit ipſi Imperatori terreno conſtituere majorem, & nobiliorem in Regno ſuo Lombardiae terram Modoëtiae, & eam caput, & ſedem Regni illius eſſe ad hoc, ut locus auditorii magni Principis coeleſtis Imperatoris, quae eſt in dicta Terra aedificatus, & in quo loco ſancto de jure Regni Lombardorum debet coronari propter reverentiam, & devotionem ipſius Regni Imperatoris terreni ibi cuſtoditur &c.* Addit rurſus: *Quod Imperator debeat coronari in Modoëtia, & quod illa ſit caput Lombardiae, patet manifeſte ex dictis, & Scripturis Imperatorum, qui privilegiando dictam Terram, nominando aliarum Terrarum Lombardiae jura dicunt: Sicut inter cetera Modoëtiam ſpecialem Sedem noſtram, quae caput Lombardiae, & Sedes Regni illius eſſe dignoſcitur, in qua etiam noſtri Anteceſſores de jure Regni coronari conſueverant, cum Burgo, & prato, & omni diſtrictu, & penſitationibus, & cum omnibus poſſeſſionibus, ac pertinentiis ſuis, inſuper cum omni familia intus, & foris ex legali ſententia Judicum Lombardiae cum omni integritate recuperavimus. Hunc itaque praedictum locum noſtrae tantum juriſdictioni, & ſoli noſtrae poteſtati ſpecialiter, & proprie vendicavimus, quem in corde noſtro inconvulſibiliter fixum tenemus. Et praefatam Sedem noſtram regalem per Feudum aliquod numquam velle imbeneficiare, neque noſtris temporibus aliquo modo ab Imperio alienare, quia hoc eſſet caput a membris ſeparare &c. prout in illis plenius continetur.* Hactenus Bonincontrus, a quo per haec verba laudari video Diploma quoddam ab Imperatore Modoëtienſi Oppido conceſſum; ſed quinam hic Caeſar fuerit, in incerto relinquitur. Quum tamen ibi *Feudorum* fiat commemoratio, longe poſt Othonis Tertii tempora Diploma illud prodiiſſe,

diiſſe, veri ſimile omnino videtur. Bonincontrum Zucchius excripſit, neque contentus *Modoëtiam urbem Imperii* appellaſſe, quaſi haec verba a Bonincontro acceperit, Diploma etiam, ſi fas eſt in eum hanc ſuſpicionem conferre, confingere non erubuit, illudque Othoni Tertio tribuere. Quod tamen ridiculum eſt, Italico tantum, non Latino ſermone eſt uſus, ne poſſet fingentis imperitia tam facile prodi. Primum igitur Modoëtienſem coronationem ſub Othone Tertio inſtitutam fuiſſe, a vero non abhorret, ſiquidem his auctoritatibus fidem habemus. Porro ex hoc tempore Modoëtiam apud Scriptores vetuſtos aut Italici Regni Sedem, aut Langobardiae primum locum appellari animadvertas, ipſique Imperatores Mediolanenſi coronatione non contenti, Modoëtiae quoque inungi voluere. Ineunte ſeculo Epochae noſtrae duodecimo Hiſtoriam Mediolanenſem Landulfus a S. Paulo memoriae prodebat. Hic autem in Hiſtoria, quam MS. Ambroſiana ſervat, de Conrado Caeſare loquens ait: *Pontifex Mediolanenſis Anſelmus a Leuco diſcedit ad Modoëtiam, qui eſt primus locus Coronae Regis Italiae, ibique pernoctavit.* Otho Friſing. Lib. VII. Cap. XVII. Chron. circiter Annum 1125. ait: *Conradus a Mediolanenſium Archiepiſcopo Anſhelmo Modoyci* (hoc eſt Modoëtiae) *Sede Italici Regni in Regem ungitur.* Similia loca a Gunthero Lib. VIII. Ligur. & a Radevico Lib. II. Cap. XX. de geſt. Frider. I. Imperat. petita inferius commemorabo, ut quanta inſigni Oppido gloria acceſſerit, clarius innoteſcat. Alciatus tamen vir celeberrimus huic ſententiae repugnat, nam in Lib. de form. Rom. Imperii Coronam ferream Mediolani ex inſtituto Pipini accipi ſolitam ſcribit, aperteque tradit, coronationem in Oppido Modoëtienſi coepiſſe peragi a Conrado Suevo, illegitimo primum, ſed poſtea a ſucceſſoribus probato exemplo. Poſtquam Tertius Otho diem poſtremum clauſit, ſtudio recuperandae libertatis Inſubrum proceres omnia tumultibus, ac ſeditionibus miſcuere. Itaque Ticini Anno 1002. ut Sigonius ſcribit, atque ex Diplomatibus probari poteſt, Rex Italiae creatus eſt Ardoinus Eporedienſis Marchio. Hucuſque ubi Regium diadema is obtinuerit, in incerto fuit; at ope Chronici Regum Italiae per me in hoc Tomo (a) editi hic locus innotuit. Legitur ibi: *Fuit tunc Regnum ſine Rege XXIV. dies. Die qui fuit Dominico, & fuit XV. die Menſis Februarii in Civitate Papia inter Baſilicam S. Michaëlis fuit coronatus Ardoinus Rex.* Tunc ab Italia aberat Arnulfus Mediolanenſis Antiſtes Conſtantinopolitana legatione occupatus: quare ubi Me-

(a) Pag. 172. hujus Tom. XI. P. III.

bi Mediolanum rediit, ſuo iniuſſu Regem & electum, & coronatum fuiſſe aegre ferens, ſuaque jura peſſum dari videns, in Concilio Laude Pompeii coacto Ardoinum Regem vitio creatum pronunciat. Tum Henricum Germaniae Regem Archiepiſcopus Italico Regno donat, atque in Inſubres contra Ardoinum accerſit. Sigonius Lib. VIII. de Regno Ital. Anno 1013. Henricum ab Arnulfo coronam accepiſſe ſcribit; locum vero coronationis nequaquam memorat. Porro Baronius meliora nactus monumenta ad Annum uſque 1005. Italicam Henrici coronationem retrahit, eamque Papiae peractam fatetur. Hujus rei Auctor eſt illi Dithmarus, qui Henrici laudati vitam accuratiſſime conſcripſit, & Lib. VI. ita loquitur: *Poſt haec Papiam viſitans urbem, ab Archiantiſtite hoc, nempe Mediolanenſi, & a primis illius regionis ſuſceptus, cum admirabili laude ad Eccleſiam ducitur, & communi electione ſublimatus in ſolium regale collocatur.* Quod ad locum coronationis attinet, illud certiſſimum; verum in anno ejus rei aſſignando minus recte poſiti ſunt calculi. Anno 1002. die 15. Februarii Ardoinum ex Chronico ſuperius commendato didicimus fuiſſe coronatum. At poſtquam is regnaſſet *annos duos, & menſes duos, in die Dominico, qui fuit die Menſis Madii inter Baſilicam S. Michaëlis, quae dicitur Major, fuit electus Henrichus, & coronatus in ſecundo die, qui fuit die Lunae XII. die Menſis Madi, & coronatus in Civitate Papia.* Haec habet Chronici illius auctor, qui Anno MXXVIII. Regum Italiae Chronologiam literis mandabat. Igitur ſi poſt diem XV. Februarii Anni MII. Annos duos, menſes duos, & aliquot dies numeres, quibus Ardoinus Ciſalpinum Regnum moderatus eſt, videas Henrici coronationem ad Annum MIV. & ad Menſem Majum eſſe referendam. Iterum inquit laudatus Chronographus: *Et regnavit Henrichus Annos X. minus menſes IV. & in feſtivitate Cathedrae S. Petri VIII. Kal. Martias fuit coronatus ad Imperatorem.* Certum eſt Anno MXIV. Henrico Romani Imperii inſignia in Urbe fuiſſe collata. Ergo ſi retro numeres Annos IX. menſes VIII. & aliquot dies, quibus Italiae tantummodo Rex Henricus eſt appellàtus, ad Menſem Majum Anni MIV. devenies, quo tempore, ut dictum eſt, contigit ejuſdem Principis coronatio Italica. Ex alio Chronico Regum Italiae heic etiam evulgato eadem veritas confirmatur, etenim haec ibi ſcribuntur: *Poſt Ottonis Tertii deceſſum regnavit Ardoinus Rex annos II. & menſes II. & dimidio. Deinde venit Anricus Rex, & imperavit Regnum ejuſdem Ardoini. Fuit coronatus ad Regem in Papia tertia*

die ante feſtivitatem Sanctæ Xiri, quae fuit in Medio Majo, & habet modo regnatum IX. annos, & dies IX. XII. Kal. Junias hodie, & percurrit Indictio XI. Anno Chriſti MXIII. undecima Indictio excurrebat, quo ipſo Anno Chronicon vere exaratum fuit. Si igitur a die XII. Kal. Junias illius Anni retrorſum numerando IX. Annos, & IX. dies colligas, quibus Henricus a ſuſcepta corona Italiam rexerat, ad Annum pervenies MIV. menſemque Majum, quo Henricus in Coelitum album poſtea relatus, Italici Regni Coronam accepit. Quod reliquum eſt, non Ticini tantum, verum etiam Mediolani Henricum Corona redimitum fuiſſe animadvertit doctiſſimus Puricellus num. 208. in Monum. Ambroſ. Baſil. Siquidem Gualvaneus Flamma in Chronico Majori MS. num. 730. *Interim*, inquit, *pugna committitur, & Arduinus uſque Papiam fugatur. Tunc per Archiepiſcopum Mediolanenſem fuit coronatus Henricus in Eccleſia S. Ambroſii.* In Manipulo vero Florum Cap. CXXXVIII. eadem repetit his verbis: *Hic Henrichus audita ſui electione nimis gaviſus fuit. Congregato exercitu Theotonicorum permaximo in Italiam intravit, & intrans Civitatem Mediolanenſem in Eccleſia S. Ambroſii de manu Arnulfi Archiepiſcopi amici ſui Imperator Coronam accepit.* Id quoque in aliis Archiepiſcoporum Mediolanenſium Catalogis MSS. affirmatum invenias. Certe mihi omnino veri videtur ſimile, ab Henrico Mediolanenſem coronationem haud praetermiſſam fuiſſe, tum quod in hac urbe Regni Langobardici jura inire poterat, eademque ab Archiepiſcopo amico ſuſcipere grati animi cauſſa debebat, tum etiam quod Dithmarus haec de illo ſcribat: *Inde vero* (ſcilicet ab urbe Papia) *idem Rex Mediolanum amore S. Ambroſii acceſſit.* Tandem Bonincontrus Cap. XXXIII. Lib. I. Chron. Modoët. de Rege hoc ita ait: *Si fueris coronatus in Modoëtia, vel in Mediolano, iſta Chronica non loquitur, ſed credendum eſt in Modoëtia.* Equidem *conſilium laudo artificis*, quippe *nihil eſt quod credere de ſe non poſſit* quicumque gloriae cupidine urgetur.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

Conradi I. Henrici II. Henrici III. Conradi II. Henrici IV. & Conradi III. coronationes illuſtrantur.

HENRICUM I. Imperatorem Sanctum vita defunctum in Imperio, ac Regno Conradus Dux Franconiae excepit. Arnulfus Mediolanenſis Scriptor eorum temporum fere aequalis, cujus Hiſtoriam nondum typis commiſſam in Ambroſiana ſervamus, haec de ejus coronatione tradit: *Rediens vero ſecurus Heribertus Archiepiſcopus in omnibus, totam ſuis legationibus evertit Italiam, alios re, alios ſpe benevolos faciens, donec ſuum Electum laudavere fere omnes ſuſcipiendum. Tali fultus remigio veniens Conradus Italiam, ab eo, ut moris eſt, coronatur in Regno.* Sed ubinam, inquies, Conradi inunctio celebrata fuit? Reſponſum Sigonii verbis dabo ad Annum 1026. ita loquentis: *Magno inde honore Mediolanum Conradus intravit, ac Regium ab Archiepiſcopo Diadema ſuſcepit.* Baſilicam Ambroſianam ad hoc muneris delectam, prout ab aliis Regibus uſurpatum fuerat, Puricellus num. 217. adnotavit. Hujus autem coronationis in urbe Mediolanenſi peractae fidem faciunt tum Gualvaneus Flamma in Chronico Majori MS. num. 746. & in Manip. Florum Cap. CXXXXI. tum alia Mediolanenſium documenta. Quin ipſi Modoëtienſes Hiſtorici hanc laudem Mediolano tribuunt, quamquam Modoëtiae quoque Conradum corona donatum ſcribant. Utramque coronationem poſt Gualvaneum, ceteroſque Hiſtoricos Mediolanenſes Sigonius affirmavit, remque geſtam his ad opinionem ſuam accommodatis verbis Anno 1026. deſcripſit: *Mediolano deinde Conradus Modoëtiam progreſſus, ibi iterum coronari ſe, vetere renovata conſuetudine, petiit. Et cum id neceſſarium eſſe Herebertus negaret ſe Caroli Magni, ac poſterorum ejus exemplo permoveri reſpondit.* Sed heic praeterire non poſſum Gualvanei ſententiam a nonnullis etiam aut relatam, aut probatam de origine nominis *Modoëtia*. Cap. DCCXXXXVI. Chron. Major. inquit hic Auctor: *Conradus fuit per Archiepiſcopum Mediolanenſem coronatus in S. Ambroſio. Deinde petiit coronari in Burgo dicto Narentia, cui cum dictum fuiſſet, ex quo in Mediolano corona-*

tus fuerat, *non oportet*, *ait: Modo etiam*. *Ex tunc illa Terra quondam dicta Narentia dicitur Modoëtia*. Nugatur hercle hoc in loco Gualvaneus; pro comperto enim habemus ante illa tempora Modoëtiae nomine inſigne Oppidum appellatum fuiſſe. Paulus Diaconus *Modiciam* Cap. XXII. Lib. IV. de Geſtis Langob. & alibi appellaverat; Berengarius vero Italiae Rex, Tertiuſque Otho hujuſmodi nomen ante Conradi aetatem loco tribuerant. Conrado poſtea Caeſare e vivis ſublato, in ejus locum ſubrogatus eſt Henricus Secundus, qui, ut ait Sigonius Lib. VIII. de Regno Ital. Anno 1046. *a Lombardis benigne acceptus continuo acceſſit Mediolanum*, *ac Mediolanenſium cum Vidone Archiepiſcopo lite compoſita*, *ferream illius manu de more Coronam in aede D. Ambroſii ſuburbana recepit*. Recepta jam ſibi licentia Zucchius his Sigonii verbis alia adtexuit, nempe *tum Modoetiae accepit*. Mediolanenſes ſane Scriptores ſemel tantum Italici Regni Coronam ab Henrico acceptam ſcribunt, eamque non e Vidonis, ſed ex Heriberti Archiepiſcopi manu. Verum Bonincontrus Lib. I. Cap. XXXV. hunc *primo in Modoëtia poſtea in Mediolano coronatum* fuiſſe tradit. Quod quam verum ſit, videat ille, & Balthaſſar Fidelis, neque enim falſi crimine eorum teſtimonium heic arceſſere licet. Henricum II. ſequitur Tertius, ſeu ut alii appellare ſolent, Quartus, homo ſeditioſus, multorumque in Italia, atque in Eccleſia Schiſmatum Auctor. Hunc Italici Regni diademate donatum nuſquam legimus, ſi Balthaſſarem Fidelem, & Zucchium Scriptores Modoëtienſes excipias. Et quidem hujus rei teſtes a Zucchio producuntur Bonincontri Annales, quum tamen Bonincontrus idem candide fateatur, ſibi rem prorſus latere his verbis: *Obiit Henricus Anno Domini MCVII. Quod fuerit coronatus in Modoëtia*, *vel in Mediolano*, *in Scripturis Chronicarum non invenimus*. Vivente adhuc Henrico, diriſque omnibus per Gregorium VII. Sanctiſſimum Pontificem, ejuſque ſucceſſores devoto, Langobardici Regni habenas ſibi regendas adverſus patrem ex auctoritate Urbani Papae Conradus ſumit, quem Cononem ab aliis appellatum invenio. Is Germania relicta ad Inſubres, alioſque Imperium Henrici peroſos, feliciter ſe recipiens cum Modoëtiae, tum Mediolani honorem Coronae conſequitur. Auctorem habeo Landulfum a S. Paulo, cujus Hiſtoriam MS. in Ambroſiana Bibliotheca cuſtodimus, ſeculi a Chriſto nato duodecimi accuratiſſimum ſcriptorem, atque in haec verba loquentem Cap. I. *Cono quoque Rex*, *qui dum pater ejus Henricus viveret*, *per contractionem Matildis Comitiſſae*, *& officium*

hujus

hujus Anſelmi de Rode (Mediolanenſis Archiepiſcopi) *fuit coronatus Modoëtiae, & in Eccleſia S. Ambroſii regali more.* Landulfo teſtimonium addamus Bertholdi Presbyteri Conſtantienſis, fideliſſimi eorum temporum Hiſtorici, qui ad Annum 1093. haec narrat: *In Longobardia Cuonradus filius Heinrici Regis a Patre dolo circumvenitur, & captivatur, ſed Dei miſericordia inde ereptus a Mediolanenſi Archiepiſcopo, & reliquis fidelibus S. Petri in Regem coronatur.* Iterum inquit laudatus Auctor: *In Longobardia venerabilis Anſelmus Mediolanenſis Archiepiſcopus in cauſſa S. Petri ſtudioſiſſimus, & qui nuper Cuonradum incoronavit &c.* Ejuſmodi coronatio, ut animadvertit Puricellus num. 281. Zucchium fugit, imo, ut animadverti ego, Bonincontrum quoque, alioſque Mediolanenſium Hiſtoriarum conditores. Illam tamen alii ſcriptores retulerunt, & omnium noviſſime Cl. Pater D. Benedictus Bacchinus Monachus Benedictinus adnotavit Lib. III. Hiſtoriae Monaſterii *di Polirone.* Annus a Chriſti nativitate 1110. agebatur, prout Sigonius Lib. X. de Regno Ital. ſcribit, quum Henricus Imperator hujus nominis Quartus Henrici famoſi Imperatoris filius *valido exercitu coacto in Italiam trajecit. Mediolanum deinde acceſſit, atque ibi per Chryſolaum Archiepiſcopum regium inſigne ſuſcepit.* Sunt haec Sigonii verba, quae pro more, ac fide ſua in haec Zucchius mutavit: *Ibi per Chryſolaum Archiepiſcopum inſigne ferreum ſuſcepit.* Neque praetermittam, a Bonincontro coronationem hanc affirmari, ita tamen ut Modoëtiae primo, deinde Mediolani peractam fateatur. Audiamus ipſamet hujus verba: *Hic Henricus a Griſolano Mediolanenſi Archiepiſcopo primo in Modoëtia, poſtea in Mediolano coronatus eſt.* Puricellus quidem num. 310. & 320. Landulfi ſupra laudati auctoritate nixus, Chryſolaum, ſeu Groſulanum, ut vulgus appellabat, Imperatoris hujus inaugurationi haud interfuiſſe contendit, neque Gualvaneo aſſentiri poteſt, qui Anno 1110. Caeſarem hunc ab Archiepiſcopo Jordano inunctum tradit Cap. CLXII. Manip. Florum; etenim eo anno Epiſcopales infulas nondum Jordanus acceperat. Utcumque tamen res acta fuerit nil in praeſentia moror, ſatis enim conſtat, Coronam Italicam Henrico Quarto collatam, licet a quonam collatio fuerit facta, incertum ſit adhuc. Poſt Henrici Quarti interitum a Gibellinorum impotenti dominatu ſoluta Italia reſpirare aliquantulum poterat, niſi diu cladibus, inteſtiniſque odiis foede diſcerpta bello quam paci ſervire maluiſſet. Neque meliori fato Germania tunc fruebatur, ubi Lotharius, & Conradus Regni jura armis proſeque-

ſequebantur. Conradus proſpero uſus conſilio in Italiam properat; exercitu potenti ſeptus, gratiamque Mediolanenſium iniens *ab eorum Archiepiſcopo Anſelmo Modoyci* (nempe Modoëtiae) *ſede Italici Regni in Regem ungitur*. Poſtrema haec verba Othonem Friſingenſem Epiſcopum auctorem habent Cap. XVII. Lib. VII. Chron. Similia Sigonius repetit ad Annum 1128. quo Anno probabilius eſt, coronationem hanc fuiſſe factam. Verum nollem ab his verbis alicui moveri ſuſpicionem, Modoëtiae tantum coronationis hujus honorem contigiſſe; etenim Mediolani quoque Conradum pari ſplendore inunctum narrat locupletiſſimus ipſarum rerum temporumque teſtis Landulfus a S. Paulo, cujus Hiſtoriam nobis MS. eſſe ſupra ſignificatum eſt. Hic igitur Cap. XXXIX. ita ſcribit: *Anſelmus Archiepiſcopus Mediolanenſis in Caſtellis habitans intellexit, quod Clerus, & Populus Mediolanenſis nobilem Principem Conradum cum Eccleſiaſtica pompa, & civili triumpho conveniente Regi naturali ſuſcepit. Cum autem Clerus, & Populus idem de coronando Rege tractaret, Pontifex idem Anſelmus a Leuco deſcendit ad Modoëtiam, qui eſt primus locus coronae Regis Italiae &c.* Poſt alia, quibus operam a ſe pro coronatione hac navatam Landulfus narrat, haec addit: *De cetero ipſe, quaſi conſentiens communi omnium gentium voto, in Eccleſia S. Michaëlis, quae eſt Modoëtiae, benedixit, & unxit &c. & Coronam electo Conrado in Feſto S. Petri poſuit &c. eamdem quoque ſolemnitatem coronationis idem Pontifex in Eccleſia S. Ambroſii me alibi non meo vitio detento celebravit*. Lotharium vero II. Imperatorem meliori jure ad Regium munus electum, tum Bonincontrus, tum Gualvaneus, aliique Scriptores Mediolanenſes non Mediolani tantum, ſed etiam Modoëtiae corona donatum ſcribunt. Tot Auctoribus fidem non adhibere, illiberalis animi foret, quanquam minus rectis fundamentis illos inniti animadverterim; ſiquidem Gualvaneus facti hujus teſtem appellat *copiam Landulfi*, hoc eſt Landulfi a S. Paulo Hiſtoriam, ubi certum eſt unius Conradi coronationem referri. Zucchius vero Othonem Friſingenſem laudat, & haec verba illi pro more affingit: *Lotharius a Mediolanenſibus honorifice ſuſcipitur, & ab eorum Archiepiſcopo Anſelmo Modoëtiae ſede Italici Regni in Regem ungitur*. Quae certe de Conrado tantum pronunciaverat Otho. Ceterum Lotharius humanis ereptus Conrado, qui Regno antea renunciarat, juſtam regnandi ſpem aperuit. Votum res plane ſequuta eſt, etenim rite ab omnibus Rex renunciatus, ſi Scriptoribus Mediolanenſibus heic fidem habemus, Italiam rurſus intrans

Mo-

Modoëtiae, ac Mediolani juſtiore titulo Coronam obtinuit. Gualvaneus haec ad illum pertinentia carmina Cap. CLXXI. Manip. Florum refert:

Conſilio Seneca, ſpecie Paris, Hector in armis,
Lothario moriente, venit Conradus honeſtus,
Eſt Mediolani diadema potenter adeptus.

An hoc revera praeſtitum fuerit, valde Puricellus num. 400. Monum. Baſil. Ambr. dubitare videtur, quum ferme conſtet, Conradum pluribus diſtentum implicitumque curis ad Inſubres redire minime potuiſſe, ejuſque de ingreſſu in Italiam conſilium morte repentina fuiſſe praereptum.

CAPUT NONUM.

Friderici I. Aenobarbi coronationes variae explicantur. Henrici ejus filii, Othonis IV. & Friderici II. examinantur.

VENIO nunc ad Fridericum I. Imperatorem cognomento Aenobarbum, quo nemo crudelius Italiam caedibus, & vaſtitate direpit. Illum teterrimum Urbis ſuae everſorem nunc etiam Inſubres horrent, illum Cathedra Petri, imo Italia diu ſenſere libidine dominandi virtutes opprimente, quibus alioqui animus Friderici affluebat. Hunc in Italiam trajeciſſe, coronamque ab Uberto Archiepiſcopo ſuſcepiſſe Annales Mediolanenſium teſtantur. Gualvaneus in Manipulo Florum Cap. CLXXVIII. *Anno*, inquit, *Domini MCLV. Federicus Barbarubea per montes Taurinos faciens tranſitum pervenit Mediolanum, ubi coronatus eſt.* Idem repetit in Chronico Majori Cap. DCCCXXXXI. Quod tamen Gualvaneus ad Annum 1155. refert, Sigonius ceterique Scriptores accuratiſſimi Anno 1154. peractum tradunt. Sed minime contentus Mediolanenſi coronatione Fridericus, ubi Derthonenſem Urbem captam, direptam, flammiſque barbare traditam vidit, Papiae quoque Anno 1155 ſibi coronam imponendam curavit. Hujus rei teſtem habeo Othonem Friſingenſem ipſius Friderici patruum, qui Lib. II. Cap. XX. de geſtis hujus Imperatoris, ita ſcribit:

bit: *Peracta victoria, Rex a Papienſibus ad ipſorum Civitatem triumphum ſibi exhibituris invitatur, ibique ea Dominica, qua Jubilate canitur, in Eccleſia S. Michaëlis, ubi antiquum Longobardorum palatium fuit, cum multo civium tripudio coronatur.* Eadem juxta Sigonium, ceteroſque Auctores legas. Plures deinde cauſſae interceſſere, quibus Mediolanenſium potentia Imperatori ſuſpecta, atque adeo ingrata eſſe coepit; quumque hi in officio contineri haud poſſent, Fridericus ad iram pronus armis rem agere decrevit. Tunc primam ab hoc Imperatore obſidionem experta eſt Civitas, majoribus etiam damnis affligenda, niſi populus concordiam cum Caeſare pactus ſpeciem quamdam deditionis elegiſſet. Anno igitur quinquageſimo octavo ſupra Milleſimum, ac centeſimum Fridericus *motis Mediolano caſtris, Modoëtiam ſedem olim Italici Regni perrexit, & Coronam induit.* Haec Sigonius Lib. XII. de Regno Italiae, cui praeiverat Radevicus, qui ordinem proſequitur Hiſtoriae ab Othone Friſingenſi de Frider. rebus geſtis ſcriptae. Ita vero hic loquitur Lib. I. Cap. XXXXIV. *Princeps Romanus a Mediolano caſtra movens apud Modoicum* (ſcilicet Modoëtiam) *ſedem Regni Italici coronatur. Quam Eccleſiam jam dudum a Mediolanenſibus ſubactam, ac fere deſtructam priſtinae libertati reddidit, ſedemque propriis expenſis magnifice reparari praecepit.* Guntherus etiam Ligurini Lib. VIII. luculentum hujus rei teſtimonium poſteris dedit canens:

Tunc demum victa Fridericus ab Urbe receſſit,
Modoinumque petens priſco dignatus honore
Illuſtrare locum, ſacro diademate crines
Induit, & dextra geſtavit ſceptra potenti.
Hanc fortuna diu, Ligurumque potentia dives
Eximiam Regni proavorum tempore ſedem
Preſſerat, & longa victam ditione tenebat.
Sed placidus Princeps primaevo cuncta decori
Reſtituenda putans, injuſtis legibus illam
Exemit, priſcumque loco reparavit honorem.

Hoc alii Scriptores tradidere, quanquam in Anno hujus coronationis aſſignando inter ſe diſſentiant. Pervetuſtam in Ambroſiana Bibliotheca Hiſtoriam MS. habemus, quae *Chronicon Angleriae* inſcribitur. Auctor fortaſſe quidam nomine Daniel fuit, vixitque ante Gualvanei tempora, quippe ab iſto ſaepe in Hiſtoriis laudatur. Si huic

Digitized by Google

huic Scriptori credimus, longe poſt Annum 1158. Modoëtienſis coronatio contigit; enumeratis enim iis, qui Mediolanum aut per proditionem dediderant, aut per ſummam barbariem everterant, haec addit: *Et iſti fuerunt traditores, qui intraverunt vigeſima die menſis Aprilis pro Imperatore, & duxerunt eum una die Paſchatis Pentecoſtes ad S. Johannem de Modoëtia ad coronandum eum.* Bonincontrus vero Cap. XXXX. *Hic*, inquit, *ante quam Romam iret, in MCLIV. Lombardiam ingreditur de menſe Octubris, & in Modoëtia coronatur.* Ita Fridericus ſive ut populorum animos ſibi arctius devinciret, ſive ut meliori jure in Italia dominari videretur, ter coronari voluit. Annus deinde ſexageſimus ſecundus ſupra milleſimum, ac centeſimum, Mediolanenſis urbis funeſtiſſimum excidium vidit. In eo non tantum populi vires fractae, ſed Urbs ferme tota ſolo aequata; barbaro plane exemplo, quum ne ipſa quidem aut antiquitate, aut magnificentiâ illuſtria Civitatis monumenta impotentiam victoris effugere potuerint. Rebus tandem compoſitis, Anno 1184. ut Sigonius, & Gualvaneus cenſent, ſive ut Baronius, ac Puricellus arbitrantur, 1185. Imperator rurſus Mediolanum venit, ubi Henricum filium Corona Italica vinciendum Uberto Archiepiſcopo obtulit. Res magno apparatu & pompa celebrata eſt in Ambroſiana aede, atque a Gualvan. in Manipul. Flor. Capit. CCXXX. his deſcribitur: *Anno Domini MCLXXXIV. in Civitatem Mediolani Imperator Federicus cum filio ſuo Henrico ſummo cum gaudio intravit. Ibi per Archiepiſcopum Algiſium de Pirovano Henricus in praeſentia Imperatoris coronatus fuit in Brolio S. Ambroſii.* Eadem iterum legas Cap. CCXII. Manipuli laudati. In Chronico vero Majori Cap. DCCCCXXVII. deſcriptis nuptiis inter Henricum, & Conſtantiam incredibili magnificentia penes S. Ambroſium celebratis, addit: *Et ambo ſcilicet ſponſus, & ſponſa fuerunt coronati in S. Ambroſio, & in Modoëtia.* Atque haec quidem ſecundum exemplar MS. Ambroſianae Bibliothecae; nam in exemplari, quo uſus eſt Puricellus, nihil de Modoëtienſi coronatione Gualvaneus habet, imo non ab Algiſio, ſed ab Uberto Archieſpicopo Henricum corona redimitum affirmat, ſuntque ejus verba: *Poſt aliquot dies venit Henricus filius ejus Rex Alamaniae, & petiit coronari per Archiepiſcopum Mediolanenſem. Ubertus de Crivellis ipſum incoronavit in Eccleſia S. Ambroſii.* Similia retulere Donatus Boſſius in Chronico Mediol. Corius parte I. Hiſt. Mediol. aliique Chronographi. At Bonincontrus Lib. I. Cap. XLI. Hiſt. Modoët. ſic loquitur: *Quod hic*

Henricus fuerit coronatus in Modoëtia, vel in Mediolano non habemus. Balthaſſar vero Fidelis Cap. ult. de praerog. B. Joannis Baptiſtae, Regibus Modoëtiae inauguratis minime Henricum Quintum accenſet. Proinde locum nobis eſſe non video, ut Henricum Modoëtiae coronatum affirmemus, ſilentibus Auctoribus, aut rem Mediolani tantum peractam ſcribentibus. Nihilominus Zucchius Cap. XXVII. ex probato Auctore, ut is eum ſuppreſſo nomine appellat, haec ſe accepiſſe tradit: *Fridericus Verona digreſſus Mediolanum petiit, atque ibi primo, mox in templo maximo Modoëtiae ingenti rerum apparatu Henricum filium Regem Italiae Corona ferrea redimiri per Archipresbyterum haud difficile impetravit.* Si bona fide Zucchius perpetuo eſſet, utique hoc in loco ex aequo & bono cum eo agi poſſet, eique Anonymum Auctorem laudanti fides aliqua haberetur. Verum qui toties Lectoribus imponere ſibi religioni haudquaquam duxit, merito heic quoque falſi ſuſpicione aſpergitur. Cur enim Scriptoris a ſe producti nomen producere erubuit, niſi ut fictis nominibus incautae genti illuderet? Patiantur quaeſo benignae aures, ſi verba ſuperius laudata partim a Sigonio accepta, partim a Zucchio conficta arbitrer, nimio ſuae patriae illuſtrandae ſtudio eum ſtimulante. Inquit Sigonius ad Annum 1184. *Fridericus Verona digreſſus Mediolanum acceſſit, atque ibi magno rerum apparatu Henricum filium, qui ſe ſubſequutus advenerat, per Lambertum Archiepiſcopum Regem Italiae faventibus Mediolanenſibus coronavit.* Philippo, quem Henricus Quintus ſucceſſorem habuit, e vivis violenta morte erepto, Germaniae Rex Otho Quartus renunciatus fuit. Hic Italici Regni, Romanique Imperii ſuſcepturus inſignia Anno 1209. Italiam ſuperatis Alpibus intravit, & a Mediolanenſi populo ſumma cum magnificentia, quantam unquam majores viderunt, exceptus ab eorum Archiepiſcopo Coronam in Ambroſiana Baſilica accepit. Rem prodit Gualvaneus Cap. DCCCCLXXXIV. in Chron. Majore his verbis: *Fuit autem coronatus per Archiepiſcopum Mediolanenſem in Sabbato Sancto in Eccleſia S. Ambroſii, qui pro ſua coronatione nihil voluit recipere.* In Manipulo vero Cap. CCXXXXIV. eadem repetit, apparatumque pompae deſcribit, qua Caeſari Mediolanenſes occurrerunt. Gualvanei ſententiae ſubſcribunt Corius, Boſſius, una cum aliis Mediolanen. Scriptoribus. Sigonium etiam Lib. XVI. haec narrantem audiamus: *Conſtituto die*, inquit, *ab Huberto Archiepiſcopo in Baſilica S. Ambroſii ingenti pompa corona ferrea, antiquo Regni Italici monumento ornatus eſt.* Porro Zucchius, qui Modoëtiae corona-

Digitized by Google

coronationem hanc tribuere, Bonincontro potiſſimum ſilente, non eſt auſus, ſat habuit Sigonii loco unum addere verbum, *Coronaque ferrea Modoëtienſi* Othonem inſignitum dicere. Ceterum hic Imperator neque promiſſorum memor, neque religionis ſtudioſus, ubi Romanam Eccleſiam, Pontificemque Innocentium contemnere coepit, de Imperii jure deturbatus, & Catholicorum communione privatus juſto Friderici II. Regno locum fecit. Sed Fridericus impotenti ambitione inflatus tot cladibus modo victor, modo victus, Italiam ita, Eccleſiamque dein afflixit, ut Regno & ipſe indignus Romani Pontificis ſententia habitus fuerit. Infelix, qui Avum Aenobarbum errantem imitatus, illum poenitentem ſequi recuſavit. Anno 1210. ad ſolium aſcendit, Anno vero 1250. ad tumulum, relicta ſui nominis infami memoria. Hunc Principem Mediolani coronatum nuſquam legi; imo Gualvaneus in Manip. Flor. Cap. CCLV. hujuſmodi honorem illi a Mediolanenſibus denegatum teſtatur. *Anno*, inquit is, *MCCXX. V. die Septembris Rogerius Federicus Rex Siciliae electus Imperator Italiam intrans a Mediolanenſibus Coronam petiit, quam ejus Avus Federicus Barba rubea, & pater ejus Henricbus quondam in S. Ambroſio receperant, quod Mediolanenſes rotundo ore denegaverunt*. Quod Sigonius etiam eodem Anno, atque alibi ſcribit. Certe huic Caeſari infenſus perpetuo fuit Mediolanenſis populus, neque minis, armiſve unquam ita flecti potuit, ut ſuperbo Regi parêret. Attamen Auctor eſt Bonincontrus Cap. XXXXIII. Fridericum Modoëtiae Italici Regni Corona redimitum fuiſſe, quod ille his tantum verbis jejune refert: *Hic in Modoëtia coronatur*. Nihil hujus Auctoris teſtimonio movemur, quum nullos alios hujuſce facti teſtes inveniamus.

CAPUT DECIMUM.

Henricus VII. Mediolani Corona redimitus. Monumentis vetuſtis res geſta illuſtratur.

PLURIMI poſt haec interceſſerunt anni, quibus Italia contumacibus Guelforum, ac Gibellinorum diſcordiis diſſenſionibuſque agitata nullum Caeſarem vidit. Anno vero 1310. Henricus hujus nominis VII. (ita enim appellari ſolet) Romanorum Imperator electus, ut afflictam Italiam recrearet, Regnique inſignia acciperet, Germania relicta Mediolanum ſe contulit. Fervebant heic potiſſimum improba partium ſtudia, hinc Guidone Turriano, illinc Matthaeo Vicecomite rerum potiri cupientibus. Sed his odiis aliquantulum Auguſti praeſentia compreſſis Anno ſequenti 1311. die ſacro Epiphaniae in Ambroſiana Baſilica per manus Caſtonis Archiepiſcopi Henricus ipſe Italicam Coronam conſequutus eſt. Habeo iſtius rei Auctores Joannem de Cermenate, & Gualvaneum illius temporis aequales, tum Georgium Merulam, Triſtanum Chalcum, Corium, ceteroſque Mediolanenſium Annalium conditores. Unum Gualvaneum audiamus ita in Manip. Flor. Cap. CCCLII. ſcribentem: *Anno Domini MCCCXI. Imperator in die Epiphaniae in Eccleſia S. Ambroſii fuit coronatus per Caſtonum de la Turre Archiepiſcopum Mediolanenſem ſuper totam Italiam, Normandiam, & Saxoniam, & iſta Corona fuit ferrea; Imperatrix autem Corona aurea coronata fuit, & ſic ſoluto crine ad ſuum Palatium reverſa eſt. Interfuerunt iſti coronationi Archiepiſcopi, & Epiſcopi numero XXVII. Ambaſciatores de Roma, & de Janua, totaque Lombardia &c.* Sed quoniam Henrici VII. coronatio hujus libelli anſam praebuit, non abſurde facturum me arbitror, ſi longiori oratione Hiſtoriam hanc perſequar, ut quid hac in re tum Mediolanenſes, tum Modoëtienſes praeſtiterint, clariſſime explicetur. Incerto conſilio diſtrahebatur Henricus, utrum Mediolani ſolum, an Modoëtiae quoque regalia ornamenta ſibi ſuſcipienda forent, quum utrinque & exempla veterum Caeſarum, & rationes dubiam loci praeſtantioris dignitatem relinquerent. Quod ex uſu ſibi futurum Rex putabat, ad Archipresbyterum, Canonicoſque Baſilicae S. Joannis

nis Baptiſtae Modoëtienſis literas dedit, quibus expoſcebat, ut ſi qua forent Diplomata, ac monimenta jus eorum probantia, ea Mediolanum continuo transferrentur. Epiſtolam Bonincontrus refert Cap. VI. Lib. II. Eaque ſic ſe habet:

Henricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus honorabilibus viris Archipresbytero, & Capitulo in Modoëtia devotis ſuis dilectis gratiam ſuam, & omne bonum.

DEvotioni veſtrae ſerio praecipimus, & mandamus, quatenus Archipresbyter, & tres veſtrum de Capitulo ſeniores, & prudentiores, quibus de negotio Coronae ferreae magis conſtet, ſine contradictione, & dilatione qualibet noſtram praeſentiam accedatis, privilegia, vel inſtrumenta, ſi qua ſunt in Modoëtia, & habueritis, apportantes. Et ſuper his ſtrenuis viris Alard de Robaës, & Clecumpher de Genuille militibus noſtris, exhibitoribus praeſentium fidem credulam apponentes. Data Mediolani VIII. Kalendarum Januar. Regni noſtri Anno ſecundo.

Quaſnam ad tuendum jus ſuum rationes attulerint Modoëtienſes, me plane fugit. Certe illae hujuſmodi non fuerunt, ut Mediolano palmam praeriperent; in hac enim Urbe revera Caeſar coronandum ſe praebuit, nulla Modoëtienſium ratione habita. Albertinus Muſſatus eorum temporum Scriptor Lib. I. de Geſtis Henrici VII. poſtquam Mediolanenſem coronationem narravit, haec addit: *Quamquam diſceptatum, an Modoëtiae id fieri oportuerit, ut plurimum moris antiqui fuerat: deciſum tamen, & illic fieri non oportere.* Verum quaenam cauſſa tantum Modoëtienſi populo decus contenderit; a Bonincontro Scriptore & ipſo Modoëtienſi audire non pigeat, rem ita Cap. VI. Lib. II. memorante: *Convocatis igitur undique Italicis Principibus ad ſolemnem coronationem fiendam Regi in Modoëtia, prout debet de jure, parabantur feſtinando neceſſaria coronationi Regis in templo B. Joannis Baptiſtae univerſae Italiae ſanctiori. Qui Rex die VI. Januarii Anni proximi ſequentis ad Modoëtiam Terram cepit iter, & magnifice a Modoëtienſibus receptus fuit. Cumque ibi partem trium dierum ſteriſſet, & cautiſſime, quod ad Mediolanum proditiones a Guidone de la Turre texebantur, ei intimatum foret, ipſa die ſuper populum Modoëtiae in prato magno pulcherrimum ſermonem locutus fuit, & multa bona tamquam hominibus ſo-*

lummodo

Digitized by Google

lummodo ad Imperatoriam majeſtatem pertinentibus promiſit. Et accipi juſſit baculum abbani, & libellum orationum ad ejus coronationem locum habentium, qui dudum in dicta Eccleſia Beati Joannis fuerant. Sine dilatione properavit in die Epiphaniae in Eccleſia Beati Ambroſii Confeſſoris a Caſtone de la Turre Archiepiſcopo Mediolani in Regem Italiae unctus ferreo diademate coronatus fuit. Faciens coram Baronibus ſuis tradere cartam, quod per illam ſuam coronationem nolebat derogare, nec derogabat jura Terrae ſuae de Modoëtia, in qua ſui Anteceſſores de jure Regni coronari conſueverant, quae carta eſt hodie ad Cameram dictae Communis Terrae. Et ultra homines dictae Terrae, oblatis per eos V. mill. Florenorum auri ad Cameram illius, de fortiſſimis privilegiis, prout ſui Anteceſſores fecerunt, adoptavit. Haec Bonincontrus, quae ad trutinam, & examen revocari debere videntur. Equidem miror, Scriptori huic, qui circiter Annum Chriſti 1345. Hiſtorias ſuas literis conſignavit, atque Henricum propterea in vivis agentem videre potuit, Imperatoris hujus geſta tam parum fuiſſe perſpecta, ut ſecum ipſe in eorum deſcriptione pugnare videatur. Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, vel ipſo Bonincontro fatente, die Sacro Epiphaniae, videlicet ſexto Januarii die, Henrici coronationem Mediolani fuiſſe celebratam. Quei igitur eodem die Modoëtiam ſe conferre Imperator potuit, ibique *partem trium dierum* immorari, tum ad Mediolanenſem coronationem accedere? Deinde ſi tres ferme dies in illuſtri Oppido ſe continere potuit Caeſar, cur per illud tempus ibi coronam ſuſcipere minime illi vacavit, quum alioqui uno tantum die opus facile expediri poſſet? Poſtremo pene exploratum habeo, nil ſibi Henricum eo tempore a Guidone Turriano timuiſſe; Scriptorum enim omnium auctoritate conſtat, ſeditionem longe poſt eos dies exarſiſſe, neque vel levem pacis infringendae ſuſpicionem tempore coronationis occurriſſe. Utique Bonincontri rationes, & dicta non aſſequor, tametſi damnare falſi non audeam. Rectius fortaſſe haec tradit diſertiſſimus, ac diligentiſſimus Hiſtoriae Mediolanenſis Scriptor Triſtanus Chalcus, quum Lib. XX. peracta coronatione Henricum Modoëtiam moviſſe narrat, ut Civium illorum querimoniis faceret ſatis. *Eorum* (ſunt verba Triſtani) *vanitatem, intempeſtivaſque querimonias, etſi vetera exempla coarguebant, tamen Henricus Moguntiam profectus eſt, & viſitata aede celeberrima, privilegia Oppidanis confirmavit, quibus a juriſdictione Praetoris Mediolani eximuntur.* Quod reliquum eſt, injuſte, ut mihi videtur, Georgio Merulae ſuccenſet Balthaſſar Fidelis, quod ſcri-

ſcripſerit Lib. VII. Antiqu. Vicec. Modoëtienſibus ab Henrico jus coronandi Regis fuiſſe reſtitutum, *quod beneficium haud gratuitum fuit; quinque enim millibus aureorum privilegium eos redemiſſe conſtat*. Haec Georgius Merula, & poſt illum Gaudentius Merula Lib. III. Cap. IX. Antiqu. Gall. Ciſalp. non ex opinione ſua, ſed ex Bonincontri ſententia ſcripſere, cujus Hiſtorias quin illi evolverint, minime dubium eſt mihi. Riſu autem dignus eſt Zucchius, dum contra aut per errorem, aut per malam fidem tanta aureorum mole Modoëtienſem populum ab Henrico donatum narrat; conſtat enim inter Principes pauperrimum fuiſſe Henricum, ut Joannes de Cermenate ſaepe teſtatus eſt.

CAPUT UNDECIMUM.

Ludovici Bavari. Caroli IV. ac Sigiſmundi Coronationes Mediolanenſes referuntur. Fridericus III., & Carolus V. Corona ferrea donati. Onuphrii Panvinii opinio refellitur.

POst Henrici VII. mortem, Regnum, Imperiumque Ludovicus Bavariae Princeps invaſit. Hunc in Italiam advenientem Galeatius Vicecomes Mediolani Dominus, Romano Pontifice nequicquam reluctante, ſummo cum honore excepit, ejuſque coronationem in hac Civitate promovit. In aede Ambroſiana collata eſt Ludovico dignitas Anno 1327. ſed nec rite, nec a legitimo Epiſcopo. Vido Tarlatus, ſeu Petramala, ut Volaterranus Lib. XXIII. Anthropol. tradit, Aretinus Epiſcopus, Eccleſiaſticis antea cenſuris per Joannem Papam XXII. innodatus, coronandi Pſeudoimperatoris munere eſt functus, Aycardo Archiepiſcopo Mediolanenſi exulante, ſeque Schiſmaticis immiſcere nolente. Rem a Gualvaneo, qui coronationi interfuit, in Manip. Flor. Cap. CCCLVII. his verbis deſcriptam audiamus: *Anno Domini MCCCXXVII. Ludovicus Bavariae Rex, quem Joannes Papa omni Regno, omnique jure Imperiali privaverat intrat Lombardiam, & Mediolanum cum Regina die Dominico XV. Maii ingreditur &c: Hic petiit Corona ferrea coronari. Quia vero Frater Aycardus Archiepiſcopus Mediolani, ad quem coronatio Imperatoris de jure pertinebat, exulabat, per quemdam Epiſcopum Aretinum in Feſto Pen-*

tecoſtes

tecoſtes ſequenti, quae fuit die ultimo Maii, Corona ferrea coronatur in Regem totius Italiae, Normandiae, & Saxoniae; Regina vero Corona aurea coronata fuit, ſicque Epiſcopus depoſitus Imperatorem depoſitum injuſte perunxit &c. Porro Bonincontrus a vero longe abeſt quum Lib. II. Cap. XLII. Ludovicum Mediolani coronatum *ab Epiſcopo de Arezio Mediolanenſi Archiepiſcopo* ſcribit. Italiam deinde meliore auſpicio ingreſſus eſt Carolus IV. Caeſareae, Regaliſque dignitatis jura ex Romani Pontificis conſenſu adepturus. Ubinam Italici Regni inſignia ſuſceperit ille, a Zucchio ſciſcitemur oportet. Reſpondet is Cap. XXXII. Petri Galeſinii verbis ita in Catalogo Archiepiſc. Mediolan. ſcribentis: *Robertus Vicecomes Mediolanenſis Archiepiſcopus Carolum Quartum Imperatorem regali hoſpitio accepit, & Modoëtiae in Baſilica S. Joannis Baptiſtae Regem Longobardiae coronavit.* Verum a Galeſinii ſententia diſcedere, eumque heic minus accurate loquutum pronunciare cogor. Non Modoëtiae, ſed Mediolani Carolum Quartum Corona inſignitum fuiſſe, locupletiſſimi, ac graviſſimi rerum Mediolanenſium Scriptores teſtantur, eorumque ſententiam pluris heic faciendam reor. Pervetuſtus Auctor, qui Gualvanei Hiſtoriam Manip. Flor. continuavit ad Annum uſque 1371. haec habet Cap. CCCLXXIX. *Anno MCCCLV. Carolus Rex Romanorum in B. Ambroſii per ipſum Robertum coronatur.* Donatus Boſſius ad Annum Chriſti 1355. *Carolus*, inquit, *Rex coronatus fuit die, quo Epiphaniae ſolennitas celebratur, ad Altare D. Ambroſii per Robertum Vicecomitem Mediolanenſem Archiepiſcopum.* Corius praeterea, Bugatus, ac Morigia iiſdem fere verbis coronationem deſcribunt. Sed & in vetuſta Cortuſiorum Hiſtoria MS. quam laudat Odoricus Raynaldus in Annal. Eccleſ. ad Annum 1355. iſta leguntur: *Menſe Januario, & die Epiphaniae in Eccleſia B. Ambroſii de licentia Summi Pontificis per Archiepiſcopum Mediolani Corona ferrea honorifice coronatur.* Idem tradunt Joannes Dubravius Lib. XXII. Hiſt. Bohemicae, Albertus Argentin. in Chronico, Raphael Volaterranus Lib. XXIII. Anthropologiae, Gherardacius in Hiſtoria Bononienſi, Bzovius in Annalibus, & Cuſpinianus in ejus vita haec habet: *Mediolanum delatus ferrea eſt inſignitus Corona de veteri more.* Referendis aliis Auctoribus ſuperſedeo, quum ſatis hi noſtram tueantur ſententiam. Annus a Chriſti Nativitate trigeſimus primus ſupra milleſimum, & quadringenteſimum recurrebat, quum Sigiſmundum Imperatorem Inſubres a Germania venientem excepere, & VII. Kal. Decembris die ſacro Catharinae in Ambroſiana Baſilica per Bartholomaeum

lomaeum Capram Archiepiſcopum inungendum curarunt. Ipſemet Caeſar rem per literas Juliano Cardinali S. Angeli, aliiſque Patribus Concilii Baſilienſis ſignificavit, ut videre eſt Tomo IV. par. II. pag. 219. Concil. edit. Binii. Inquit autem: *Significamus paternitatibus veſtris, quod ipſo Feſto S. Catharinae Virginis proxime praeterito heic Mediolani in Domicilio S. Ambroſii, majorum noſtrorum imitando veſtigia, Regium diadema aſſumſimus.* Eadem tradunt Raynaldus in Annalibus, Morigia in Hiſt. Mediol. aliique Auctores. Corius vero hac de re juſſu Archiepiſcopi publicum Diploma confectum fuiſſe ſcribit. Illud ego hoc loci producere opportunum arbitror, acceptum a Doctiſſimo viro Joanne Baptiſta Blanchino, qui a Modoëtienſis Baſilicae Archio ſe olim deſcripſiſſe mihi affirmavit.

Inſtrumentum Coronationis Sereniſſimi Imperatoris SIGISMONDI de Corona Ferrea Mediolani &c.

IN Nomine Domini Anno a Nativitate ejuſdem milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, Indictione decima, die vero Dominico vigeſimo quinto menſis Novembris ſecundum ſtylum, & conſuetudinem Civitatis, & Dioeceſis Mediolani. In praeſentia mei Notarii, & teſtium infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum, Reverendiſſimus Dominus Dominus Bartholameus de la Capra DEI, & Apoſtolicae Sedis gratia S. Mediolanenſis Eccleſiae Archiepiſcopus, ad quem, ut dixit, impoſitio Coronae ferreae in Civitate, vel Dioeceſi Mediolani, Romanorum more Caeſareo imponendae tam de jure, quam de longa, antiquaque conſuetudine approbata noſcitur pertinere, exiſtens ad Altare majus Eccleſiae S. Ambroſii Majoris Mediolani in Pontificalibus reveſtitus, & Sereniſſimus Princeps, & Dominus Dominus Sigiſmondus Romanorum ſemper Auguſtus Boemiaeque Rex, Coronam hujuſmodi eidem imponi a praedicto Domino Archiepiſcopo juxta morem ſolitum, poſtulans, & in coronatione hujuſmodi effectualiter adimpleri, quae conſueverunt, & debent in tali celebratione ſervari. Itaque dictus Archiepiſcopus volens officii ſui debitum peragere, & exequi, ut tenetur, auctoritate ſua ordinaria, qua fungitur in hac parte, praedictum Sereniſſimum ſemper Auguſtum, Boëmiaeque Regem ibi perſonaliter exiſtentem pro ſuae Coronationis, ſuſceptioniſque munere unxit in humero ejus dextro juxta formam Eccleſiae conſuetam, & prout alii Reges Romanorum in ſuſceptione Coronae ferreae conſueverunt, & debent ungi. Et deinde poſt inunctionem hujuſmodi,

ſmodi, ut praefertur, factam eidem Domino Regi in digito anulari ejus dextrae manus anulum impoſuit, eique tradidit enſem nudum, ac ſubſequenter capiti ſuo Coronam ferream impoſuit. Et inſuper in ejus dextra virgam Sceptri, & deinde pomum deauratum, quod Monarcum ſignificat, in ſiniſtra manibus aſſignavit, ſervatis omnibus ſolemnitatibus, quae conſueverunt, & debent Romanis Regibus in tanta celebratione ſervari.

Et de praedictis &c.

Annus agebatur vulgaris Epochae 1452. quum Fridericus III. Romanorum Imperator renunciatus, Alpibus emenſis, Ferrariam contendit, illinc Romam accipiendae Imperialis coronae ergo iter continuaturus. Ad eam urbem Franciſcus Sfortia Vicecomes, qui tum in Inſubribus regnabat, Galeatium filium, nonnulloſque Langobardiae Optimates cum donis ablegat, ut benevolum ſibi Caeſarem faciant, eique Mediolanenſem coronationem bono animo offerant. Verum Fridericus, tum quod minime ei probabatur Sfortiae Imperium (quippe Romanorum Regum jura in Inſubres per vim uſurpaverat ille) tum etiam quod Mediolanenſem agrum teterrima peſtis nuper vaſtarat, Romam recta ire perrexit. Ibi a Nicolao V. Romano Pontifice peramice ſuſceptus, omnibuſque honoribus cumulatus rem non parvi ponderis ab eo expetivit; dicens enim: *Terram Mediolanenſem, ubi Corona Langobardici Regni ſuſcipi conſuetum eſt, peſtifera lue infectam, nulloſque mortales ſine periculo illuc proficiſci poſſe, Nicolaum rogavit, ex plenitudine poteſtatis ut ſe Romae Longobardorum Regem coronaret.* Sunt haec Aeneae Silvii verba, quae in Auſtriali Hiſtoria Lib. IV. leguntur. Quid egerit Pontifex, tradit idem celeberrimus Auctor: *Viſa gravis res eſt Pontifici. Sed cum conſulti Cardinales nihil Caeſari negandum dicerent, invitis, ac multum reclamantibus Mediolanenſium Legatis, Idibus Martii apud S. Petri ſummum Altare Federicum in Regem Longobardiae coronavit.* Ceterum juſtiſſimus Pontifex publicas ſub id tempus literas promulgavit, quibus juri, & conſuetudini Langobardici Regni nihil derogari hujuſmodi exemplo volebat, Archiepiſcopi Mediolanenſis in hac re auctoritate nihil imminuta. Laudatum Diploma Raynaldus retulit in Annales Anno 1452. num. 2. Nihilominus Friderici geſta tantum ad exemplum momenti habuere, ut deinde Carolo Quinto Imperatori, qui Bononiam coronationis ergo acceſſerat, argumento fuerint, illic diadema ferreum ſuſcipiendi. Hujus rei fidem habeo

apud

Digitized by Google

apud Raynaldum eumdem, qui ad Annum 1530. verba rituum Magiſtri de hujuſmodi coronatione refert. Inquit autem hic Auctor in libro MS. *VII. Februarii coepi proponere, & interrogare deputatos Imperiales, an electus Imperator, qui jam in Germania primam Coronam ſecundum ritus illorum ſumpſerat, vellet ſecundam coronam, quae ferrea dicitur, capere, & ubi, & a quo, ſeu quibus, & quibus ſolemnitatibus, de qua inveniebam quandoque a diverſis, & diverſimode recepta modo Modoëtiae, quandoque Mediolani, & quandoque alibi. His meis interrogationibus reſponderunt Imperiales, quod Caeſar illam capere omnino intendebat heic Bononiae, & de manu Pontificis per aliquot dies, antequam caperet diadema Imperiale; & allegabant ſimilitudinem bonae memoriae Friderici III. proavi moderni Caroli electi, qui de Anno MCCCLII. per diem ante Coronam Imperialem recepiſſe ferream de manu felicis recordationis Nicolai V. reperiebatur.* Ceterum innumeri Scriptores Bononienſem Caroli Auguſti coronationem literis prodidere, ideoque in re nimium vulgata diutius infiſtere ſupervacaneum foret. Quibus hactenus perſpectis reliquum eſt, ut Onufrii Panvinii celeberrimi viri ſententiam proponamus, illam ad Lydium veritatis lapidem examinaturi. In Lib. de Comitiis Imperatoriis Cap. XI. *de ea Corona, quae ferrea dicitur,* ſic diſſerit laudatus Scriptor ſecundum exemplar Ambroſianae Bibliothecae ab ipſo caſtigatum: *Poſtquam vero Rex Romanorum primum Aquiſgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi diademate Regni Germanici, quod corona argentea dicitur, coronatus eſt, poſtea ſe praeparat ad ſuſcipiendam Imperialem unctionem a Romano Pontifice. Nam coronam ſecundam, quam ferream vocant, Mediolani a poſterioribus Imperatoribus aſſumi ſolitam, ante Friderici II. tempora in uſu nequaquam fuiſſe crediderim. Poſt cujus obitum ea conſuetudo, ut exiſtimo, inolevit, ut Imperator deſignatus, antequam Imperii Romani diadema a Pontifice Maximo ſuſcipiat, Mediolanum primum proficiſcatur, ubi in Baſilica S. Ambroſii, vel Modoëtiae in Baſilica S. Joannis Baptiſtae, iterum conſecretur, & alia corona, quam ferream vocant, ab Archiepiſcopo Mediolanenſi in Regem Longobardorum, vel Italiae coronetur. Quod ante Henrici VII. Lucemburgenſis tempora nunquam (quod ſciam) factum fuiſſe legi. Ipſum enim Henricum VII. primum fuiſſe exiſtimo, qui Mediolani ea ratione coronatus ſit: qui mos cum ceteris quoque ejuſmodi novis ritibus inventus eſt poſt Fridericum II. Imperatorem &c. Neminem praeterea ſuperiorum Imperatorum ab Othone primo uſque ad Fridericum II. hoc diademate coronatum*

 fuiſſe,

fuiſſe, unquam quod ſciam memini apud veteres Auctores me legiſſe &c. Tum ſibi obiicit Panvinius Sigeberti Gemblacenſis, atque Othonis Friſingenſis teſtimonia de Conradi Primi, ac ſecundi coronatione, quae tamen aut tanquam dubia notat, aut aliter explicat. Repellit inde Corii Mediolanenſis auctoritatem, quem non ſine errore aliquando ſcripſiſſe animadvertit. Sed multa accuratiſſimum Panvinium fugêre, quae ſi vidiſſet, non dubito, quin nunquam eam animo opinionem imbibiſſet. Tot ſunt documenta, tot vetuſti Auctores, qui hujus conſuetudinis fidem fecere, ut nil minus, ad veritatem accedat, quam quod Henricus VII. omnium primus Ciſalpini Regni inſignia apud Inſubres acceperit. Heic itaque minime immorabor, ut Panvinii argumenta refellam, quae procul dubio, ſi Commentarius iſte legatur, per ſe ipſa ruunt, atque evaneſcunt. Neque Sebaſtianum Munſterum obtorto collo in jus traham, quod Lib. II. Coſmograph. univerſ. de Modoëtia loquens haec habeat: *In hac Civitate conſueverunt Imperatores ante quadringentos annos ſuſcipere coronam ferream, ſed quae poſtea tranſlata eſt Mediolanum.* Si enim ſingulorum Scriptorum hac de re opiniones aut perpendere, aut damnare animus foret, praeterquamquod operam luderem, me citius charta deficeret, quam ſcribendi materies. Atque ex his hactenus collectis, ac diſputatis, evidenter patebit, Papiae interdum, ſaepius Modoëtiae, Mediolani vero fere ſemper Italicorum Regum coronationes fuiſſe peractas, ideoque hanc Urbem uti Inſubrum longe praeſtantiſſimam, ita in coronandis Regibus primas ſemper tuliſſe. Hoc autem plane conſequitur, quoties ſe Mediolani coronandos exhibent Caeſares, poſſe illos ab aliis in Langobardia coronationibus abſtinere; heic enim legitimum regnandi jus ſedet. Si alibi Corona expetitur, ſplendori potius, quam dignitati amplificatio paratur, & onus minime neceſſarium inquiritur. Vidit hoc Fridericus I. Imperator, atque idcirco in Diplomate, quod Mediolanenſibus conceſſit, apud Puricellum in Monum. Baſil. Ambroſ. num. 587. ita loquitur: *Et reſervata paratica nobis, quae debet praeſtari Filio noſtro Illuſtri Regi Henrico, & omnibus ſucceſſoribus ejus cum primo Coronam Regni Mediolani, aut Modoëtie.* Quae etiam apud Triſtanum Chalcum, & Gualvaneum Cap. DCCCCXVIII. Chron. Major. leguntur: ubi animadvertas, Modoëtienſem coronationem Caeſaribus neceſſariam haudquaquam videri, quod etiam exemplis confirmari poteſt; etenim quamplures Mediolani tantummodo regalia ſuſcepere inſignia.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DUODECIMUM.

Quaenam Baſilicae fuerint, ubi Reges, ac Imperatores coronabantur. S. Michaëlis aedes Ticini, S. Joannis Baptiſtae in Oppido Modoëtienſi, ac Ambroſiana Mediolani.

PRo diverſa locorum ratione, ubi Italicis Regibus Corona imponebatur, diverſae etiam fuere Baſilicae, in quibus coronationis ſolemnia peragi conſuevere. Quod ad Ticinum attinet, quando ibi ut Regum quiſquam coronaretur, contingebat, vetuſtiſſima S. Michaëlis aedes tanto muneri deſtinabatur. Scimus Berengarium, atque Adalbertum, Harduinum, Henricum primum, & Fridericum primum ibidem inunctos. Quod ſi concedamus, Langobardos quoque Reges Corona uti conſueviſſe, aliam Baſilicam in urbe Ticinenſi hujuſmodi dignitate conſpicuam fuiſſe invenio. Paulus Diaconus Lib. VI. de Geſtis Langob. de Liutprando aegrotante in hanc ſententiam loquitur. *Quem Langobardi vita excedere exiſtimantes, ejus nepotem Hildeprandum foras muros Civitatis ad Sanctae Dei Genetricis Eccleſiam, quae ad Perticas dicitur, in Regem levaverunt.* Verum conſuetudini, an tempori tunc Langobardi ſervierint, inveſtigare non licet, monimentis jam diu diſſipatis, totaque antiquitate ſilente. Quum vero Modoëtiae inungebantur Reges, in inſigni Baſilica S. Joannis Baptiſtae, quam Theodelinda Regina aedificavit, illuſtre ſpectaculum celebrabatur. Pluribus exemplis id ita probatum eſt, ut in praeſentia oſtendere ſupervacaneum foret. Non inutile tamen erit huc Bonincontri Modoëtienſis Scriptoris verba nunc derivare ex ejus Hiſtoria MS. Lib. I. Cap. XXII. ubi Coronam ferream deſcribit. Ita vero ſe habent: *Secunda Corona in Modoëtia in nobiliori, & ſanctiori Oraculo totius Regni Lombardorum, maxime pro jure ipſius Regni dato ab Apoſtolica Sede Imperatori. Qui Oraculus aedificatus fuit a Sanctiſſima Theodolinda Longobardorum Regina per revelationem divinam in honorem Dei, & B. Johannis Baptiſtae, in quo etiam Oraculo plurimi Longobardorum Reges coronati, alii ad Fidem converſi baptizati ſunt, & ſepulti, & ipſa Regina una cum Rege unanimiter cum majoribus natu Longobardorum ibi S. Johanni voverunt ſuum patrimo-*

trimonium, & defenſorem ipſum vocaverunt, prout de ipſo diximus ſupra. Et haec Corona ſuper Italiam, Normandiam, & Saxoniam eſt ferrea inſignum juſtitiae, & maxime quia victae fuerunt a Karulo dictae provinciae ferro, ideo datur de ferro, quia ſicut ferrum eſt durius, & fortius ſuper omnia metalla, & cuncta metalla, & omnia alia domantur a ferro, & ei ſupponuntur, ſic omnia temporalia debent ſupponi, & ſubiacere ad juſtitiam Imperatoris. Quapropter cum provincia Lombardiae ſit fortior, & fertilior ſuper ceteras provincias Italiae, in ipſo nobiliori, & ſanctiori illius provinciae Lombardiae Oraculo S. Johannis Imperatori datur balia, & fortitudo faciendi juſtitiam ſanguinis. Non ita tamen in S. Joannis templo coronationis locus fixus erat, ut alibi rem peragere piaculum foret. Anno 1128. Modoëtiae quoque, ut ſupra adnotavi, inunctus in Regem fuit Conradus. Interfuit coronationi Landulfus a S. Paulo, cujus Hiſtoriam MS. Ambroſiana ſervat, atque ideo quid ille referat, ſumma dignum eſt animadverſione. *De cetero*, ait, *Anſelmus Archiepiſcopus, quaſi conſentiens gentium voto, in Eccleſia S. Michaëlis, quae eſt Modoëtiae, benedixit, & unxit, & Coronam Electo Conrado in Feſto S. Petri poſuit, altero Epiſcopo aſtante Regi coronando.* Viſitur & noſtris temporibus in Oppido illuſtri S. Michaëlis vetuſta aedes, quanquam an eadem ſit cum memorata a Landulfo ignorem. Ceterum in S. Joannis Baptiſtae abſolvi ſolemnia adhuc debebant; ibi enim Sacrum celebrabatur, ut his verbis narrare pergit laudatus Hiſtoricus: *In quo facto ego quippe piger non fui, ſed ante ipſum Pontificem, ipſumque coronatum ab Eccleſia S. Michaëlis Pontificalem virgam, in admirabili pompa per Dei voluntatem congregata ad honorem illius Regis, uſque ad Eccleſiam S. Joannis bona cum voluntate portavi, & in S. Joannis Eccleſia ſolemniter cum Rege iſto quamoprimo Miſſam audivi.* Atque haec de Ticino, ac Modoëtia dicta ſint ſatis. Nunc Mediolanum revertamur, qua in Urbe, ſi Gualvaneo fidem heic habere licet, S. Michaëlis aedes regiae coronationi olim deſtinata fuerat. Inquit igitur hic Auctor Cap. CCCCLXX. Chronici Majoris ſecundum exemplar MS. Ambroſianae Bibliothecae: *Mortuo Theodoberto, ſive Lamberto Imperatore* (fuit hic Francorum Rex, a quo in Italiam facta eſt ante Langobardorum adventum impreſſio) *Theudoricus frater ejus Italiae Rex ſedebat in Civitate Papienſi &c. Hic honorem Coronae ſublatum Mediolano reſtituit, & in parva Eccleſia S. Michaëlis juxta S. Ambroſium fieri ordinavit.* Similia legas in alio exemplari MS. quo uſus Puricellus

Cap.

Digitized by Google

Cap. CI. Monum. Baſil. Ambroſ. Quare iterum Gualvaneus coronationem Autharis Regis Langobardorum deſcribens ita loquitur Cap. CCCCLXXXXV. *Et fuit coronatus Corona ferrea in parva Eccleſia Sancti Michaëlis juxta S. Ambroſium*. In exemplari vero Puricelliano additur: *Sicut ab antiquis temporibus ſervatum fuerat ſecundum quod dicit Chronica Ptolomei Epiſcopi*. Noſtra etiam tempeſtate Mediolani extat memorata S. Michaëlis aedes Sanctimonalium curae a longo tempore commendata. Sed his Gualvanei verbis erunt, qui acquieſcere nolint, ac proinde certiora nos quaerere oportet. Eſt autem certiſſimum, in celebri, vetuſtiſſimaque S. Ambroſii Baſilica Regibus Italicis coronam imponi conſueviſſe. Quod ſi memoria repetantur innumera exempla in ſuperioribus capitibus prodita, nullum luculentius hujuſce rei teſtimonium deſideres. Attamen neque his parcere volo, ut majori in luce aedis hujus excellentia collocetur. *Chronicon Angleriae*, quod toties Gualvaneo commemoratur, MS. in Ambroſiana cuſtodimus. Ejus Auctor ignotus, niſi forte is fuerit Daniel quidam, qui Hiſtoriam illam circiter Annum 1280. elucubravit. Deſcribit ipſe coronationis ritum, atque his verbis exorditur: *Quando Rex Alamaniae electus eſt, & qui eſt Romanorum, debet venire in Italiam ad recipiendum primam Coronam Imperatori, quam debet recipere in Civitate Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii &c.* Gualvaneus quoque Cap. DVI. Chron. Major. haec tradit: *Ordo coronationis, qui fit in Eccleſia S. Ambroſii, eſt talis ſecundum quod colligitur ex Chronica Comitum Angleriae &c.* His accedat Faccii de Ubertis perantiqui Poetae Florentini teſtimonium, qui Lib. III. Cantu IV. Dittamundi ita canit:

Giunti en Milan, così volſi vedere
A Santo Ambroſio, dove s' incorona
Quel d' Alamagna il Re, ſe n' ha il potere.

Porro ſubobſcurus videtur quidam Sigeberti Hiſtorici locus, ubi Conradum I. his verbis coronatum deſcribit Anno Domini MXXXIX. *Et quia Epiſcopus Mediolanenſis fuga lapſus eſt, Imperator ſuburbia Mediolani incendit. Die vero Pentecoſtes cum Imperator in parva Eccleſia ſecus Urbem coronaretur ad Miſſam, tam grandia fuerunt tonitrua &c.* Quod ad Annum, quo coronatus heic dicitur Conradus, ſpectat, in eo recenſendo lapſum eſſe Sigebertum arbitror, nam Anno 1026. rem peractam fuiſſe praeſtantiſſimi Scriptores tradidere,

ejuſque

Digitized by Google

ejuſque geſta luculenter oſtendunt. Verum ubi de coronationis loco verba facit, non male Sigebertus loquutus videtur. Aut enim parvam S. Michaëlis aedem intelligit Ambroſianae Baſilicae proximam, de qua ſuperius Gualvanei ſententiam retulimus, aut ipſum Ambroſii templum; utraque enim aedes iis temporibus *ſecus Urbem* ſita erat. Atque hactenus de coronationis loco. Nunc de coronarum numero diſſeramus.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Plures fortaſſe fuerunt Coronae. Quid Corona Palearis, ac Laurea fuerint. Ferreae nomen ſero excogitatum videtur. Henrici VII. coronatio illuſtrata. Modoëtienſes Scriptores emendati.

Quot Coronae fuerint, quibus Italiae Reges olim vinciebantur, non ita facile oſtendi poteſt. Unam tamen fuiſſe, quum una in urbe (ſeu Mediolanum, ſeu Ticinum foret) Reges inaugurabantur, conſentaneum veritati puto; nulla enim neceſſitas videbatur, ut plures Coronae ad uſum Principum ſervarentur. At poſtquam conſuetudo inolevit, ut non Mediolani ſolum, verum etiam Modoëtiae Regni inſignia conferrentur, probabile eſt, geminas coronas uſurpari coepiſſe, quarum unam Ambroſiana Baſilica, alteram S. Joannis Baptiſtae Modoëtienſis aedes ſibi ſervarent. Et ſane Mediolanenſes coronam illam, qua Modoëtiae inſigniri quidam Reges voluere, fortaſſe per contemtum *palearem* appellabant, quod utique ut ego opinor nequaquam feciſſent, ſi quum Mediolani, tum Modoëtiae una eademque corona adhibita fuiſſet. Sigonius Lib. VIII. de Regno Ital. ad Annum 1026. de Conrado I. ſcribens, qui Modoëtiae quoque inungendum ſe praebuit, haec refert: *Conradum inde imitati poſteri, ac ſucceſſores ejus plerique Modoëtienſem quoque coronam appetiverunt, quam coronam Mediolanenſes invidia perciti ad contemptum palearem vocarunt*. Hinc autem eſt quod Blondus, qui medio ſeculo Epochae vulgaris decimo quinto Hiſtorias literis conſignabat, hujus eruditionis ignarus, revera *palearem* coronam Modoëtiae conferri eſt arbitratus. Inquit is Lib. III. Dec. II. *Voluere veteres, ut is, qui Caeſar in Germania declaratus Romam veniſſet confirmandus, duas*

medio

Digitized by Google

medio itinere Coronas acciperet, ex palea unam Modoëtiae, ex ferro alteram Mediolani ab Archiepiſcopo imponendam, quod quidem ad tempora uſque noſtra ſervatum videmus. Huc profecto reſpexit Carolus Paſchalius Lib. X. Cap. VII. de Corona, quum ait: *Modoëtienſem coronam invenio fuiſſe e palea, quum illa, quae accipiebatur Mediolani, eſſet ferrea.* Et Raphaël Toſcanus in Italicis carminibus Anno 1587. editis de urbe Mediolanenſi ita canit:

Di Ferro ſi cingean quì poi la Chioma,
Di paglia in Monza, e d'or lucente in Roma.

Blondi quidem temporibus Modoëtienſis quoque coronationis veſtigia ſupererant, verum nullus certe palearis coronae uſus fuit. Quam vero antiqua fuerit hujuſce agnominis origo, e Gualvaneo diſcamus, qui iſta e Chronico Philippi de Caſtro Seprii (erat autem longe vetuſtior Gualvaneo Hiſtoria) refert Cap. DIII. Chron. Major. *Statuit B. Gregorius Papa de conſenſu Senatus, quod Archiepiſcopus Mediolanenſis convocatis omnibus ſuis Suffraganeis Epiſcopis eligeret unum virum virtuoſum, & Imperio aptum, non in Imperatorem, ſed in Comitem totius Italiae, qui per Archiepiſcopum Mediolanenſem coronaretur in Modoëtia corona ex paleis contexta, & turgentibus ſpicis redimita &c. Poſtea redire debebat verſus Mediolanum, & iterum per Archiepiſcopum coronari Corona ferrea.* Vides, quam altas radices haec fama egerit; quanquam libenter fatear, hujus opinionis originem a contemtu Mediolanenſium natam eſſe, quibus inutilis ut palea Modoëtienſis Coronatio videbatur. In eadem vero ſententia fuit Mediolanenſium decus Andreas Alciatus, cujus verba e libello de formula Romani Imperii huc referre non ab re erit, inquit enim *Conradi exemplo & alii quidam ex Caeſaribus urbe Mediolanenſi armis excluſi Moguntiae (Moguntiam veteres dixerunt agri Mediolanenſis ad decimum lapidem Oppidum) ſe coronari voluerunt. Fuere & qui cum ulterius progredi non poſſent Alexandriae, quae Statilienſium Ligurum Civitas eſt, infulam ſuſceperint. Sed Mediolanenſes has coronas contemtus cauſſa paleas vocant, priſco loquendi more, quo vilis res, & nibili palea dicitur. Ex quo & Ariſtophanes inquilinos Atticos paleam Civium in antiqua Comoedia appellavit.* Quae haſtenus tamen recenſuimus, oſtendere nequaquam poſſunt, utrum una, an plures coronae apud Inſubres coronandi Regis gratia olim ſervarentur. Aeque vero difficile demonſtratu eſt, an unius Modoëtienſis

Coronae, quam ferream appellamus, perpetuo uſus obtinuerit, quum non niſi ſero coronationes in eo Oppido celebratas fuiſſe animadvertẽrimus. His accedit, a veteribus Coronam quidem commemorari, qua Italiae Reges adornabantur: Sed *ferreae* nomen proxime tantum ſuperioribus ſeculis uſurpatum invenio. Primus, quod ſciam, *Coronae ferreae* vocabulum adhibuit Chronici Anglerienſis MS. Auctor, quem ſub finem ſeculi a Chriſto nato decimi tertii vixiſſe adnotavimus; inquit enim: *Rex Alamaniae primam coronam Imperatori debet recipere in Civitate Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii &c. quae Corona debet eſſe de ferro*. Huc etiam referri poſſent S. Thomae Aquinatis verba e Lib. de Regim. Principium Lib. III. Cap. XX., quae ita ſe habent: *Duplicem habent coronam, & recipiunt electi in Imperatorem, unam quidem prope Mediolanum in Villa, quae dicitur Modoëtia, ubi ſepulti ſunt Reges Lombardorum, quae quidem Corona ferrea dicitur eſſe in ſignum, quod primus Imperator Germanus Carolus M. colla Regum Longobardorum, ſuaeque gentis perdomuit*. Sed hujus Opuſculi Thomam Auctorem fuiſſe, quamplures negant eruditi, ac potiſſimum Cl. Card. Bellarminus in Lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. Obſerv. II. Uti enim animadvertit Emin. Scriptor, Lib. III. Cap. XX. hujus libelli, mentio fit de Adolfo, ac Alberto Imperatoribus, qui multis poſt S. Thomam annis Regnum iniere. Frequens deinde apud recentiores Hiſtoricos ferreae Coronae eſt mentio, quod inſigne alio etiam cognomine appellatum fuiſſe legi. Albertinum Muſſatum Lib. I. de Geſt. Henr. VII. loquentem audiamus. *Coronati itaque Henricus Caeſar, Auguſtaque Margarita Anno ab Ortu Domini N. J. C.* 1311. *VIII. Idus Januarii ferrea Corona, quam Lauream appellabant*. In eamdem ſententiam loquitur Rollandinus in Chronico, & Diploma infra recitandum. Hoc autem nomen ferreae Coronae inditum puto, quod olim lauru inſigniri ſolerent Auguſti, ac triumphantes, eorumque corona laurea iccirco appellaretur. Sed quoniam de Henrici VII. Coronatione rurſus verba fecimus, locus poſcit, ut arcanam eruditionem heic proferamus, cujus beneficio nonnullorum errores emendare licebit. Anno, ut diximus, 1311. Henrico in urbe Mediolanenſi collata eſt Italici Regni corona, & quidem ferreum diadema illud fuit, ſed a Modoëtienſi diverſum, quippe Imperator novum procudi, quo tunc uteretur, voluit. Coronatione vero abſoluta quum quaereretur, cuinam Corona illa conſervanda tradi deberet, in eam ſententiam ivit Henricus, ut Abbati, Monachiſque Coenobium Ambroſianum, celebrem-

que

que ejus Baſilicam incolentibus traderetur. Supereſt adhuc publica hujus rei fides in eorumdem Patrum tabulario, nempe germanum Diploma, cujus exemplar primum a doctiſſimo viro Joanne Baptiſta Blanchino obtinui, tum impreſſum animadverti a Reverendiſſimo, ac eruditiſſimo P. D. Bartholomaeo Areſio Ciſtercienſi Abbate inter Privilegia, ac Diplomata inſigni Baſilicae S. Ambroſii conceſſa pag. 93. Ita vero ſe habet.

In nomine Domini. Anno a Nativitate eiuſdem milleſimo treceenteſimo undecimo, die Lunae, decimo nono menſis Aprilis. Indictione nona. In Monaſterio Beati Ambroſii Mediolani in Camera Reverendi viri Domini Dopni Aſtulphi de Lampugniano Dei gratia Abbatis praefati Monaſterii S. Ambroxii Mediolani. Magiſter Bartholomaeus de Varginiana Bononienſis, & Magiſter Andreas de Puteo Placentinus Medici Sereniſſimi Regis Romanorum Domini Henrici Septimi, praeſentaverunt auctoritate, voluntate dicti Regis praefato Domino Dopno Abbati Coronam Ferream Lauream, cum qua extitit coronatus in praedicta Eccleſia B. Ambroxii Mediolani coram Altare eius in Regem Italiae in eodem Anno in die Epiphaniae Domini. Volens dictus Dominus Rex, ipſam in dicto Monaſterio ad perpetuam eius memoriam conſervari debere. Qui praefatus Dominus Abbas ab eiſdem Medicis dicti Domini Regis, ipſius nomine, cum maxima reverentia recepit, & eam conſervare promixit, praeſente Magiſtro Lando de Senis Aurifabro praedicti Domini Regis, qui praedictam Coronam propriis manibus fabricavit, & Girardino Malaſpino de Florentia, & Falcutio Tebalducii de Florentia, & Dopno Ambroxio de Travedona Monacho ipſius Monaſterii, & Presbytero Beltramo Donego Capellano dicti Domini Abbatis, & Ognibeno de Guarixio de Vicentia, & Manfredino Platto Domicello dicti Domini Abbatis, & Beltramollo de Lampugniano, & Comollo Biſſo ambobus Domicellis dicti Domini Abbatis, & me Notario infraſcripto, qui rogatus ſum, ut traderem publicum Inſtrumentum de praedictis.

Ego Creſcinus de Ladenate Notarius filius quondam Venturae Civitatis Mediolani Portae Vercellinae Parochiae S. Naboris praedictis interfui, tradidi, & ſcripſi.

Vides heic ferream Coronam *Laureae* cognomento inſigniri. Vides etiam heic nominari *Magiſtrum Landum de Senis Aurifabrum Domini Regis, qui praedictam Coronam propriis manibus fabricavit.*

Quare nulla heic dubitatio relinquitur, quin revera novum Diadema ſuae coronationi adhibuerit Henricus. Id autem clarius conſtabit, ubi Bonincontri verba perpendantur, qui haec de Henrico Modoëtiam profecto habet: *Et accipi juſſit baculum abbani, & libellum Orationum ad eius coronationem locum habentium, qui dudum in dicta Eccleſia B. Ioannis fuerant.* Si Coronam quoque Modoëtienſem Imperator accepiſſet, utique Bonincontrus praetermittere non debuiſſet, praecipuum enim hoc ejus patriae decus fuiſſet. Qua ex re nonnulli argumentum depromere poſſe ſibi videbuntur, ut nullam antiquitus coronam Modoëtiae aſſervatam fuiſſe affirment. Equidem ſi perverſo ſtudio materiem hanc pertractarem, mihique Lectorum judicio contra Modoëtienſium jura animus foret abuti, huic uni inſiſterem argumento, ut Coronae vetuſtatem, gloriamque inſigni Oppido eriperem. Verum quum Hiſtoricorum primam laudem, legemque eſſe arbitrer, ut inquit Tullius Lib. II de Orat., *ne quid falſi dicere audeant, deinde ne quid veri non audeant, ne qua ſuſpicio gratiae ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis*, Modoëtienſium cauſſam heic defendendam ſuſcipio, ut nihil ab hujuſmodi exemplo eorum jura laeſum iri oſtendam. Illud autem minime ignorandum, quod ſub Imperio Henrici VII. Inſubres adhuc inteſtinis Guelforum, Gibellinorumque diſcordiis diſtrahebantur in partes. Per ea autem tempora Turrianis rerum potitis religio non fuerat, Modoëtienſis Baſilicae totam fere gazam, illiuſque pretioſiorem ſupellectilem auferre, ut eam pignori darent, pretioque uterentur. Sex & quadraginta annos theſaurum ſuum Modoëtienſes deſideravere, donec Matthaeus Vicecomes anno 1319. recuperatum inſigni templo reſtituit. Rem his verbis narrat Bonincontrus Cap. XXV. Lib. II. *Interea Matthaeus ſummo ſtudio ſuo interponente favore, partem theſauri Eccleſiae S. Ioannis Baptiſtae de Modoëtia, ſcilicet Coronae aureae, Calices aureos, & alia iocalia margaritis, & lapidibus pretioſis ornata, quae omnia per XLVI. Annos proximos praeteritos extiterunt impignorata per illos de la Turre, dicto Anno die xxii. menſis Decembris exigi fecit, quae Matthaeus ipſe in Vigilia Natalis Domini ſuper Altare S. Ioannis Baptiſtae propriis manibus in Modoëtia praedicta iocalia genu flexo cum devotione depoſuit, quae exiſtimata fuerunt eſſe valoris xxvi. mil. Florenorum auri.* Quare nil mirum impoſterum videbitur, ſi Henricum VII. ferrea quidem Corona, ſed non Modoëtienſi, coronatum fuiſſe quis affirmet, tunc enim antiquum Diadema ferreum pignori datum Modoëtiâ aberat. Hoc etiam ex alio diplo-

diplomate probari poteſt, quod in ejuſdem Coenobii Ambroſiani tabulario adſervatur, & a doctiſſimo P. D. Bartholomaeo Areſio evulgatum fuit, eſtque hujuſmodi.

Arnaldus miſeratione Divina Sanctae Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis, Apoſtolicae Sedis Legatus, dilectis in Chriſto Abbati, & Conventui, ac Praepoſito, & Capitulo, & ſingulis Canonicis, & perſonis Monaſterii, ſeu Eccleſiae S. Ambroſii Mediolanenſis ſalutem in Domino.

Quia ineſt tempus Coronationis, quam Sereniſſimus Princeps Dominus Henricus, DEI gratia Rex Romanorum illuſtris recepturus eſt in partibus iſtis, reddimur corde ſolliciti, ut circa Coronationem ipſius adhibeamus diligentiae ſtudium efficacis. Sane cum idem Dominus Rex ad exquirendum, ubi, & in quo loco ſit Corona ferrea, quam habiturus eſt, ſuique habuerunt praedeceſſores, nec non ad perſcrutandum, & ſciendum, & ſe plenius informandum de modo, & forma tenendis in Coronatione tenenda, mittat ad vos Venerabilem virum Magiſtrum Gulaſſum de Comitibus de Mangone Canonicum Camervenſem, Domini Papae Capellanum, ipſius Domini Regis Conſiliarium, & familiarem, praeſentium portitorem, Diſcretionem veſtram requirimus, & rogamus, attente vos nihilominus, & veſtrum quemlibet monentes pro primo, ſecundo, & tertio peremptorio, imo vobiſque ſub excommunicationis, quam in vos, & ſingulos veſtrum, & interdicti poenis, quam in Capitulum, & Conventum ipſa, ex nunc prout ex tunc monitione praemiſſa ferimus in his ſcriptis, voſque manere volumus ipſo facto, ni monitis, & mandatis noſtris obtemperaveritis, in hac parte diſtricte praecipiendo, mandantes auctoritate eidem Magiſtro Gulaſſo, ubi ſit Corona praedicta, & ſupraſcripta quaelibet neceſſaria, ac modum, & formam tenendos, & quicquid ſcitis, vel ſcire poteſtis per vos, vel alios circa Coronationem eamdem referatis, eumque informetis plenarie, ut in reditu ſuo ſciat dicto Domino Regi referre per ordinem, nullo dimiſſo, omnia quae circa Coronam, & Coronationem hujuſmodi ſint agenda. Has autem literas ad cautelam in Regeſtro noſtrae Curiae fecimus regiſtrari, de quarum praeſentatione eidem Magiſtro Gulaſſo dabimus plenam fidem. In cujus rei teſtimonium praeſentes literas exinde fieri fecimus, & ſigilli noſtri munimine roborari. Datum Aſt die XXV. menſis Novembris. Pontificatus Domini Clementis Papae V. Anno ſexto.

Tot

Tot Apoſtolici Nuncii plena ſollicitudinis verba, quibus ubinam Corona ferrea tunc haberetur inquirit, abunde produnt, eam tunc latuiſſe; quumque fortaſſe id videretur dolo malo factum, minis precibuſque uſus eſt Cardinalis, ut voti ſui compos efficeretur. Sed nullum ſecundum exitum Diploma hoc habuit, quippe, ut vidimus, novam Coronam adhibere neceſſe habuit Caeſar. Interim cenſuram noſtram non effugiet Balthaſſar Fidelis, qui Cap. ult. de Praerog. B. Joan. Bapt. tradit, ferream Modoëtienſem Coronam Henrico VII. collatam, quod revera a veritate abhorret. Neque verius loquitur Zucchius, qui ſacrum Clavum, hoc eſt Modoëtienſe Diadema, ejuſdem Imperatoris capiti impoſitum ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ſcribit. An vero antiquioribus etiam temporibus ferream Coronam in gazophylacio ſuo ſervaverint Modoëtienſes, atque an eadem in Regiis coronationibus uſurparetur, in tanta rerum obſcuritate aliquid definire non audeo. Certe Gualvaneus in Chron. Majori Cap. CCCXXVIII. a Maximiano Herculeo Imperatore *Coronam ferream, ſive faſciam* Mediolani relictam ſcribit, opinionemque ſuam *ex dictis Sicardi, Atlantis, & Ptolomei confirmat.* Addit etiam: *Ex hoc excluditur error dicentium, quod Corona ferrea fuit in Arelate, vel Modoëtia, vel Papia.* Idem alibi affirmat laudatus Auctor, ſed quibus fundamentis ejus ſententia innitatur, aliis inveſtigandum relinquo. Mihi, quum nullam peculiaris Coronae, quae a Modoëtienſi diverſa foret, ac Mediolani aſſervaretur, mentionem inveniam, liberaliter affirmandum videtur, ante Henrici VII. tempora Coronam ferream Modoëtiae fuiſſe ſervatam.

CA-

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Coronare Imperatores Mediolanenſem ad Archiepiſcopum pertinebat, aut ad Ambroſianae Baſilicae Abbatem, aut ad Modoëtienſem Archipresbyterum. Diplomata duo ad Caroli V. coronationem pertinentia exhibentur.

NUNC ad quemnam jus coronandi Italicos Reges pertineat, exploremus. Equidem laudem hanc Mediolanenſi Archiepiſcopo tribuendam eſſe, neminem fugiet, qui tot hactenus allata exempla ſecum reputaverit. Neque Mediolani tantum, ſed etiam Modoëtiae, ac Papiae quum ea ſolemnia peragebantur, munus Archiepiſcopi fuit pretioſis inſignibus Reges deſignatos ornare. Itaque ſupervacaneum omnino foret, novis uti auctoritatibus, ut luci lux addatur. Quod ſi ab Urbe ſua aberat Mediolanenſis Antiſtes, quando in Ambroſiana Baſilica Caeſares inungendi erant, Ambroſiani Monaſterii Abbatibus glorioſum illud munus deferebatur. Auctor Chronici MS. cui titulus *Flos Florum*, & Gualvaneus in Chron. Majore Cap. DVI. ex Chronicis Comitum Angleriae haec referunt: *Quando Rex Romanorum vult recipere Coronam Regni Italiae in Eccleſia S. Ambroſii &c. Archiepiſcopus, vel Abbas S. Ambroſii debet ipſum coronare Corona ferrea ſuper Italiam.* Porro nullum monimentum mihi legenti hucuſque occurrit, quo coronationem unquam ab his Abbatibus celebratam confirmem. Uni Puricello num. 310. Monum. Baſil. Ambr. Henricum Quartum Imperatorem abſente Archiepiſcopo, ab inſignis Coenobii Abbate coronatum fuiſſe, aliqua eſſe ſuſpicio videtur. Si vero Modoetiam ſumendae Coronae gratia ſe conferebant Reges, modo abeſſet Mediolanenſis Archiepiſcopus, ad Modoëtienſem Archipresbyterum coronandi Principis cura, decuſque pertinebat. Illuſtrem Archipresbyteratus dignitatem in Capitulo ſuo ab antiquis temporibus S. Joannis Baptiſtae Baſilica ſervat, eamque novis honoribus certatim Summi Pontifices Regeſque amplificavere. Pontificalibus ornamentis, ac Mithra Archipresbyter utitur, ubi ſolemniora per Annum Feſta recurrunt. Nunc vero ſedem illam digniſſime implet Reverendiſſimus, ac doctiſſimus vir, Petrus Paulus Boſcha, olim Ambroſia-

nae

nae Bibliothecae Praefectus, cujus eruditionem, atque eloquentiam tum editi libri luculenter teſtantur, tum ego pluribus praedicare poſſem. Archipresbyteri igitur munus erat coronare Reges, quod Bonincontrus quoque ſcripſit Lib. I. Cap. XXX. Chron. Modoëtienſis in haec verba: *Archiepiſcopus Mediolanenſis debet in Eccleſia Modoëtienſi coronare Imperatorem, eo quod ſit maximus Praelatus Regni Lombardorum. Licet, ſi deficeret, cum Archipresbyter Eccleſiae Modoëtienſis ab Apoſtolica Sede in Pontificalibus honoribus ampliatus, tamquam magnus Epiſcopus, fuerit, de jure poteſt ibi Imperatorem coronare.* Incertum vero eſt, an unquam Modoëtienſes Archipresbyteri hoc jure fuerint uſi; quamvis enim a Zucchio Fridericus II. per manus ejuſdem Archipresbyteri Modoëtiae coronatus affirmetur, nulla ejus fidei praeſto eſt antiquorum auctoritas, & Bonincontri Annales ab hoc Scriptore in teſtimonium producti de Archipresbytero omnino tacent. Gratum autem non Modoëtienſibus tantum, ſed eruditis etiam me facturum ſpero, ſi gemina proferam monumenta, quae in ſacra S. Joannis Baptiſtae aede viſuntur, & quibus tum coronantes, tum coronationes illuſtrari poſſunt. Eadem memini me videre, quum Anno *1696.* Modoëtiam divertiſſem, quanquam nullus mihi tum foret hujus lucubrationis cudendae animus. Primum ergo monumentum in pervetuſta pictura extat, ubi Mediolanenſis Archiepiſcopus Regem coronat. Sedet Antiſtes ſacris veſtibus ornatus, Auguſtus vero in genua procumbens, capiteque acclinato Regium diadema accipit. Alterum monumentum lapis marmoreus affabre ſculptus efformat, viſiturque ſub ambone (ſic appellare liceat) ubi a ſacris Liturgis Epiſtola, ac Evangelium canuntur. Stat ibi Modoëtienſis Archipresbyter Mithrae, veſtiumque Pontificalium majeſtate conſpicuus, Regique in ſolio ſedenti ferreum offert inſigne. Circumſtat Optimatum Germanorum corona una cum Modoëtienſibus Legatis, quodque aeſtimandum pluris eſt, verba in coronatione pronuncianda illic leguntur. Sed quid ego rem deſcribam, ubi illuſtria duo documenta ſuppetunt, quae ſingula accuratiſſime ante oculos ponant? Sunt haec Diplomata duo ex Archio Modoëtienſis Eccleſiae olim eruta, mihique benigne communicata a doctiſſimo viro Joanne Baptiſta Blanchino, cujus humanitati multa debeo. Heic habes quidquid Caroli V. aevo colligere potuerunt Modoëtienſes, ut jus ſuum in tribuenda Regibus Corona probarent, ferreaeque Coronae Hiſtoriam illuſtrarent. En primum Diploma Anno MDXXX. die xiv. Menſis Februarii procuſum.

In

Digitized by Google

In Nomine Domini Anno a Nativitate eiuſdem Milleſimo quadringenteſimo trigeſimo. Indictione tertia. Die Lunae, quartodecimo Menſis Februarii. Cum expediat Sereniſſimum, & Catbolicum Dominum Dominum Carolum Divina favente clementia Romanorum Regem cupientem in praeſentia coronationem ſuam abſolvere, & perficere ſervatis omnibus, & ſingulis ſolemnitatibus obſervari requiſitis, & conſuetis ex diſpoſitione Ordinum, & Conſtitutionum tam a Summis Pontificibus, quam a Sereniſſimis Praedeceſſoribus ſuis in Imperio editorum, & in Chronicis, aliiſque monumentis continentibus ſolemnitates, & alia, in coronationibus huiuſmodi ſervatas, & ſervari requiſitas in Oppido Modoëtiae exiſtentibus deſcriptas autenticas habere, & de eis fidem publicam fieri. Cum huiuſmodi Chronicae, & alia monumenta ad Civitatem Bononiae, in qua ipſa coronatio fieri debet, deferri non poſſint, hinc eſt, quod pro habenda fide praedictorum, inſtantibus Agentibus pro Communitate ipſius Oppidi Modoëtiae, Spectabilis Dominus Iacobus Capredonus filius quondam ſpectabilis Domini Prandini, nunc Caſtellanus, & Capitaneus Modoëtiae, eiuſque diſtrictus pro Excell. & Illuſtr. D. D. Franciſco II. Sfortia Mediolani Duce, convocatis de mandato praefati Domini Caſtellani, & Capitanei Agentibus pro dicta Communitate, nec non venerabilibus Canonicis, & Fabriceriis Sacelli S. Ioannis Baptiſtae Modoëtiae, expoſitoque eis hoc praefati Sereniſſimi Imperatoris deſiderio, cupienteſque Agentes praefatae Communitatis, ac Canonici, & Fabricerii huic honeſto voto ſuo ſatiſfacere, prout tenentur. Delatis per eos coram praefato Domino Capitaneo, & lectis prius omnibus Chronicis, & Monumentis dicti Oppidi Modoëtiae commorantibus, omnia, & ſingula, quae in his coronationibus obſervari debent, & conſueverunt, compertum in primis fuit in Bibliotheca venerabilis Canonicae Sacelli D. Ioannis Baptiſtae eiuſdem Oppidi adeſſe quamdam Chronicam iam antiquiſſimo tempore in charta membrana manuſcriptam, deſcriptaque ibi eſſe Capitula infraſcripta videlicet in folio X. capitulum tenoris hujuſmodi, videlicet. Et quod Capitulum eſt XXI. in ordine: Cum narrare decreverimus, quare Imperatores inſtituerint &c. *Adeſt & aliud Capitulum XXII. in Chronica tenoris huiuſmodi, videlicet:* Karolus Magnus huius nominis primus, Pipini Groſſi Franconiae &c. *In eadem etiam Chronica folio XII. adeſt Capitulum, quod eſt XXVIII. in ordine tenoris huiuſmodi, videlicet:* Otto Henrici Alamanorum Regis filius &c. *Compertum poſtremo fuit in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtae Modoëtiae poſt locum, ſuper quo cantantur Epiſtola, & Evangelium,*

quando Miſſae ſolemnes celebrantur, tabula marmorea, in qua ſculptum eſt Altare maius ipſius Eccleſiae, & ſuper Altari ſculpto adſunt vaſa tria ſculpta ad repraeſentationem trium vaſium Theſauri dictae Eccleſiae, ſculpta quoque eſt Crux ad repraeſentationem Crucis Theſauri praedicti, in qua adeſt de Ligno Crucis D. N. I. C. & deſuper Altare ſculptum adeſt etiam ſculptus baculus, in quo dependent IV. Coronae aureae ſculptae ad repraeſentationem earum IV. Coronarum Theſauri praedicti relictarum per Reginam Theodelindam. Apud dictum Altare ſculptum ſculptae ſunt duae ſtatuae repraeſentantes duos Canonicos, alterum indutum, ſcilicet veſte Subdiaconi, & alterum indutum veſte Diaconi, & qui Diaconus veſte indutus eſt, manibus tenet baculum Paſtoralem ſculptum in modum tridentis. In eadem etiam tabula apud has duas ſtatuas Canonicorum ſculptorum ſculpta eſt ſtatua Archipresbyteri dictae Eccleſiae, induti veſtibus Epiſcopalibus, habentis etiam inſulam Epiſcopalem in capite, & ambabus manibus imponentis Coronam ferream in capite ſtatuae Caeſarem repraeſentantis, ſedentem, armatum ſuper quadam Cathedra emittente ab utroque latere ipſius Cathedrae caput animalis, quod non potuit diſcerni, habentemque veſtem quamdam ſuperiorem more Imperii longam, & talos excedentem, fultam pelle varii coloris circa humeros, & collum, & ornamenta quaedam auri, videlicet fimbrias quaſdam. Et memoratae ſtatuae Archipresbyteri, & Canonicorum ſunt a manu dextra Caeſaris ſedentis. A manu autem ſiniſtra apud Caeſarem ſedentem in eadem tabula ſculpta eſt ſtatua Archiepiſcopi Colonienſis tenentis in manu dextra quamdam Cedulam, & in manu ſiniſtra librum, & in utraque manu habet anulos, capite detecto, veſtitique veſtibus Epiſcopalibus, & ſtantis in pede. Sequitur poſtea ſtatua Ducis Saxoniae ſtantis in pede, habentis manu dextra enſem Imperialem coopertum, & ſeu tectum fodro rubeo, & cingulum aureum involutum circam enſem, induti veſte alba habente fimbrias aureas, & tenentis manum ſiniſtram ſuper pugione, & veſtis fulta videtur pellibus variis, habentiſque caput nudum. Sequitur poſtea imago Archiepiſcopi Treverenſis induti veſtibus Epiſcopalibus, pro more tamen quotidiano deferri ſolitis. Et cum ſimilibus veſtibus induta eſt ſtatua Archiepiſcopi Colonienſis, & ſtatua haec habet etiam caput detectum ſtans in pede. Sequitur poſtea ſtatua Landegravii, qui prout ex Chronicis Modoëtiae deprehenditur, eſt Comes Palatinus, induti veſte conſimili veſti Ducis Saxoniae, habentis chirothecas in manibus, biretum in capite, & ſtantis. Sequitur poſtmodum ſtatua Archiepiſcopi Moguntiae

induti

Digitized by Google

induti conſimilibus veſtibus, quibus induti ſunt Archiepiſcopi Colonienſis, & Treverenſis, cum capite detecto, tenentis in manu dextera cedulam ſculptam, in quam ſcriptum eſt: IMPERATOR. *Sequitur poſtea ſtatua Marchionis Brandeburgenſis induti conſimilibus veſtibus, quibus indutus eſt Landegravius, manu dextra accipientis a ſtatuis ſeptem Oratorum Modoëtienſium privilegium Communis Modoëtiae cum ſigillis pendentibus. Et in eadem tabula inter primum Oratorem Modoëtienſium, & dictum Marchionem ſcripta ſunt haec verba, quae videntur pronunciata a praefato Marchione:* DOMINUS REX BENE NOVIT, QUAE DIXISTIS: IDEO AMPLIABIT FORTITER, ET CONFIRMABIT PRIVILEGIA VESTRA. *Super capita autem dictorum Oratorum Modoëtienſium in eadem tabula ſcripta ſunt infraſcripta verba, quae videntur pronunciata per ipſos Oratores:* HOMINES MODOETIAE A MAIORE USQUE AD MINOREM SEMPER FUERE, ET SUNT IMPERATORIAE MAIESTATI FIDELISSIMI: *In eadem etiam tabula ſuper capita dictarum ſtatuarum Archipresbyteri, & Canonicorum infraſcripta ſunt haec verba, quae videntur pronunciata ab ipſo Archipresbytero:* ALTISSIMI DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA CONCEDENTE, PROUT CONSTITUTUM EST MODOETIAE, QUAE CAPUT LOMBARDIAE, ET SEDES REGNI ILLIUS ESSE DIGNOSCITUR IN S. ORACULO S. IOANNIS BAPTISTAE FERREO DIADEMATE DE IURE REGNI CORONO TE PRIUS ELECTUM IUSTE, ATQUE UNCTUM REGEM FERTILIS ITALIAE. *Et ideo praedictus Dominus Capitaneus pro Tribunali ſedens ſuper eius ſolito Tribunali conſiſtente in Palatio Communis Modoëtiae ex authoritate ſibi virtute dicti Officii ſui attributa iuſſit, & iubet mihi Notario infraſcripto, ut per hoc praeſens publicum Inſtrumentum cunctis fidem faciam, & atteſter, prout etiam atteſtor, dicta Capitula, & praedicta ſuperius narrata a dictis Chronica, & tabula fideliter, & ad unguem extracta fuiſſe, nil addito, vel diminuto, aut alterato, quod ſubſtantiam huius rei vitiet, variet, vel immutet &c.*

Actum Modoëtiae die quarto decimo Februarii MDXXX.

Chronica illa antiquiſſima in membranis deſcripta, cujus hoc Diploma mentionem facit, alia non eſt ab Annalibus Modoëtienſibus, quos, ut ſaepe numero animadverti, Bonincontrus Morigia circiter Annum 1345. elucubravit. Integra capita ab hoc Auctore

Digitized by Google

deſumta illic exhibebantur, quae tamen ego in praeſentia omittenda cenſui, tum quod partim nihil ad rem attinere videntur, partim vero utpote neceſſaria per me in hoc libello jam promulgata fuere. Ceterum Codex, ni fallor, idem, qui olim Modoëtiae extabat, nunc in Ambroſiana Bibliotheca adſervatur, idemque ille eſt, quem Modoëtienſes Legati una cum ferrea Corona Bononiam detulere, ut Caroli Quinti coronationi intereſſent. Audi Jovium Lib. XXVII. Hiſtor. ita loquentem: *Praeſto igitur affuere Modoëtienſium Legati, cujus erant Principes Polydorus Vectius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam veteris praerogativae dignitatem vetuſtiſſimi operis Coronam, & Annalium Codices antiquitate pernobiles detulere.* Do alterum Diploma Anno eodem 1530. confectum. Deſcriptionem tabulae marmoreae heic praetermiſi; eiſdem enim verbis refertur, quae in primo Diplomate leguntur.

MDXXX. Die Iovis 17. Menſis Februarii.

QUum Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus DD. Franciſcus II. Sfortia Mediolani Dux Sereniſſimo, & Catholico D. D. Carolo Divina favente clementia Romanorum Rege Imperatore electo requirente literis ſuis ſcripſerit Illuſtri D. Alexandro Bentivolo in Ducali Dominio Mediolani pro praefato Excell. Duce Gubernatori, & locum Tenenti, ut curaret ea, qua poſſet, diligentia habere Scripturas, Inſtrumenta, & protocollos, & alia quaecumque monimenta continentia ſolemnitates, & alia quaeque ſervata in Coronationibus factis tam in oppido Modoëtiae, quam in Civitate Mediolani de Imperatoribus praeceſſoribus praefati Sereniſſimi Imperatoris electi, & Scripturas ipſas, Inſtrumenta, protocollos, ac monimenta ad praefatum Excellentiſſimum Ducem noſtrum tradenda praefato Sereniſſimo Carolo deſtinaret, & propterea facta per praefatum Illuſtrem D. Alexandrum diligenti inquiſitione, & inveſtigatione pro habendis dictis ſcripturis, & ex omnium relatu praefatus Illuſtris D. Alexander pro explorato haberet huiuſmodi ſcripturas, & monumenta facilius Modoëtiae, quam alibi reperiri poſſe, & certior eſſet factus propter diuturnum bellum, quod in dominio Mediolani nimium diu invaluit, & propter validam, & ſaeviſſimam peſtem, quae in eo oppido anno ſuperiore debacchata fuit, pleroſque incolas aut abſentes, aut mortuos eſſe, ita ut ex ſolita multitudine hominum unus tantum Notarius in eo Oppido praeſens comperiatur, qui requiſita ab Illuſtriſſimo Duce poſſit perquirere, & inveſti-

veſtigare, & de inventis ſolemne tranſumtum facere, & propterea Reverendiſſimus, & Magnificus Senatus praefato Excellentiſſimo Duci obtemperare, & Caeſareae Catholicaeque Maieſtati ſatisfacere, ut ea, qua poteſt ſolemnitate omnia agantur, Senatus conſultum edidit tenoris huiuſmodi.

MDXXX. die 16. Februarii. Quum Illuſtriſs., & Excellentiſs. Princeps Franciſcus II. Mediolani Dux &c. Bononia literas dediſſet ad Illuſtrem virum Alexandrum Bentivolum generalem in univerſa ipſius Iuriſdictione locum Tenentem, ut omnes ritus, omniaque inſtituta, quae ad coronandos in oppido Modoëtiae, & Civitate Mediolani Imperatores per tempora ſervari conſueverunt, ex veteribus monimentis, & Archivis ſumma cum cura perquireret, & in publicas tabulas referri mandaret, ad eumque tranſmitteret, ita requirente ſacratiſſimo, atque invictiſſimo Principe Carolo V. Romanorum electo Imperatore, qui ex Hiſpania profectus coronationis ſuae cauſa Bononiae nunc moratur. Quumque idem Illuſtris locum Tenens certior eſſet factus omnes Modoëtienſes Notarios propter belli, peſtiſque graviſſima incommoda, quae duo harum regionum incolas nimium diu afflixerunt, aut abſentes, aut mortuos eſſe, & praeter unum, qui huic perquiſitioni adeſſe poſſit, neminem alium in eo oppido ad praeſens reperiri; eaque de cauſa hoc ad ampliſſimum ipſius Illuſtriſſimi Ducis Senatum retuliſſet, qui & voluntati Caeſaris, & mandato Principis noſtri cumulatiſſime ſatisfieri curaret.

Senatus ut haec omnia maiori cum fide, atque ſolemnitate peragerentur, cenſuit mittendos eſſe Modoëtiam egregios Iulianum Piſcinam Camerae praefati Excell. Ducis Mediolani Notarium, nec non Ioannem Petrum Gazurrum Notarium publicum Mediolanenſem, qui una cum Notario Modoëtienſi, vocatis, atque adhibitis Capitaneo, Caſtellanoque, ac Canonicis, & Decurionibus ipſius Oppidi, teſtibuſque omni exceptione maioribus, qui per tempus inveniri poterunt, ex Chronicis, Annalibus, Archivis, actiſque publicis, & literarum monimentis omnes ritus, ſolemnitates, caerimonias, omniaque inſtituta, quae faciundae Ferreae Coronationis gratia tradita ſunt a maioribus, quam diligentiſſime ſcrutentur, perquirant, & inveſtigent, & quaecumque comperuerint, omnia ſumma cum fide deſcribant, & in publicum, atque ſolemne Inſtrumentum redigant, ut ad ipſum Illuſtriſſimum Ducem perferri poſſint. Signatur ſupraſcriptam Barthelomaeus Landrianus, & ſigillatus ſigillo conſueto praefati Senatus.

Quum

Quum etiam in executione mandati praefati Illuſtris D. Locum tenentis, & Senatus conſulti praedicti, Domino Capitaneo, & Caſtellano dictae Terrae una cum Conſiliariis, Praefectis, ac Deputatis Oppidi, & Canonicis ad id congregatis praedicta ſignificaverimus, & inter dictos D. Capitaneum, Deputatos, & Canonicos habitum ſuper inde longum colloquium fuerit, & Conſilium, & ducti fuerimus in Archivum, & Bibliothecam praedictae Terrae poſitam in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtae, quae Cathedralis eſt eiuſdem loci, clauſam, & per Deputatos ipſius Oppidi de publico diligenter cuſtoditam, praeſentibus praefato D. Capitaneo, dictis Dominis Canonicis, ac deputatis, & infraſcriptis teſtibus, ingreſſi fuimus nos infraſcripti tres Notarii Archivum praedictum, & compertis in eo diverſis voluminibus librorum iam antiquiſſimo tempore in carta membrana manuſcriptorum, unum tantummodo librum comperuimus, cui titulus eſt Chronica Oppidi Modoëtiae *vetuſtiſſimum, eoque a nobis infraſcriptis Notariis diligenter, & accurate lecto, etiam ad praeſentiam praefati D. Capitanei, & praefatorum Dominorum Canonicorum, & Deputatorum, nec non infraſcriptorum teſtium, quatenus per tempus licuit, compertum fuit in eadem Chronica deſcripta eſſe Capitula infraſcripta, & videlicet folio decimo Capitulum tenoris huiuſmodi, videlicet: In quadam Chronica exiſtente in Bibliotheca Canonicae S. Ioannis Baptiſtae Modoëtiae manuſcripta in carta membrana deſcripta ſunt infraſcripta Capitula, videlicet folio decimo Capitulum tenoris huiuſmodi, videlicet, & quod Capitulum eſt vigeſimum primum in ordine:* Cum narrare decreverimus quare Imperatores inſtituerunt Terram de Modoëtia caput Lombardiae, *& eam ſic affirmant eſſe, & quare debeant* ibi in Eccleſia S. Joannis Baptiſtae coronari, poſſumus oſtendere pluribus rationibus, & exemplis &c. *Adeſt & aliud Capitulum XXII. in eadem Chronica tenoris huiuſmodi, videlicet:* Karolus Magnus hujus nominis Primus &c. *In eadem etiam Chronica folio XII. adeſt Capitulum, quod eſt XXVIII. in ordine tenoris huiuſmodi, videlicet:* Otto Henrici Alamanorum Regis filius &c.

Quum autem prefatus D. Capitaneus, dicti DD. Canonici, deputati, & ego Iulianus Notarius ut ſupra, ac dicti infraſcripti alij Notarij, & teſtes praedictis expeditis egreſſi eſſemus dictum Archivum, nobiſque omnibus exiſtentibus in Eccleſia praedicta, Canonici ipſi praefato D. Capitaneo, ac dictis Deputatis, & nobis Notariis, & teſtibus infraſcriptis quamdam tabulam marmoream in muro poſteriori loci, ſuper quo cantantur Epiſtola, & Evangelium in eadem Eccleſia,

ſia, quando Miſſae ſolemnes celebrantur, affixam oſtendiſſent, aſſeverantes in eadem ſculptas eſſe caerimonias ſolitas in huiuſmodi coronationibus ſervari, propterea ego Iulianus Notarius, ut ſupra cupiens huius rei veritatem indagare, & elicere, appoſita iuxta dictam marmoream tabulam ſcala, per gradus aſcendens ipſi tabulae propinquus factus, aſtantibus, & praeſentibus, videntibuſque praedictis D. Capitaneo, Canonicis, Deputatis, & Notariis, ac teſtibus infraſcriptis, cum vidiſſem in ea Tabula ſculptas eſſe plurimas ſtatuas, & infraſcriptas etiam quaſdam literas, deſcripſi ſtatuas ipſas, ac literas, & comperij, quod in tabula ipſa ſculptum eſt Altare maius &c.

Quibus omnibus peractis, iuſſu praefati D. Capitanei, & auctoritate nobis attributa per Reverendiſſimum, & Magnificum Senatum, Ego Iulianus Piſcina una cum infraſcriptis Notariis de praedictis omnibus, & ſingulis tam a dicta Chronica, quam a ſupraſcripta tabula marmorea fideliter extractis, hoc publicum tranſumtum confecimus, publicum de eo tradimus Inſtrumentum.

Acta haec fuerunt in Palatio Communis Modoëtiae praeſentibus Venerabile D. Presbytero Ioanne de Rippa Canonico praedictae Eccleſiae S. Ioannis Baptiſtae, nec non &c.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Quaeritur num S. Gregorius M. Archiepiſcopis Mediolanenſibus jus eligendi Reges Italiae contulerit. Negatur. Sub Francis Caeſaribus hoc jus obtinere coepit.

EXPLICATA Modoëtienſis Archipresbyteri praeſtantia reſtat, ut aliquid de Mediolanenſis Archiepiſcopi jure in eligendis Regibus Italicis commentemur. Siquidem Sigonius Lib. I. de Regno Ital. Anno 601. haec ſcribit: *Mediolanenſes produnt Annales, Mediolanenſem Archiepiſcopum eo jure a Gregorio Pontifice decoratum, ut vacante Italiae Regno, ipſe poſt XIV. dies Suffraganeorum ſuorum Concilium advocaret, atque ex eorum ſententia Regem conſtitueret, eumque Corona ferrea a Theodelinda inſtituta Modoëtiae redimiret.* Quod Sigonius alieno tantum nomine tradit, Gaſpar Bugatus in Hiſt. univerſ. Lib. II. ad Annum 603. probavit, tum Morigia in Hiſt. Mediolan. Lib. I. Cap.

Digitized by Google

Cap. VIII. Joſeph Ripamontius Lib. VIII. Dec. I. Hiſtor. Eccleſ. Mediol. aliique Mediolanenſes Hiſtorici retulere. Ego horum teſtimoniis recenſendis ſuperſedeo, utpote cuilibet obviis, & e MS. Codicibus longe antiquioribus ſententiam hanc peti oportere cenſeo. Seculo Chriſtianae Epochae decimotertio vivebat Philippus a Caſtro Seprii, qui res Mediolanenſium memoriae prodebat. Ex ejus Chronico haec refert Gualvaneus Flamma Cap. DIII. Chron. Majoris MS. *Statuit B. Gregorius Papa de conſenſu Senatus, quod Archiepiſcopus Mediolanenſis convocatis omnibus ſuis Suffraganeis Epiſcopis eligeret unum virum virtuoſum, & imperio aptum, non in Imperatorem, ſed in Comitem totius Italiae &c.* Addit infra: *Si autem Archiepiſcopus Mediolanenſis a Regni vacatione Comitem Italiae non eligeret infra dies XIV., pro illa vice cadebat a iure ſuo, & electio pertinebat ad Papam. Hoc privilegio uſi ſunt Archiepiſcopi de Mediolano, ſicut expreſſe habetur de Valperto, & Heriberto, & pluribus aliis Archiepiſcopis.* Ad hoc etiam Mediolanenſium Archiepiſcoporum jus procul dubio reſpexit Auctor Chronici de Comitibus Angleriae, qui, ut alibi dictum eſt, ſeculo Chriſti decimo tertio floruit, ubi *Alionum filium quondam Regis Millij de Inglexio Regis Italiae electum fuiſſe, & factum Comitem totius Italiae Anno DCVI. per conſilium generale Domini Archiepiſcopi Mediolanenſis Conſtantij* ſcribere non dubitavit. Verum ne noſtris quidem Mediolanenſibus aſſentari didicimus, qui veritatem ubique prae oculis, veluti Hiſtoriae animam, habendam eſſe arbitramur. Commentitium igitur appellare nunc liceat privilegium iſtud Archiepiſcopis tantae Urbis a Gregorio conceſſum, quam ſententiam rationibus exempliſque probare contendam. Nemo eſt, qui neſciat Gregorii M. temporibus infelicem Italiam geminis paruiſſe Principibus, videlicet Graecis Imperatoribus, & Langobardorum Regibus. Hi non ſolum totum agrum, qui Pado alluitur, ſed alias quoque provincias occupaverant, ſuique imperii fines tam late protulerant, ut ipſas urbes Beneventum, Spoletum, Forum Julii, aliaque, ut refert Paulus Warnefridi, inſignia Oppida barbarae ditioni adiecerint. Graecis vero Imperatoribus cum Ravenna, ejuſque Exarchatu, ipſa Roma, aliaeque provinciae adhuc obtemperabant. Quis igitur per ea tempora credat, a Gregorio Magno in Mediolanenſem Archiepiſcopum eligendi in Italiam Regis jura fuiſſe translata? Irritus ſane S. Pontificis conatus fuiſſet, ſi Italiam & Graecorum, & Langobardorum juribus tunc ſubtraxiſſet, quum utraque natio aut vi gladii, aut ſucceſſionis anti-

quitate

quitate provinciam noſtram teneret. Sed & ab eorum temporum, Gregoriique moribus ea ſententia abhorruiſſet, quippe ex ejuſdem Vita per Joannem Diaconum ſcripta, atque ex ejus Epiſtolis conſtat, nihil ei antiquius fuiſſe, quam intacta Graecis Auguſtis jura ſervare, provinciaſque Italicas in eorum obedientia continere. Ad haec cur Mediolanenſi Archiepiſcopo conferret, & non ſibi jus eligendi Regis retineret Gregorius, quum Romae non minus quam Mediolani imperaturus Rex ille fuiſſet? Quae tamen prorſus opinionem hanc evertunt, exempla ſunt, eaque vulgaria; Etenim poſt Gregorii mortem ad Caroli uſque Magni tempora Graecis Imperatoribus eadem fuit, ac antea fuerat, regnandi in Italia conſuetudo, atque poteſtas. Sive armorum potentia, ſive jus ſuccedendi Principes illos ad ſolium perduceret, nullo Mediolanenſis Antiſtitis ſuffragio illi indiguere, ut juſte in Italia imperarent. Neque diverſa regnandi ratio apud Langobardos fuit, quos Paulo Diacono teſte aut a Regni Optimatibus Langobardis electos fuiſſe, aut parentibus ſucceſſiſſe liquet. Atque haec pauca ſufficiant e multis, quae in hanc rem proferri poſſent. Quod enim eſt ad eruditiſſimos Scriptores, illi de tam praeclaro privilegio omnes dubitare videntur. Sigonius enarratis iis, quae ſupra retulimus, addit: *Quod jus a Rege ullo Longobardorum uſurpatum, Paulus nuſquam oſtendit &c.* Lib. vero IV. idem Auctor ſic loquitur: *Carolus M. Regnum Italicum ſibi jure victoriae vindicavit. Quod ut novo praeterea jure ſanciret, vetus, ut putabatur, Pontificis Gregorii Decretum adhibuit.* Se tamen hac in re Mediolanenſibus fidem abrogare non poſſe profitetur Sigonius, quod hoc muneris Gregorium Theodelindae petenti tribuiſſe non ſit abſonum. Haec ille, atque utinam tam vere quam modeſte; nam & nos, ſi firma argumenta pro hoc tanti Archiepiſcopi jure ſuccurrerent, in ejus ſententiam lubentiſſime iremus. Eamdem porro opinionem a Sigonio mutuatus Erycius Puteanus Lib. II. Hiſt. Inſubr. propoſuit, *ſi tamen*, inquit, *Annalibus eſt fides;* in notis vero ad haec verba addit: *Patria Mediolanenſium linguâ conſcriptis*. Atque hinc eſt, quod doctiſſimus Cointius in Annal. Franc. ad Annum 774. relatis Sigonii, ac Ripamontii verbis in hanc ſententiam loquitur: *At ubi legitur hoc Privilegium? Quando habitum ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, & Comprovincialibus Epiſcopis Concilium, ut ex eorum ſententia Rex Italiae crearetur? Fictitia profecto ſunt, quae temporibus Theodelindae Reginae de Corona Ferrea, deque Privilegio conceſſo a Gregorio Magno circumferuntur.* Emanuel quoque Theſaurus Lib. III.

de Regno Italiae S. Henricum Imperatorem hujus nominis Primum ab Arnulfo Mediolanenſi Archiepiſcopo contra Ardoinum regnantem Regem electum, Sceptroque Italico fuiſſe donatum ſcribit, *ſotto intempeſtivi preteſti* (ſunt ejus verba) *d'un' antica Conſtituzione di S. Gregorio Magno, priva d'autorevole teſtimonianza, ne mai ricevuta, o praticata fra' Longobardi*. In notis vero ad Theſaurum Valerianus Caſtillionaeus multa affert, queis penitus hoc privilegium explodat. Puteani tamen verbis, quibus plurimum inſiſtit, deceptus eſt ille, nam non Annales tantum patria Mediolanenſium lingua conſcripti, ſed vetuſtiſſimae etiam Hiſtoriae Latino ſermone lucubratae privilegii iſtius mentionem fecere. Quod etiam magis mirere, Gualvaneus Cap. DCLXXIV. de Ilduino Archiepiſcopo Mediolanenſi circiter Annum Chriſti 930. haec habet. *Hic fuit primus Archiepiſcopus, qui de electione Imperatoris ſe umquam intromiſit; Ipſe enim congregato Concilio Praelatorum, & Baronum in Eccleſia S. Ambroſii elegit in Regem Italiae Ugonem Regem Burgundiae*. Quibus animadverſis ea fortaſſe nobis ſententia placeat, non a Gregorio Magno, ſed a Gregorio V. potius privilegium hujuſmodi prodiiſſe, quod etiam Blondus Lib. III. Dec. II. ſcripſit, Auctoreſque eorum nomina confudiſſe. Certe ab hoc Pontifice Imperatorum, Regumque Italiae electionem novis ſanctionibus ornatam, & confirmatam fuiſſe, quamplures tradunt, legiturque in c. venerabilem extra. de Electione, & Electi poteſt. Verum utcumque ſe res habeat, etſi Archiepiſcopo Mediolanenſi jus eligendi Regis a Gregorio M. tributum non fuerit, extra omnem tamen dubitationis aleam poſitum reor, hujuſmodi jure primum ſub Carolo Magno, ejuſque Succeſſoribus Antiſtites Mediolanenſes frui coepiſſe. Et Francis quidem Regibus per ea tempora Langobardorum provincia parebat, ſed Regum illorum jura Epiſcoporum, Procerumque in Langobardia viventium electione, aut ſaltem approbatione nitebantur. Quum vero totius provinciae primas abſque dubio teneret Mediolanenſis Praeſul, aequum erat, ut eligendi Regis poteſtas ad illum praecipue pertineret. Illuſtre hujus rei documentum dabo, nempe Synodum Ticinenſem habitam An. 876. a Synodo Pontigonenſi eodem Anno confirmatam, & ab eo, qui Aimoini Hiſtoriam proſequitur, ab Annalibus Bertinianis, a Sirmondo, atque a Labbeo publici juris factam. Ibi Carolus Calvus Imperator Ciſalpini Regni patronus, Dominus, ac defenſor eligitur, praeeunte omnium ſententiae Anſperto S. Mediolanenſis Eccleſiae Archiepiſcopo. *Nos unanimiter*, ajunt Patres, *vos Carolum protectorem*,

rem, Dominum, ac defenſorem noſtrum omnium eligimus, cui & gaudentes toto cordis affectu ſubdi gaudemus. Lectorum patientia facile abuterer, ſi ſingulos Regum Italicorum ab Archiepiſcopo Mediolanenſi ad ſolium evectos enumerarem. Duobus vetuſtiſſimis Auctoribus contentus heic ero, primuſque erit mihi Landulfus ſenior Mediolanenſis Hiſtoricus, qui, ut alias ſignificavi, ſub ſeculi Epochae noſtrae undecimi finem Hiſtoriam ſcripſit S. Datii nomine celebrem, & apud nos hodie MS. Ab Arnulfo Archiepiſcopo Henricum Primum electum fuiſſe his verbis narrat: *In Roncbalia Arnulfus cum omnibus Italiae primatibus colloquium ſtatuit, ubi cum diverſe de Regni negotiis tractaſſent, Arduini ſpreto dominio, quod malis artibus uſurpaverat, Henricum Teutonicum ſcientia illuſtrem, armis fortiſſimum, militumque copiis abundantem, ac divitiis affluentem elegit.* Idem tradunt Gualvaneus, Sigonius, ceterique Scriptores. Quamobrem aliquibus ſaltem ſeculis Archiepiſcopos Mediolanenſes jure eligendi Regis uſos fuiſſe, nemo inficias ibit. Accedit alter Scriptor, videlicet Arnulfus, & ipſe Mediolanenſis Hiſtoriographus, cujus Hiſtoriam eodem ſeculo undecimo compoſitam in Ambroſiana Bibliotheca MS. adſervamus. Conradum Primum circiter Ann. Chriſti 1024. a Germanis renunciatum Regem Heribertus Mediolanen. Archiepiſcopus Italici Regni acceſſione potentiorem effecerat. Anno vero 1027. quum Romam Conradus ſe contuliſſet, ut Auguſtalia inſignia de manu Pontificis Magni reciperet, inter Mediolanenſem, Ravennatemque Archiepiſcopos controverſia exarſit, dum quiſque Regem coronandum Pontifici ſiſtere vellet. Hinc ſingulorum Civium pro ſuis Archiepiſcopis ſtudia excitata, & ad tumultum ſeditionemque res adducta. Quid tum Conradus? Audi Arnulfum: *Rex igitur tumultuantium ſtrepitu attonitus, cognita tandem rei veritate, gradum ſcandens, taliter eſt concionatus: Certum quidem eſt Reverendi Patres, quod ſicut privilegium eſt Apoſtolicae Sedis conſecratio Imperialis, ita Ambroſianae Sedis privilegium eſt Electio, & Conſecratio Regalis. Unde ratum videtur, ut manus, quae benedicit, & prius Coronam Regi imponit, ſi praeſens fuerit, repraeſentet Regem ad Imperium promovendum S. Petro, & ejus Vicario, quatenus Ambroſiano teſtimonio jure poſſit imperare, qui ab Ambroſiana conſecratione didicit, & coepit regnare &c.* Hujus rei geſtae fidem non Arnulfus tantummodo, Triſtanus Chalcus, Gualvaneus, Sigonius, aliique Scriptores faciunt, verum ſupereſt adhuc illius inſigne monimentum in Capituli Metropolitani Bibliotheca, ubi antiquiſſimus Beroldi MS.

Digitized by Google

Codex legitur, atque in eo Hiſtoriae haec ita inſcripta: *Commemoratio ſuperbiae Ravennatis Archiepiſcopi &c.* Illic non ſemel ego legi, ſed & ante me legerat Puricellus, a quo luci tradita fuit in vita Laurentii Littae Cap. XXIV. num. 29. Videas ibi iiſdem fere verbis deſcriptam Conradi Orationem. Et quandoquidem in ea Antiſtiti Mediolanenſi electio, & conſecratio Regum Italicorum luculenter tribuitur, nullum expectes hujus juris uberius teſtimonium.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Coronationum ritus varii explicantur. Othonis M. Coronatio deſcripta. Vetuſtiſſima Liturgia e MS. Codicibus depromta proponitur.

QUi vero coronationum ritus forent, diligenter nobis explorandum videtur, ut quantum licet Coronae ferreae uſus per nos illuſtretur, atque ut copioſiorem ſegetem ſcribendi Clariſſimo Wagenſeilio paretur, qui de Coronis Caeſareis ampliſſimum Commentarium meditatur, uti me per literas certiorem fecit celeberrimus Mediceae Bibliothecae Praefectus Antonius Magliabechius. Hoc autem mea quidem ſententia praeſtari melius non poterit, quam ſi ex antiquis Codicibus MS. in Ambroſiana Bibliotheca extantibus, & ex aliis documentis luce adhuc carentibus ſingula deſcribamus. Itaque exordium a MS. Chronico Comitum Angleriae ducamus, cujus Auctorem (Danielem fortaſſis nomine) ſeculo Chriſti decimo tertio floruiſſe jam diximus. Is quidem Comitibus Anglerienſibus nimium addictus plura in eorum gratiam commentatur, quae ſuſpicione falſi abſolvere vix poſſum; Attamen heic nonnulla invenias, quae ad veritatem accedere nemo negabit. Ita igitur hic Auctor loquitur:

Quando Rex Alamaniae electus eſt, & qui eſt Rex Romanorum, debet venire in Italiam ad recipiendam primam Coronam Imperii, quam debet recipere in Civitate Mediolani in Eccleſia S. Ambroſii. Et ante quam recipiat iſtam Coronam, dictus Rex debet iurare ſuper Miſſale S. Ambroſii, quod poni debet extra dictam Eccleſiam, ubi eſt Lapis marmoreus directus, & iſtum Librum, ſive Miſſale dicti Comites de Inglexio debent praeſtare dicto Regi, qui Comi-

tes

tes ſunt obedientes tam in Spiritualibus, quam in Temporalibus S. Romanae Eccleſiae. Quorum primum ſacramentum eſt, quod Imperator obediens erit S. Romanae Eccleſiae, & Domino Apoſtolico, & omnibus Sanctis obedientibus dicti Apoſtolici, & tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus. Et quae Corona debet eſſe de ferro, & debet amplexari dictum directum Lapidem, & ſicut Lapis directus eſt, ita directa debet eſſe iuſtitia in ipſo Imperatore. Et qui maior eſt prior de iſtis Comitibus de Inglexio, debet habere Crucem in manu. Et dictus Rex, ſive Imperator debet flectere genua ante dictam Crucem Chriſti, & oſculari Chriſti pedes. Et iſte Comes debet portare Crucem iſtam, & quando vadit ad Altare S. Ambroſii, ubi eſt ſculptus in lapide Hercules, qui eſt ſignum iſtorum Regum, & Comitum de Inglexio, & qui Hercules eſt a parte dextera eundo verſus Altare S. Ambroſii, & iuxta dictum Herculem debet poni iuxta Crux, & debet dictus Imperator flectere genua ante Crucem, & debet oſculari pedes dicti Herculis, & hoc ex quadam regula, & honore iſtorum Dominorum Regum, & Comitum de Inglexio. Et praedictis factis debet praedictus Imperator poſt dictam Crucem ire ad Altare S. Ambroſii, & ibi ſe inclinare, & flectere genua, & debet eſſe ibi dictus Archiepiſcopus Mediolani, ſive Abbas S. Ambroſii, & dictus Comes de Inglexio debet accipere Coronam de capite Imperatoris, & eam ponere ſuper Altare S. Ambroſii, & dictus Dominus Archiepiſcopus, ſive Abbas S. Ambroſii tunc debet dare dicto Imperatori ſuam benedictionem. Dictus Comes de Inglexio debet accipere Coronam de Ferro, & ponere ſuper caput dicti Imperatoris, & debent ibi eſſe duo de quadam Parentela de Mediolano de Porta Nova, qui nominantur Cotti, qui duo debent accipere dictum Dominum Imperatorem in brachiis, & ipſum ferre ad Cathedram S. Ambroſii, & eum ibi ponere, & dictus Comes de Anglexio, qui coronavit dictum Imperatorem, debet ſe genibus flectere coram dicto Imperatore, & ſibi oſculari pedem dexterum, & illi duo de Cottis debent ſibi oſculari pedem ſiniſtrum. Et tunc dictus Imperator debet confirmare dictos Comites de Inglexio in ſuis honoribus, & Regalibus, ſicut fecerunt alii Imperatores. Et praedicti Comites debent facere fieri publicum Inſtrumentum, quomodo, & qualiter dictus Imperator recepit dictam Coronam, & fuit obediens in omnibus tam Temporalibus, quam Spiritualibus. Et poſt iſtam Coronam dictus Imperator non debet habere moram in Civitate Mediolani ultra tres dies, niſi caſus infirmitatis accideret.

Auctorem

Digitized by Google

Auctorem Anglerienſis Chronici ferme deſcripſerunt Gualvaneus Flamma Cap. DVI. Chronici Majoris, & Auctor alterius Chronici MS. de antiquitatibus Civitatis Mediolani, cui titulus eſt *Flos Florum*. Ea de cauſſa ab eorum verbis heic iterum inculcandis abſtineo, eo maxime quia Gualvanei locum retulerit Puricellus in Monum. Baſil. Ambr. num. 102. Ceterum in collatione Auguſtalis Coronae pluribus exemplis conſtat, Imperatores ſacris Diaconi, vel Subdiaconi, veſtibus cinctos incruento Sacrificio miniſtraſſe. Hoc autem & olim in coronatione Italicorum Regum fuiſſe uſurpatum, luculentis probabo auctoritatibus. Florebat, ut alibi ſignificatum eſt, ſeculo Chriſti XI. Landulfus, cujus Hiſtoria Mediolanenſis MS. apud nos ſub Datii nomine populari errore legitur. Deſcribit ille Othonis Magni coronationem in Ambroſiana Baſilica peractam anno 961. his plane verbis: *Otho ab omnibus in Regem magnis cum triumphis Mediolanum electus, & ſublimatus eſt. Interea Valperto Myſteria Divina celebrante, multis Epiſcopis circumſtantibus Rex omnia Regalia, lanceam, in qua Clavus Domini habebatur, & enſem regalem, bipennem, baltheum, Chlamydem Imperialem, omneſque regias veſtes ſuper B. Confeſſoris Ambroſii Altare depoſuit, perficientibus, atque celebrantibus Clericis, omnibuſque Ambroſianis Ordinibus divinarum ſolemnitatum myſteria, Valpertus magnanimus Archiepiſcopus omnibus regalibus indumentis cum manipulo ſub Diacone Corona ſuperimpoſita, aſtantibus B. Ambroſii Suffraganeis univerſis, multiſque Ducibus, atque Marchionibus, decentiſſime, atque mirifice Othonem Regem collaudatum, & per omnia confirmatum induit, atque perunxit.* Juvat & heic Gualvaneo aures praebere ita differenti Cap. DVI. Chron. Majoris: *De Othone primo legitur, quod quando debuit coronari in S. Ambroſio depoſuit omnes regias veſtes, & in modum Subdiaconi indutus fuit ſtricte cum manipulo in ſiniſtra manu.* In Manipulo vero Florum rem eamdem deſcribit, ac ait: *Poſtea ſtola, & manipulo induitur quaſi Subdiaconus* (ſeu *Diaconus*, ut fert Puricelli exemplar) *& celebratis Myſteriis Archiepiſcopus Valpertus ipſum Othonem laudatum, & confirmatum in Imperatorem, perunxit, ac Coronam capiti ejus impoſuit.* Sigiſmundi Imperatoris coronationem anno 1431. in Ambroſiana Baſilica Mediolani celebratam, quam deſcribunt Corius in Hiſtoria Mediolanenſi, & luculentius Morigia in Hiſt. Mediol. Lib. I. Cap. XXV. nunc omittere ſatius duxi, & plurima quoque alia Scriptorum documenta, ne inutili, ac ambitioſa exemplorum verborumque copia chartam potius impleam, quam Lectores nova

erudi-

Digitized by Google

eruditione inſtruam. Quoniam vero ad perfectiorem hujus materiae formam futurum eſt, ut plurimum conducat, ſi & Liturgia proferatur, quae in ipſa Italicorum Regum coronatione uſurpabatur, en antiquiſſimam exhibeo e MS. Codice deſcriptam. Modoëtienſi in Archio monumentum hoc olim extabat, ejuſque exemplar inde educendum curavit doctiſſimus vir Joannes Baptiſta Blanchinus Mediolanenſium antiquitatum egregius cultor, illudque mihi perhumaniter communicavit. Arbitrabar ego primum, his precibus ritibuſque Henrici VII. coronationem fuiſſe deſignatam, atque decoratam. Verum intime rem perpendenti ad tempora longe antiquiora Liturgiam hanc eſſe referendam viſum eſt mihi. Etenim uni tantummodo Regi hos ritus inſerviſſe patet, quum tamen una quoque cum Henrico VII. ejus conjux Margarita Auguſta Coronam ſumſerit. Praeterea in Italici Regni jura ſucceſſiſſe patribus ſuis Henricus iſte dicitur iis verbis: *ſta, & retine amodo locum, quem hucuſque paterna ſucceſſione retinuiſti, haereditario jure tibi delegatum &c.* Quae ſane verba Henrico VII. convenire nequaquam poſſunt, quum hic e Germanicorum Electorum voto Imperium obtinuerit, & nemo ex ejus Majoribus Caeſarea Dignitate auctus aliquando fuerit. Additur etiam: *Ut regale ſolatium Saxonum....... aliorumque populorum ſibi ſubditorum ſceptra non deſerat &c.* Quod Henrico VII. non ita liquido tribui poteſt; non enim is in Saxoniam revera dominabatur. Scriptores quidem Mediolanenſes tradunt, provinciam illam, atque Normandiam Italicae ditioni ab Othone Magno fuiſſe conjunctas, ita ut cum Mediolanenſi Corona non in Italiam ſolum, ſed in eas quoque provincias jura Caeſaribus conferrentur; At ex Modoëtienſi marmore didicimus, aliiſque auctoritatibus oſtendi poteſt, coronatione Inſubrica *Reges* tantum *fertilis Italiae* Auguſtos pronunciari. Demum ante Henrici VII. tempora procul dubio uſurpabatur haec Liturgia, nam ut Bonincontrus Lib. II. Cap. VI. Chron. Modoët. memorat, idem Imperator e Modoëtienſi Sacrario *accipi juſſit baculum abbani, & Libellum Orationum ad ejus coronationem locum habentium, qui dudum in dicta Eccleſia B. Joannis fuerant.* Igitur Henricum potius Quartum, quam alios Henricos, Liturgia noſtra reſpicit, qui ſeculo a Chriſti ortu duodecimo ineunte Mediolanenſi Corona redimitus fuit; Is enim e Saxonum ſanguine prodierat, atque in eam provinciam poteſtatis jura exercebat. Similis autem Liturgiae Sigonius mentionem habet initio Lib. IV. de Regno Italiae, ubi Italicam coronationem deſcribens in hanc ſententiam loquitur: *Ea res maxima*

fieri

fieri caeremonia conſuevit, quae in Rituali antiquiſſimo continetur, qui Ordo Romanus vocatur. Perducto ſcilicet per Epiſcopos ex cubiculo in Templum, atque ad aram maximam Rege, Archiepiſcopus poſt ſolennes aliquot precationes effuſas populum alloquutus interrogabat, num ſe tali Regi ſubiicere, atque illius mandatis, & iuſſionibus conſtanti fide vellet obtemperare? Ubi vero populus ſe velle reſponderat, Regis caput, pectus, ſcapulas, atque ipſas brachiorum compages Oleo Sancto ungebat, Deum orans, uti in bello gerendo, & in ſobole propaganda votis eius annueret. Ornato deinde enſe, armillis, pallio, annulo, & ſceptro Coronam imponebat, & per Chorum ductum in ſolio collocabat, atque oſculo pacis oblato divinam inde rem faciebat. Haec Sigonius ex Ordine Romano mutuatus, quae Regum omnium, vel extra Italiam, coronationi adhiberi poſſe videntur. Noſtra vero Liturgia Mediolanenſem tantum coronationem in Ambroſiana Baſilica peractam reſpicit, in uſu etiam futura, ſi quando contingat, ut Romanorum Reges deſignati ſola electione minime contenti Italicarum Coronarum ſplendorem expetant, amentque Imperii jura Auguſtali diademate e Summi Pontificis manu ſuſcepto firmiora efficere.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Liturgia ferme ante ſexcentos Annos in Mediolanenſi Imperatoris Henrici coronatione uſurpata, atque e MS. Codice deſcripta.

INcipit Ordo ad conſecrandum Regem. Veniant cùm magna proceſſione in Palatium Regis Epiſcopi ſuffraganei Epiſcopaliter parati, & Chorus Majorum decenter adornatorum cum Crucibus, & incenſo, ut mos eſt in ſolemnitatibus incedere. Et illi de centum cum Primicerio, qui Primicerius habeat pluvialem, & baculum cum Thuribulo, & Cruce. Ipſi vero habeant Cottas albas.

Modus Proceſſionis talis eſt.

Primo incedunt Vegloni, & Veglonae decenter ornati, & ornatae. Secundo incedunt Clerici de numero centum. Tertio Chorus Ordinariorum cum ſuis Officialibus. Quarto incedunt Epiſcopi Suffraganei. Cum autem pervenerint ad Palatium, ubi eſt Rex, dicat unus Epiſcoporum hanc Orationem:

Domi-

Dominus vobiſcum. ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum Henrichum, Regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei quaeſumus, ut ita in eius ſeculi curſu cunctorum in communem ſalutem diſponat, quatenus a tuae veritatis tramite non recedat. Per Dominum &c.

Poſtea ſuſcipiant duo Epiſcopi dextrâ, laevâque: Clerici autem cantant reſponſorium:

Dirumpam vincula populi mei, dicit Dominus, & diſperdam omnia mala, quae induxi ſuper eos, ut auferam univerſum dolorem a facie terrae, & a Civitate iſta. Verſus. *Iſrael ſi me audieris, non erit in te Dominus recens, neque adorabis Dominum alienum.*

Deducitur Rex ab ipſis Epiſcopis cum proceſſione uſque ad Eccleſiam Beati Ambroſii Ducibus, Marchionibus, nobilibuſque cum populo ipſos Epiſcopos, & Regem comitantibus, Clericis autem canentibus Pſallendas:

Benedices Coronam anni benignitatis tuae, & campi tui replebuntur ubertate. Pſalmus. *Te decet hymnus Dominus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem.* Antiphona ſecunda. *Benedictus homo Domine, quem erudieris, & de lege tua docueris.* Antiphona III. *Iucundus homo qui diſponit ſermones ſuos in iudicio, non movebitur in aeternum.* Antiphona IV. *In via peccatorum non ſtetit, & in Cathedra peſtilentiae non ſedit, ſed in lege Domini fuit voluntas eius.* Antiphona V. *Erit Iuſtus tanquam lignum fructiferum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* Antiphona VI. *Deſiderabiliora ſunt Deus mandata tua ſuper aurum, & lapidem pretioſum, & dulciora ſuper mel, & favum.* Antiphona VII. *Et ſi coram hominibus inſecutus eſt, Deus tentavit illum, tamquam aurum in fornace probavit eum, & ſicut holocauſti hoſtias accepit illum.* Antiphona VIII. *Dicit Dominus: ſuper quem requieſcam? ſuper humilem, & manſuetum trementem verba mea.* Antiphona IX. *Sicut fui cum Moyſe, ita ero tecum, dicit Dominus. Confortare populum tuum, ne timeas, ecce Dominus Deus tuus ante te, & non te derelinquet.* Antiphona X. *Ecce mitto Angelum meum, qui praecedat te, & cuſtodiat ſemper. Conſerva, & audi vocem meam, & praecedat te Angelus meus.*

Ad Oſtium autem Eccleſiae Clerus ſubſiſtat. Alter Epiſcopus dicit Orationem hanc: *Dominus Vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Deus qui ſcis genus humanum nulla virtute poſſe ſubſiſtere, concede propitius, ut famulus tuus Henrichus, quem populo tuo voluiſti

praeferri, ita tuo fulciatur adiutorio, quatenus quibus potuit praeeſſe valeat, & prodeſſe. Per Dominum &c.

Introgreſſi canteat Clerici Antiphonam: *In virtute tua Domine laetabitur Rex, & ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer. Deſiderium animae eius tribuiſti ei Domine.* Uſque ad introitum Chori. Illis autem ſubſiſtentibus dicat Dominus Archiepiſcopus: *Dominus Vobiſcum.*

Omnipotens ſempiterne Deus Coeleſtium, terreſtriumque moderator, qui famulum tuum Henrichum ad Regni faſtigium provehere dignatus es, concede quaeſumus, ut a cunctis adverſitatibus liberatus & Eccleſiaſticae pacis dono muniatur, & ad aeternae pacis gaudia te donante pervenire mereatur. Per Dominum &c.

Cantent Clerici Antiphonam poſt *Kyrie* cum *Gloria. Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in Cathedra ſeniorum laudent.*

Poſt haec inter manus Epiſcoporum perductus in Chorum uſque ad Altaris gradum incedat, cunctoque pavimento tapetibus, & paleolis contecto, ibi afferantur Regalia, & deponatur corona in Altari. Tunc interrogetur ipſe Princeps a Domino Archiepiſcopo per hunc modum:

Vultis ſanctas Dei Eccleſias, ac Rectores earum (additiones tempore D. Ludovici Regis Romanorum. *Canonice inſtitutos, & ſecundum Religionem Chriſtianam debitam viventes*), *nec non & cunctum populum ſibi, & vobis ſubiectum iuſte, ac religioſe regali providentia iuſta morem patrum defendere, ac regere?*

Reſponſio Regis: *Profiteor in quantum divino fultus adiutorio, ac ſolatio omnium Fidelium meorum valuero, ita me per omnia eſſe acturum.*

Dominus Archiepiſcopus coram omnibus addat legens: *A vobis perdonari petimus, & unicuique de nobis, & Eccleſiis nobis commiſſis Canonicum Privilegium* (additio ejuſdem: *Sacro Imperio nobis, & Succeſſoribus noſtris non obvians, nec derogans honori Imperiali in aliqua parte*), *ac debitam legem, atque Iuſtitiam conſervetis, ac defenſionem exhibeatis, ſicut Rex in ſuo Regno unicuique Epiſcopo, & Eccleſiae ſibi commiſſae per rectum exhibere debet.*

Ad hoc Rex reſpondeat, & taliter dicat: *Promitto vobis Sanctiſſimi Patres, & perdono, quia unicuique de vobis, & Eccleſiis vobis commiſſis Canonicum Privilegium* (additio ejuſdem: *Prout iam promiſſum eſt*), *& debitam legem, atque Iuſtitiam ſervabo, & defenſionem, quantum potuero adiuvante Domino exhibebo, ſicut Rex*

in ſuo

in ſuo Regno unicuique Epiſcopo, & Eccleſiae ſibi commiſſae per rectum exhibere debet.

Deinde alloquantur duo Epiſcopi populum in Eccleſia, inquirentes eorum voluntatem, ſi tali Principi, ac Rectori ſe ſubiicere, ipſiuſque Regnum firma fide ſtabilire, atque juſſionibus obtemperare velint, & ſi concordes taliter ſunt in conſecratione, qualiter fuerint in electione, & ſi concordes invenerint, agant gratias Deo, & omnis plebs cantet *Kirie eleiſon.* Poſt haec ante Altare Rex totus in Cruce proſtratus cum Epiſcopis jaceat, & Presbyteris deſuper Choro Letanias agentibus. *Domine miſerere. Domine miſerere. Domine miſerere. Chriſte libera nos. Salvator libera nos. Chriſte libera nos. Salvator libera nos. Chriſte libera nos. Salvator libera nos. Sancta Maria. Sancte Michaël. Sancte Gabriel. Sancte Raphaël. Sancte Ioannes. Sancte Petre. Sancte Paule. Sancte Andrea. Sancte Thoma. Sancte Luca. Sancte Stephane. Sancte Clemens. Sancte Nazari. Sancte Celſe. Sancte Gervaſi. Sancte Protaſi. Sancte Griſante. Sancta Daria. Sancte Pantaleon. Sancte Ambroſi. Sancte Satire. Sancta Marcellina. Sancta Candida. Sancta Iuſtina. Sancte Benedicte. Omnes Sancti. Exaudi Chriſte. Voces noſtras. Exaudi Chriſte. Voces noſtras. Exaudi Chriſte. Voces noſtras. Exaudi Deus. Et miſerere nobis. Exaudi Deus. Et miſerere nobis. Exaudi Deus. Et miſerere nobis. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon. Kyrie eleiſon.*

Finitis Letaniis erigant ſe Epiſcopi, & unus eorum dicat *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Te invocamus Domine Sancte Pater omnipotens aeterne Deus, ut hunc famulum tuum Henrichum, quem tuae divinae diſpenſationis providentia in primordio plaſmatum uſque in hunc praeſentem diem iuvenili flore laetantem creſcere conceſſiſti, cum tuae pietatis dono ditatum, plenumque gratia veritatis de die in diem coram Deo, & hominibus ad meliora ſemper proficere facias, ut ſummi regiminis ſolium gloriae ſupernae largitate gaudens ſuſcipiat, & miſericordiae tuae muro ab hoſtium adverſitate undique munitus plebem ſibi commiſſam cum pace propitiationis, & virtute victoriae feliciter regere valeat. Per Dominum &c.

Tunc alius Epiſcopus appropinquans dicet hanc Orationem.

Deus qui populis tuis virtute conſulis, & amore dominaris, da huic famulo tuo Spiritum Sapientiae cum regimine diſciplinae, ut tibi toto corde devotus in Regni regimine maneat ſemper idoneus, tuoque munere ipſius temporibus ſecuritas Eccleſiae dirigatur, & in tran-

 quil-

Digitized by Google

quillitate devotio Chriſtiana permaneat, ut in bonis operibus perſeverans ad aeternum Regnum te duce valeat pervenire. Per Dominum &c.

Alius Epiſcopus:

In diebus eius orietur omnibus aequitas, & iuſtitia, amicis adiutorium, inimicis obſtaculum, humilibus ſolatium, elatis correptio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax, & ſecuritas unicuique ſecundum ſuam menſuram: moderate gubernans ſe ipſum ſedulus diſcat, ut tua irrigatus compunctione toti populo tibi placita praebere vitae poſſit exempla, & per viam veritatis cum grege gradiens ſibi ſubdito opes frugales abundanter acquirat ſimul, ad ſalutem non ſolum corporum, ſed etiam cordium, a te conceſſa cuncta accipiat, ſicque vitae cogitatum animi, conſiliumque omne componens plebem gubernare cum pace ſimul ac ſapientia ſemper invenire videatur, teque auxiliante praeſentis vitae prolixitatem percipiat, & per tempora bona uſque ad ſummam ſenectutem perveniat, huiuſqué fragilitatis finem perfectum ab omnibus vitiorum vinculis tuae pietatis largitate liberatus, & infinitae proſperitatis praemia perpetua Angelorumque aeterna commercia conſequatur. Per Dominum &c.

Tunc conſecrat eum Metropolitanus in haec verba:

Omnipotens ſempiterne Deus Creator, & Gubernator Coeli, & Terrae conditor, & diſpoſitor Angelorum, & hominum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti; Moyſi, & Ioſue tuo populo praelatis multiplicem victoriam tribuiſti; humilem quoque David puerum tuum Regni faſtigio ſublimaſti, eumque de ore Leonis, & de manu beſtiae, atque Goliae, ſed & de gladio maligno Saul, & omnium inimicorum eius liberaſti, & Salomonem ſapientiae, paciſque ineffabili munere ditaſti, reſpice propitius ad preces noſtrae humilitatis, & ſuper hunc famulum tuum, quem ſupplici devotione in Regnum pariter elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, atque dextera tuae potentiae ſemper ubique circumda, quatenus praedicti Abrahae fidelitate firmatus, Moyſi manſuetudine fretus, Ioſue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Sapientia Salomonis decoratus tibi in omnibus complaceat, & per tramitem iuſtitiae inoffenſo greſſu ſemper incedat, & totius Regni Eccleſiam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat, & doceat, muniat, & inſtruat, contraque omnes viſibiles, & inviſibiles hoſtes idem potenter, regaliterque tua virtute regimen Italicorum adminiſtret, ut Regale ſolatium Saxonum............ que, aliorumque populorum ſibi ſubditorum Sceptra non deſerat, ſed ad priſtinae

ſtinae

ſtinae fidei, & pacis concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut uterque horum populorum debita ſubiectione fultus cum digno amore per longum vitae ſpatium paternae apicem gloriae tua miſeratione unitum ſtabilire, & gubernare mereatur, tuae quoque protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili iugiter protectus, armiſque coeleſtibus circumdatus optabilis victoriae triumphum de hoſtibus feliciter capiat, terrorem ſuae potentiae infidelibus inferat, & pacem tibi militantibus laetanter reportet: virtutibus nec non quibus praefatos fideles tuos decoraſti multiplici honoris benedictione condecora, & in regimine Regni ſublimiter colloca, & oleo gratiae Spiritus Sancti perunge. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

✠ Tum ungatur Rex a Domno Archiepiſcopo ad modum Crucis in ſpatulis de Oleo exorcizato, & cantent Clerici Antiphonam.

Dilexiſti Iuſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea unxit Deus Dominus tuus oleo laetitiae prae conſortibus tuis. Unxerunt Salomonem Sadoch Sacerdos, & Nachaz Propheta Regem in Geon, & ambulantes laeti dixerunt: Vivat Rex in aeternum.

Qua finita proſequatur Domnus Archiepiſcopus:

Unde unxiſti Sacerdotes Reges, & Prophetas, & Martyres, qui per fidem vicerunt Regna, & operati ſunt iuſtitiam, atque adepti ſunt promiſſiones; cuius ſacratiſſima unctio ſuper eum effluat, atque in interiora deſcendat, & cordis illius intima penetret, & promiſſionibus, quas adepti ſunt victorioſiſſimi Reges gratia tua, dignus efficiatur, quatenus & in praeſenti ſeculo feliciter regnet, & ad eorum conſortium in coeleſti Regno perveniat. Per Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui unctus eſt oleo prae conſortibus tuis, & virtute Crucis poteſtates aereas debellavit, Tartara deſtruxit, Regnumque Diaboli ſuperavit, & ad Coelos victor aſcendit, in cuius manu victoria omnis, gloria, & poteſtas conſiſtunt, & tecum vivit, & regnat in unitate eiuſdem Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Poſt unctionem dicatur:

Dominus Dei Filius Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui a Patre oleo exultationis unctus eſt prae participibus ſuis, ipſe per praeſentem ſacrati unguinis infuſionem Spiritus Parcliti ſuper te effundat benedictionem, eamque denique uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus viſibili, & temporali dono inviſibilia percipere, & temporalia regere iuſtis mundaminibus atque aeternalibus cum eo regere merearis, qui ſolus ſine peccato Rex Regum vivit, & glorificatur cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus. Per &c.

Heic

Heic detur ei anulus a Metropolitano:

Accipe Regiae dignitatis anulum, & per hunc Catholicae Fidei in te cognoſce ſignaculum, quia ut hodie ordinaris caput, ac Princeps Regni, ac populi, ita per ſe veraciter actor, ac ſtabilitor Chriſtianitatis, & Chriſtianae fidei, & per hunc ſcias triumphali potentia hoſtes repellere, haereſes deſtruere, ſubditos coadunare, & converti perſeverabilitati Fidei Catholicae, ut felix in opere, locuples in fide cum Rege Regum glorificeris in aeternitate per eum, cui honor, & gloria per infinita ſecula ſeculorum.

Sequitur Oratio:

Deus, cuius eſt omnis poteſtas, & dignitas, da famulo tuo proſperum ſuae dignitatis effectum, ut remunerante te permaneat, ſemperque te timeat, tibique iugiter placere contendat. Per &c.

Poſtea ab Epiſcopis enſem accipiat, dicente Metropolitano:

Accipe gladium per manus Epiſcoporum, licet indignus, vice tamen, ac auctoritate Sanctorum Apoſtolorum conſecratus, tibi regaliter impoſitum, noſtraeque benedictionis officio in defenſionem Sanctae Dei Eccleſiae divinitus ordinatum, & eſto memor, de quo Pſalmiſta prophetavit dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, ut in Henricho per eum vim exerceas aequitatis, molem iniquitatis potenter deſtruas, & Sanctam Dei Eccleſiam, eiuſque fideles propugnes, ac protegas, nec minus ſub fide falſos, quam Chriſtiani nominis hoſtes execres, & deſtruas, viduas, & pupillos clementer adiuves, & defendas, reſtaures deſolata, conſtruas reſtaurata, ulciſcaris iniuſta, confirmes bene diſpoſita, quatenus hoc agendo virtutum triumpho glorioſus, iuſtitiaeque cultor egregius cum Mundi Salvatore typum geras in nomine ſine fine merearis regnare, qui cum Patre &c.

Quo finito ſequitur Oratio:

Deus, qui providentia tua coeleſtia ſimul, & terrena moderaris, propitiare Chriſtianiſſimo Regi, ut omnis hoſtium ſuorum fortitudo virtute gladii ſpiritualis frangatur, ac te pro illo pugnante penitus conteratur per Filium tuum Dominum noſtrum &c.

Poſt haec Domnus Archiepiſcopus Coronam capiti Regi cum Epiſcopis ſuis imponat, & dicat.

Accipe Coronam Regni, quae, licet ab indignis, Epiſcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, quamque ſanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis expreſſe ſignare intelligat, & per hanc te participem miniſterii noſtri non ignores, ita ut ſicut nos in interioribus Paſtores, Rectoreſque animarum intelligimus, tu quoque in exte-

exterioribus verus Dei cultor, ſtrenuuſque contra omnes adverſitates Eccleſiae Chriſti defenſor, Regnique a Deo tibi dati, & per officium noſtrae benedictionis vice Apoſtolorum, omniumque Sanctorum tuo regimini a Deo commiſſi utilis executor, regnatorque perſpicuus ſemper appareas, ut inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus, & praemio ſempiternae felicitatis coronatus cum Redemtore, ac Salvatore IESU Chriſto, cuius nomen vicemque geſtare crederis, ſine fine glorieris, qui vivit, & imperat Deus cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti.

Oratio: *Deus perpetuitatis lux virtutum cunctorum hoſtium victor benedic hunc famulum tuum tibi caput ſuum inclinantem, & prolixa ſanitate, & proſpera cum felicitate conſerva, & ubicumque, vel pro quibuſcumque auxilium tuum invocaverit, cito adſit, & protegas, ac defendas; tribue quaeſumus Domine ei divitias gratiae tuae, comple in bonis deſiderium eius, corona eum miſeratione, & miſericordia, ut tibi Domino patri pia devotione iugiter famuletur.*

Heic detur ei Sceptrum:

Accipe Sceptrum Regiae poteſtatis inſigne, virgam, ſcilicet rectum Regni, virgam virtutis, qua te ipſum bene regas, Sanctamque Eccleſiam, & populum Chriſtianum tibi a Deo commiſſum regia virtute defendas ab improbis, pravos corrigas, rectos pacifices, & ut viam rectam tenere poſſis, tuo iuvamine dirigas, quatenus de temporali Regno ad aeternum Regnum pervenias ipſo adiuvante, cuius regimen, & Imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio ſequitur: *Omnium Domine fons bonorum, cunctorum Deus inſtitutor praefectuum, tribue quaeſumus famulo tuo adeptam bene regere dignitatem, & a te ſibi praeſtitum honorem corroborare dignare: honorifica eum prae cunctis Regibus Terrae, verbi eum locupleta benedictione, & in ſolio Regni conſolida firma ſtabilitate, viſita eum in ſobole, praeſta ei prolixitatem vitae, in diebus eius ſemper oriatur Iuſtitia, & cum iucunditate, & laetitia aeterno glorietur in Regno.*

Tunc detur ei Virga.

Accipe virgam virtutis, atque aequitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantes viam docere, lapſiſque manum porrigere, diſperdaſque ſuperbos, & releves humiles, & aperiat tibi Dominus N. I. C. os ſuum, qui de ſe ipſo ait: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ipſe, qui eſt clavis David, & Sceptrum Domus Iſrael, qui aperit, & nemo claudit, & nemo aperit, ſit tibi adiutor, qui eduxit vinctum de domo carceris ſedentem

in te-

in tenebris, & umbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo Propheta David cecinit: Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi virga aequitatis, virga Regni tui, & imitando Spiritum diligas Iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem, quia propterea unxit te Deus Dominus tuus oleo laetitiae ad exemplum illius, quem ante ſecula unxerat oleo exultationis prae participibus ſuis Ieſum Ch. D. N. &c.

Tunc benedicat eum Archiepiſcopus:

Extendat omnipotens Deus dexteram ſuae benedictionis, & effundat ſuper te donum ſuae protectionis, & circumdet muro felicitatis, ac cuſtodiat, ſuae propitiationis Sanctae Mariae, & Beati Petri Apoſtolorum Principis, Sanctique Ambroſii, atque omnium Sanctorum intercedentibus meritis. Amen. Alleluia. Victorioſum te, atque triumphatorem de inviſibilibus, atque viſibilibus hoſtibus ſemper efficiat, & ſancti nominis ſui timorem pariter, & amorem continuo cordi tuo infundat, & in Fide recta, ac bonis operibus perſeverabilem reddat, & pace in diebus tuis conceſſa cum palma victoriae te ad perpetuum Regnum perducat. Amen. Alleluia. Benedic Domine hunc Regem noſtrum, qui Regnum omnium moderaris a ſeculo, & tali eum benedictione glorifica, ut...... teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus in eius protinus reperiatur merito. Amen. Alleluia. Honorifica eum prae cunctis Regibus gentium, felix in populo dominetur, & feliciter eum omnes nationes adorent, vivat inter gentium catervas magnanimus, ſit in iudiciis aequitatis ſingularis. Amen. Alleluia. Praeſta ei prolixitatem vitae per tempora, & in diebus eius oriatur Iuſtitia, a te robuſtum regiminis ſolium teneat, & in aeterno Regno glorietur cum iucunditate, & iuſtitia. Amen. Quod ipſe praeſtare &c.

Deinde Coronatus honorifice deducatur ad ſolium, & accipiat ſtationem a Domino Archiepiſcopo dicente ſic:

Sta, & retine amodo locum, quem hucuſque paterna ſucceſſione tenuiſti, haereditario iure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, (additio eiuſdem: *Tum Dei myſterio mihi cum ceteris Epiſcopis devoti, & religioſe adſiſtimus cum ceteris Dei ſervis*), *& per praeſentem traditionem noſtram, omnium ſcilicet Epiſcoporum, ceterorumque Dei ſervorum, & quatenus Clerum ſacris altaribus propinquiorem perſpicis, tanto potiorem in locis congruis honorem impendere memineris, quatenus mediator Dei, & hominum te mediatorem Cleri, & plebis in hoc Regni ſolio confirmet, & in Regnum aeternum ſecum regnare faciat Ieſus C. D. N. Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui cum Deo &c.*

Poſt

Poſt haec detur ſibi Pomum aureum cum Cruce, & dicantur haec verba:

Accipe Pomum aureum, quod ſignificat Monarchiam omnium Regnorum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Et dicat Domnus Archiepiſcopus omnibus audientibus:

Rectitudo Regis eſt noviter ordinati, & in ſolium ſublimati haec tria praecepta populo Chriſtiano ſibi ſubdito praecipere. In primis ut Eccleſia Dei, & populus Chriſtianus veram pacem ſervet in omni tempore. Secundum eſt ut rapacitates, & omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Tertium eſt, ut omnibus iudiciis aequitatem, & miſericordiam praecipiat, ut illi, & nobis indulgeat ſuam miſericordiam clemens, & miſericors Deus, qui cum &c.

Et dicat Rex tertio: *Sic fiat.* Tunc det Domnus Archiepiſcopus pacem Regi, & Rex det pacem omnibus, & Clerici cantent alta voce: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur &c.*

Tunc Domnus Archiepiſcopus Miſſam celebrat cum plena Proceſſione.

Oratio ſuper Populum:

Deus qui miro ordine univerſa diſponis, & ineffabili gubernas praeſentia, quaeſumus ut famulus tuus Henrichus in huius ſeculi curſu implenda decernat, unde tibi in perpetuum placere valeat. Per &c.

Epiſtola, & Evangelium, Reſponſorium in Miſſa pro Rege, & dicto Evangelio Rex offerat panem, & vinum ad manus Domini Archiepiſcopi.

Oratio ſuper Syndonem:

Omnipotens ſempiterne Deus, qui de plebe tua Regni faſtigio famulum tuum Henrichum dignatus es ſublimare, fac eum humilitatis, iuſtitiae, ceterarumque virtutum bono exuberare, ut a tuae veritatis tramite non recedat, & ad te, qui vita es, gratioſus perveniat. Per &c.

Super Oblationem:

Concede quaeſumus omnipotens Deus his ſacrificiis ſalutaribus placatus; ut famulus tuus Henrichus ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur ſemper idoneus, & coeleſti patriae reddatur acceptus. Per Dominum &c.

Praefatio:

Aeterne Deus, qui es auctor totius bonitatis, Regum conſecrator, honorum omnium attributor, dignitatumque largitor, cuius ineffabilem clementiam votis omnibus exoramus, ut famulum tuum Henrichum, quem regalis gloriae culmine voluiſti ſublimari, ſapientiae, ceterarum-

Digitized by Google

que virtutum ornamentis facias decorari, & ut tui eſt muneris, quod imperat, tuae ſit pietatis, quod id feliciter agat, quatenus de viſibilibus, & inviſibilibus hoſtibus triumphator effectus, & tranſitorii Regni gubernacula inculpabiliter teneat, & ad aeterni Regni infinita gaudia te miſerante perveniat. Per Dominum &c.

Benedictio Archipraeſulis:

Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatque te, & ſicut voluit te ſuper populum ſuum eſſe Regem, ita in praeſenti ſeculo felicem, & aeternae felicitatis tribuat eſſe conſortem. Amen.

Clerum, & populum, quem ſua voluit opitulatione in tua ſanctione congregari ſua diſpenſatione, & ſua adminiſtratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen.

Quatenus divinis monitis parentes, adverſitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo Imperio fideli amore obſequentes, & in praeſenti ſeculo tranquillitate fruantur, & tecum aeternorum Civium conſortio potiri mereantur. Amen. Quod ipſe praeſtare &c.

Poſt Communionem.

Haec Domine ſalutaris ſacrificii perceptio famuli tui Henrici peccatorum maculas diluat, & ad regendum ſecundum tuam voluntatem populum tuum idoneum reddat, ut hoc ſalutari myſterio contra viſibiles, atque inviſibiles hoſtes reddatur invictus, per quod mundus eſt divina diſpenſatione redemtus. Per Dominum &c.

Et finita Miſſa Rex communicetur, & ſic ait. *Deo gratias.*

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

An Clavus Crucis ſit Coronae Ferreae intextus. Rationes pro Modoetienſium opinione referuntur. Quid Mediolanenſes Archiepiſcopi in hac cauſſa egerint.

HACTENUS, Rubine doctiſſime, quis Coronae ferreae uſus, quinam coronationum ritus forent, tantoque muneri deſtinatae Urbes, ac Baſilicae fuerint, longa inquiſitione inveſtigavimus, quod neſcio moleſtiaene plus, an eruditionis attulerit. Nunc autem poſtulat locus, ut quae ad noſtram Coronam pertinent propius, atque interius attingamus, ejuſque pervulgatam, ut ita appellemus, ſanctitatem ante eru-

te eruditorum tribunal conſtituamus. Quam quaeſtionem utique ea ratione ad poſtremas paginas reſervavimus, ne qui minus hujuſmodi diſputationes curare ſolent, a reliquorum lectione avertantur. Quamquam fortaſſe nulla res in hac diſquiſitione occurrit, quae majori conſideratione ſit digna, & cui noſtrates impendere ſtudium curioſius debeant. Itaque rem prodam, tibi quidem jam dudum perſpectam, ſed pleriſque eruditorum hucuſque incognitam. Alibi adnotatum memini, Ferream Coronam circulum eſſe ex auro obrizo conſtantem, cui introrſus ferrea lamina intexta etiam ferreae nomen dedit. Laminam vero illam nil aliud eſſe, quam unum e Sacris Clavis, quibus in Cruce omnium Redemtor Deus confixus fuit, apud Modoëtienſes fama celebratur, in quorum gazophylacio ab antiquis uſque temporibus Corona ſervatur. Et eo quidem adducta res erat, ut (ſeculo fortaſſe noſtro tantummodo) publicae populorum venerationi Corona exponeretur, incluſaque ſacrarum Reliquiarum thecis ſolemni cultus ritu per inſigne Oppidum in Supplicationibus deferretur. Verum Eminentiſſimo Card. Federico Vicecomiti, Mediolanenſi olim Archiepiſcopo, quum minime hujuſmodi cultus probaretur, neque enim ſat firmis rationum praeſidiis Cives Modoëtienſes cauſſam ſuam tueri videbantur, prudentiſſimi, ac pii delecti ſunt, qui Coronam viſerent, ejuſque ſingulares praerogativas deſcriberent. His peractis Eminen. Antiſtiti, a quo prudenter omnia perpendebantur, ejuſque miniſtris ſententia ſedit, Coronam Ferream publicae venerationi amplius non proponendam. Ex eo tempore ſub cuſtodia, ut ita dicam, collocatum diadema, aut nemini, aut paucis videndum, delituit. Hinc Modoëtienſes precibus agere, ſcriptis pugnare, omnemque apud Archiepiſcopum movere lapidem, ut priſtino decori ſua reſtituerentur. Sed eorum votis Archiepiſcopi decretum minime reſpondit. Illius partem heic deſcribam, quod in hanc rem laudatus Cardinalis promulgavit: *Inſtabant*, inquit ille, *Modoëtienſes, ut ipſe auctoritate ordinaria declararem, ferream illam laminam confectam eſſe ex uno Clavorum, quibus confixus Chriſtus Dominus pependit in Cruce. Verum non tanti me facio, ut decernere velim, quod tot Sanctiſſimi, ſapientiſſimique Antiſtites Praeceſſores mei non definivere; atque ideo rem tam grandis momenti integram illibatamque dijudicandam relinquo ſupremis prudentiſſimiſque Congregationis Romanae &c.* Quum itaque nonnullis videri jam poſſit, non in hocce tantum Decreto, ſed in aliis tanti Archiepiſcopi geſtis pro ſublata ferrei diadematis veneratione, aequitatem deſiderari, meum eſſe arbitror oſten-

Vv 2 dere,

dere, juſtiſſimis rationibus ſententiam hanc undequaque niti, & ſine periculo infringendae veritatis ſanctitatem Coronae Modoëtienſis definiri non poſſe. Qua in re facile, ut ſpero, emicabit obſequium illud, quo Sanctam Mediolanenſem Eccleſiam, ejuſque digniſſimum Praeſulem Emin. Cardinalem Federicum Cacciam proſequor, ſiquidem prudentiſſima Archiepiſcoporum Mediolanenſium judicia defendere illorum praecipue eſt, qui tum inſtituto vitae, tum Ambroſianae Bibliothecae legibus Eccleſiaſticae paleſtrae ſe prorſus dicavere. Quum vero nullo odii, nullo ambitionis ſtimulo ad ſcribendum adigar, locum modeſtiae potiſſimum faciam, daboque operam, ne dicta mea in nervum erumpant, atque ut eruditorum gratia mihi concilietur, amicorum vero non corrumpatur. Memini enim, quam bene velim iis, a quibus amari me ſentio, & ſubit, quo reverentiae modulo cum doctiſſimo illo viro agendum ſit, qui firmis adductus rationibus pro Modoëtienſium opinione certavit. Nobis igitur, licet diverſa ſentientibus eadem gratia conſtet, quippe nil aequius duco, quam in opinionum differentia animorum concordiam ſervare. Quis autem prudens ingeniorum contentionibus corda quoque immiſcenda eſſe putet? In arcem igitur quaeſtionis libero pede invadamus, & quae ſint Modoëtienſibus argumenta in aciem producantur. Auctor eſt Sanctiſſimus Mediolanenſium Antiſtes Ambroſius in Oratione de obitu Theodoſii num. 47. Crucem Dominicam ab Helena Conſtantini M. matre fuiſſe repertam una cum Clavis, quibus Chriſtus in Cruce affixus eſt. Unum ex his fraeno addidit pia Imperatrix, quo Auguſti filii regebatur equus, alterum ejuſdem diademati intexuit. Ita S. Epiſcopus loquitur: *Quaeſivit Helena Clavos, quibus crucifixus eſt Dominus, & invenit. De uno Clavo fraenos fieri praecepit, de altero Diadema intexuit; unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit.* Tum addit: *Miſit itaque filio ſuo Conſtantino Diadema gemmis inſignitum, quas pretioſior ferro innexas Crucis redemtionis divinae gemma connecteret. Miſit & fraenum. Utroque uſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges.* Poſt alia proſequitur Ambroſius: *Sapienter Helena, quae Crucem in capite Regum locavit, ut Crux Chriſti in Regibus adoretur. Bonus itaque Clavus Romani Imperii, qui totum regit Orbem, ac veſtit Principum frontem &c.* Conſtantinianam porro Coronam eamdem eſſe ac Ferream Modoëtienſes tradunt, quam ad Theodelindam Langobardorum Reginam dono miſit Gregorius Magnus. Haec ſummo ſemper ſervata ſtudio in S. Joannis Baptiſtae Baſilica, ad noſtra

uſque

Digitized by Google

uſque tempora tranſiit, illuſtre procul dubio antiquitatis monumentum. Rem autem hanc ita ſe habere, primum vetuſtate famae, Scriptorumque nonnullorum auctoritate, tum aliis conjecturis probant. Anno Chriſtianae Epochae octogeſimo ſeptimo ſupra milleſimum, & quingenteſimum Gaſpar Bugatus in Additam. ad univerſ. Hiſtoriam haec ſcribit: *L'altro Chiodo, che è quello, il quale ſi conſerva nel Tempio di Monza nella Corona Imperiale, ſecondo che ſe n' ha relazione antica, acconciato in un cerchietto tondo dentro d' eſſa Corona d' oro al di fuori, il qual ferro ſempre ſta luſtro per la teſtimonianza de' vecchj univerſale.* Huic ſubſcripſere Anno 1613. Bartholomaeus Zucchius in Hiſt. Cor. Ferreae, Anno 1617. Franciſcus Collius, & Joſeph Ripamontius ambo Collegii Ambroſiani Doctores, ille Lib. III. Diſput. XIII. Cap. XIV. de Sanguine Chriſti, hic Dec. I. Lib. II. & Lib. VIII. Hiſtor. Eccl. Mediolanenſis. Anno vero 1625. P. Tobias Corona in Lib. inſcripto *Sacri Tempii* Par. III. Cap. XII. Anno 1645. Joannes Petrus Puricellus in Monum. Baſil. Ambr. num. 71. & 101. ac praeter hos Ignatius Lamius, Joannes Baptiſta Villa, Paulus Morigia, aliique Scriptores ſeculo noſtro tantae rei mentionem reliquere. Ex his nonnulli quum vetuſtam famam Modoëtienſibus praeclariſſimi hujus ornamenti teſtem eſſe ſcribant, aperte etiam probari poſſe videtur, germano Crucis Clavo Baſilicam Modoëtienſem ornari. Sententia quippe, ajunt illi, Juriſperitorum eſt, Legibus Eccleſiaſticis, Caeſareiſque fulta: *In rebus antiquis probationem per famam admitti.* His accedit antiquae poſſeſſionis jus, & S. Caroli Mediolanenſis Archiepiſcopi teſtimonium, a quo ferream Coronam quammaxima veneratione inſpectam fuiſſe ferunt. Eminentiſſimi deinde Cardinalis Littae Mediolanenſis item Antiſtitis pro hac re ſuffragia Anno 1655. promulgata laudantur, illo enim veniam dante, libere in Supplicationibus Coronam deferre Modoëtienſibus poſtea licuit. Poſtremo ſacrum illud pignus prodigia quaedam probavere; ſi tamen prodigii nomen merentur nunquam a ferro contracta rubigo, depulſuſque de capite Eminentiſſimi Littae gravis dolor. Atque his, ſimilibuſque argumentis Coronae ferreae ſanctitatem proxime elapſis annis tuebatur doctiſſimus vir familiaris meus, cujus opinio quin altis fundamentis nitatur, nemo inficias ibit. Ceterum quae mihi in hujuſmodi quaeſtione animadvertere nuper vacavit, accipe, benignaſque aures ita differenti praebe.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMNONUM.

Diadematum, & Coronarum differentia. Conſtantini M. Corona deſcribitur. Eadem a ferrea differebat. S. Ambroſii, aliorumque Scriptorum ſententiae perpenduntur.

Quid retulerit de ſacro Clavo Conſtantinianae Coronae intexto Ambroſius, jam vidimus. Atqui tricari verbis in ipſo diſputationis limine videar, ſi ejus verba expendam, quae magnam dubitationem reliquere. Uti enim Cap. I. hujus Commentarii animadverti, pluribuſque in locis teſtatur Carolus Paſchalius Lib. de Corona, nil aliud Diademata olim erant, quam panni, ac faſciae, lineae, plectiles, textileſque, quibus Regum capita vinciebantur. Contra Coronae ex auro, foliis, floribus, aliiſque ornamentis conſtabant. Cum harum, tum illorum exempla graphice deſcripta, eorumque differentiam exhibuit Clariſſimus, meique dum viveret amantiſſimus vir Joannes Ciampinus, bonarum literarum decus in Lib. de veter. Monum. ac Muſivis Cap. XIV. pag. 107. quem conſulere heic poteris. Diadema vero Imperatoribus Romanis antea minime uſurpatum Aurelianus Auguſtus omnium primus adhibere coepit, Romana Republica, Imperiique jure in Regni ſpeciem fere converſo. Aureliani exemplum ſuccedentes Principes imitati Diademata quam coronas in uſu frequentius habuere, ita ut Aurelio Victore teſte *Conſtantinus M. habitum regium gemmis, & caput exornaret perpetuo diademate*. Certe plurima illa Conſtantini numiſmata, quae Hiſtoriae Byzantinae inſeruit Cl. V. Du-Freſnius, Auguſtum Principem aut galea, aut lauru munitum, aut vario Diadematum genere ornatum ſaepiſſime exhibent. Quaedam ex his pulchre ſunt multis gemmis ornata, quaedam duplici margaritarum ordine diſtincta viſuntur, vittis, quibus ſingula colligabantur, in humeros pendentibus. Ergo ſi Ambroſii verbis Conſtantinianum Diadema proprie deſcribebatur, utique illud a Modoëtienſi Corona nunc plurimum differre, nemo non videt, ſiquidem haec proprie non Diadematis, ſed aureae coronae appellationem meretur. Non ſum tamen neſcius, horum duorum inſignium nomina a quibuſdam promiſcue uſurpari, atque ideo Ambroſii verba:

Digitized by Google

ba: *De altero Diadema intexuit*, poſſe de Corona intelligi. Verum quaenam Conſtantinianae Coronae forma fuerit, optimarum artium ſtudiis eruditi hinc intelligant. Scilicet in numiſmate apud laudatum Du-Freſnium pag. 17. CONSTANTINUS AV. inſpicitur, cujus capiti aurea corona cum radiis aut pinnis, ſed ſine gemmis impoſita eſt; in poſtica vero nummi parte legitur BEATA TRANQUILLITAS cum VOTIS. XX. Quam itaque Conſtantiniana Corona a Modoëtienſi diſſimilis ſit, continuo cognoſcas; illa enim radiata fuit, haec vero ſine radiis, una gemmis carens, altera iiſdem referta. Ad haec nullam Coronam, quae ab antiquis Regibus, aut Imperatoribus adhiberetur, hucuſque inſpexi, cujus forma cum Ferrea convenire poſſit. Modoëtienſium igitur impoſterum erit oſtendere a Conſtantiniano Diademate, aut Corona Ferream nihil differre. Quod ubi non praeſtent, jam primum ſententiae noſtrae argumentum habemus, quo adducti ſacrum Clavum eorum Coronae minime intextum eſſe ſuſpicemur. Hoc quidem ex Ambroſii Sanctiſſimi Epiſcopi verbis conſequitur; nam ſi ab illis diſcedere in praeſentia fas eſſet, res pene confecta foret, herbamque dare continuo Modoëtienſes cogerentur. Reliquorum ergo Hiſtoricorum una ſententia eſt, non Coronae, aut Diademati Conſtantiniano ſacrum Clavum fuiſſe intextum, ſed ejus galeae. Rufinus Aquilejenſis Presbyter S. Ambroſii aequalis, eoque vivente clarus, in Palaeſtinae locis diu verſatus haec habet Lib. I. Cap. VIII. Hiſtoriae Eccleſ. *Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, Helena portat ad filium. Ex quibus ille fraenos compoſuit, quibus uteretur ad bellum, & ex aliis galeam nihilominus belli uſibus aptam fertur armaſſe.* Seculo vero a partu Virginis quinto, centum ferme annos poſt Conſtantini mortem, literis Graecis Eccleſiaſticam Hiſtoriam mandarunt Socrates Scholaſticus, Theodoritus Epiſcopus Cyri, & Sozomenus. Primus Lib. I. Cap. XIII. Alter Lib. I. Cap. XVIII. Tertius Lib. II. Cap. I. concordi oratione teſtantur in Conſtantini M. caſſide unum e ſacris Clavis artificioſe incluſum fuiſſe, ut in certaminibus ineundis tutus a vulneribus Caeſar eſſet. Similia tradunt e Theodorito Caſſiodorus Lib. I. Cap. XVIII. Hiſt. Tripart. Nicephorus Calliſtus Lib. VIII. Cap. XXIX. Eccleſ. Hiſtoriae. Paulus quoque Diaconus, cui ferreae Coronae notitia (ſi Langobardorum temporibus illa extitiſſet) latere non debuit, Lib. XI. Hiſtoriae Miſcellae ita loquitur: *De Clavis, quibus manus Chriſti fuerunt perforatae, alios in galeam miſit Imperatoris, filij capitis providentiam gerens, ut jacula bellica ſubmo-*

ſubmoveret, *alios fraeno equino permiſcuit*. Plures alios Auctores tum vetuſtos, tum recentes hujus rei teſtes omitto, unumque addo antiquiſſimi Scriptoris teſtimonium, quippe nondum luci publicoque redditum. Anonymus hic eſt, cujus Hiſtoriam MS. Graeca lingua in membranis Bibliotheca noſtra ſervat, ab exordio Mundi ad Valentis, ac Valentiniani tempora uſque perductam. An eo ſeculo Auctor ſcripſerit, non liquet; deſideratur enim in MS. Codice poſtrema hujus Hiſtoriae pagina, poſt quam Julii Pollucis Onomaſticon ſequitur. Poſtquam igitur de S. Crucis inventione Hiſtoricus egit, haec addit: Τῶν δὲ ἥλων τὰς μὲν εἰς τὴν ἰδίαν περικεφαλαίαν ἐχάλκευσεν, τὰς δὲ ἀνέμιξεν τῷ σαλιβαρίῳ τοῦ ἵππου αὐτοῦ. Hoc eſt. *E Clavis vero quoſdam quidem ad cudendam ſibi galeam adhibuit*, *alios vero inſeruit fraeno equi ſui*. Gregorius vero Turonenſis, cui hac in re conſentientem Zonaram invenio, ante annos mille, ac centum Lib. I. Cap. VI. Mirac. rei iſtius fama aliquantulum deceptus in haec verba loquitur: *Quartum clavum adſerunt eſſe defixum in capite ſtatuae Conſtantini*, *quae Civitate*, *ut aiunt*, *tota excelſior eſſe ſuſpicitur*, *ſcilicet ut tota*, *cui eminet*, *munitione ſalutis quodammodo galeâ coronata eſſet*. Haec antiquiſſimi Hiſtoriarum Scriptores, rerumque Graecarum optime gnari; quae ſi vera ſunt, negotium Modoëtienſibus non leviter faceſſant oportet, eamque ob cauſſam non amplius Conſtantinianae Coronae appellationem ſibi uſurpabunt. Et profecto adhibita, quam par eſt, S. Ambroſii verbis reverentia, aequius videbatur caſſidi, quam coronae Conſtantini Clavum inſerere, uti enim ſinguli Auctores fatentur, conſilium hujuſmodi Helena Auguſta inivit, ut filium, dum acie cum hoſte confligeret, Divina virtute Clavis indita incolumem tueretur. Galea vero, non Diademate in certaminibus opus erat Auguſto, neque enim Regalia ornamenta tunc Principibus uſurpari ſolent, quum ii ducem militemque potius quam Regem agunt, ne eximius veſtium, inſigniumque ſplendor periculo propriores faciat. Videant igitur eruditi, quibus difficultatibus utrinque Modoëtienſium cauſſa prematur, & urgeatur, quantumque prima eorum fundamenta convellantur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VICESIMUM.

S. Gregorius M. Coronam Ferream Theodelindae nequaquam donat, Illam Langobardi, Francique Reges non uſurpavere. Zucchii mala fides improbatur.

NUnc vero a Modoëtienſibus ſciſcitemur, undenam ii accepere, Conſtantinianam Coronam in Italicas regiones fuiſſe advectam? Nullum ii procul dubio teſtem antiquum laudabunt, atque adeo interruptam Coronae ferreae Hiſtoriam eos fateri neceſſum erit. Nobis contra ſimile veri haudquaquam videtur, Caeſares Byzantinos M. Conſtantini ſucceſſores tam parum pretioſiſſimi illius pignoris ſtudioſos fuiſſe, ut alio aſportari ſinerent. S. Ambroſii tempore ſacer Clavus ſummo non tantum in honore habebatur, ſed ipſa etiam Principum tempora cingebat. Audi iterum S. Antiſtitem in Orat. de Obitu Theod. iſta loquentem: *Bonus itaque Clavus Romani Imperii, qui totum regit orbem, ac veſtit Principum frontem &c. Clavum Crucis ejus Diademati ſuo praeferunt Imperatores, & Ariani poteſtatem ejus imminuunt?* Cur igitur ſe tanto ornamento Conſtantinopolitani Principes privaverint, cui tum Conſtantini M. exemplum decus addiderat, tum ſacri ferri incluſum pondus reverentiam conciliarat? Verum enim vero nullam interrogationis noſtrae Modoëtienſes rationem habent, & ad Gregorii M. tempora libere ſe conferunt, ut a Sanctiſſimo Pontifice Reginam Theodelindam Corona ferrea donatam oſtendant. Aures itaque Zucchio adhibeamus, ut quid certi ille ferat, intelligamus. Cap. I. Lib. de Cor. Fer. in hanc ſententiam fatur: *Juſtior dubitandi cauſſa aliorum mentes occupare poſſet, quomodo in Reginae Theodelindae manus Corona iſta pervenerit, niſi Carolus Sigonius praeter alios dubitationem ſatis eo in loco amoveret, ubi ſic ſcribit: S. Gregorius Pontifex Theodelindam Corona ferrea donavit*. Sed ut alibi animadvertimus, & Puricellus in Monum. Baſil. Ambr. num. 101. adnotavit, aut fallit, aut fallitur heic Zucchius, ſententiam hujuſmodi Sigonio affingens. Nuſquam hoc Sigonius ſcriptis mandavit, nunquam hoc eruditiſſimus vir excogitavit. Quin Graecorum Auctorum opinionem ille ſequutus, non Coronam

Conſtantini, ſed ejus galeam ſacro Clavo munitam affirmavit. Inquit igitur Lib. III. de Occident. Imperio ad Annum 327. *Conſtantinus ex tribus Clavis uno galeam, altero fraenum equi ornavit*. Coronam vero, qua Langobardi uti coepere, *a Theodelinda inſtitutam* Sigonius arbitrabatur, ut e Lib. I. de Regno Ital. liquet, quod tamen Zucchius, utpote opinioni ſuae omnino contrarium, data opera diſſimulavit. Sed neque omittendus eſt alius Sigonii locus, quo Zucchius, Scriptor Lectoribus imponere ſolitus, ad ſuam opinionem confirmandam abutebatur. *Verum*, inquit Sigonius Lib. I. de R. Ital. *ne auctoritatem prorſus Mediolanenſibus abrogem, illud facit, quod Coronam hanc ferream poſt Carolum M. omnibus Italiae Regibus video deinceps fuiſſe ſolemnem, & quod hoc muneris Gregorio Theodolindae petenti tribuiſſe non ſit abſonum, ut gratiam Reginae referret &c.* Quibus verbis Coronam ferream Theodelindae a Gregorio conceſſam probare contendit Zucchius, ſed infelici ſucceſſu; Etenim non de Coronae ferreae dono, ſed jure eligendi, coronandique Italicos Reges, quod a S. Gregorio Archiepiſcopis Mediolanenſibus collatum quidam opinantur, Sigonius apertiſſime loquitur. Reliqua Sigonii verba huc non adfero, ne clarius malam Zucchii fidem ſub omnium oculis ponam. Ceterum quod ex Annalium Modoëtienſium, nempe Bonincontri auctoritate (nullis tamen Annalium verbis productis) refert idem Auctor, videlicet Modoëtienſi Templo ferream Coronam a Theodelinda Regina dono datam fuiſſe, falſi crimine itidem argui poteſt. Bonincontrum ſaepe legi, pluraque ejus verba deſcripſi, neque hujus rei teſtimonium ullum offendi. Et cur hujus Auctoris locum non deſcribebat Zucchius mire cum opinione ſua conſentientem? Nimirum Bonincontri ſilentio, quam verbis commodius fallere is poterat. Et quaeſo mihi veniam humaniſſimi Lectores tribuant, quod Zucchium aſpere adeo acceperim. Non eſt hoc in moribus meis, neque enim iis, qui nolentes errant, ſeveritatem adhibere conſuevi, erraturus & ego. At quum conſulto peccant Hiſtorici, ut faciles aliorum animos decipiant, & praeſertim in iis, quae ad religionem pertinent, remiſſe nimium cum illis ageretur, ſi aliam perſonam iis imponeremus, atque ipſi ceperunt. *Prudenter ille ſane ac graviter eos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere; id quod & maxime periculoſum eſt, & minime neceſſarium*, ajebat inter Hiſpanos eruditiſſimus vir Ludovicus Vives Lib. V. de tradend. Diſcipl. Quamquam quis credat Gregorium tam facile Theodelindae ſacrum pignus conceſſurum fuiſſe?

ſe? Quam ſacrarum Reliquiarum tenax Sanctiſſimus Pontifex fuerit, in Diſquiſitione ad Catalogum Sanctorum Martyrum, qui Romae Gregorii ejuſdem tempore quieſcebant, hoc Tomo incluſa oſtendi, idque melius patebit legentibus Epiſtolam ejus trigeſimam Lib. III. Indict. XII. Ibi Conſtantinae Auguſtae vel Sudarium S. Pauli Apoſtoli negat, vixque ſe *de catenis, quas ipſe S. Paulus Apoſtolus in collo, & in manibus geſtavit, partem aliquam tranſmiſſurum* promittit, ſi tamen illas limando atterere poſſet. Praeterea cur Coronam Imperatoribus redimendis deſtinatam, Langobardorum genti concederet Gregorius? Ereptumne tunc fuerat Conſtantinopolitanis Caeſaribus jus in Romanum Imperium a Conſtantino acquiſitum, Italicique Regni ſumma ad Langobardos tranſierat? Atqui hoc nemo eruditorum ſomniavit; certis enim finibus Langobardorum Regnum definiebatur, neque per Italiam univerſam extendebatur. Quicumque vero ex Imperatoribus Coronam ferream poſtea ſibi imponendam curarunt, non illam ut Auguſtalis dignitatis, ſed ut Langobardici Regni inſigne uſurparunt. At, inquiunt Modoëtienſes, quum Theodelindae, ceteriſque Langobardorum Regibus Corona haec in uſu fuerit, conſuetudinemque hujuſmodi poſtea retinuerint tum Franci, tum Germani Imperatores, id reverentia factum, qua ſacrum Coronae ferreae pignus omnes proſequebantur. Quae heic reſpondeamus, multa nobis occurrunt; ſed ne crambem uſque ad faſtidium recoquamus, breviter ea repetemus, quae longo ſermone ſuperius commentati ſumus. Scilicet ut a Paulo Diacono, aliiſque Scriptoribus accepimus, aut nullam Langobardi Reges Coronam uſurpavere, & longe adeo petita ferrei Diadematis antiquitas incaute affirmatur. Aut ſi vero ſimilior eorum ſententia videtur, qui eoſdem Reges aliorum more coronatos arbitrantur, explorandum reſtat, quaenam Coronarum Langobardarum forma foret. Ut autem e vetuſtiſſimis nummis patet, Agilulfus, & Grimoaldus galericulum concavum, ſeu mithram, aut quod ajunt cufiam geſtant unionibus perornatam, quae ſuperiorem capitis partem totam involvit, ac operit. Similem fere inſpicias apud Cl. Du-Freſnium in Hiſtor. Byzant. pag. 92. ubi numiſma producitur THEODAHATI REGIS Gothorum. Ubinam igitur inter Langobardos Reges Coronae ferreae uſum invenias, quae omnino a vetuſtis eorum coronis differt? His adde, quantum e Pauli Diaconi Hiſtoria colligi poteſt, nullum e Langobardis Regibus Modoëtiae fuiſſe inauguratum, ſed Mediolani quidem, & fortaſſis etiam Ticini. Qua ex re quid aliud conſequitur, niſi quod regnan-

tibus Langobardis nulla ratio Modoëtienſis Coronae, atque Oppidi in coronationibus habebatur. Certe Modoëtienſium erit probare, tametſi Langobardi Reges Mediolani coronarentur, illos ferrea Corona uſos fuiſſe. Quid ſi Gualvaneo Flammae, qui ante Annos ferme quadringentos in vivis erat, fidem heic habeamus? Tum tota Modoëtienſium moles evertetur; hic enim ante Langobardos Coronam ferream Mediolanenſi in urbe ſervatam affirmat, idque aliorum Scriptorum auctoritate confirmat. Ad Carolum M. ejuſque ſucceſſores in Italia dominatos quod attinet, ut ſuperius adnotatum eſt, veri ſimillimum videtur, coronationem Modoetienſem, ipſamque Mediolanenſem ab illis omnino fuiſſe neglectam. Reliqui vero Italici Reges uſque ad Germanorum Imperium aut Papiae, aut Mediolani Corona donati ſunt. Quis heic quaeſo locus Modoëtienſium juri, ferreaeque Coronae antiquitati a Gregorio uſque Magno petitae, quando tot Reges Ciſalpini Regni inſignia alibi quaeſivere, pluribuſque ſeculis Coronam Modoëtienſem obliti videntur? Igitur ſi Conſtantinum Magnum, vel Gregorium Pontificem, Regeſve Langobardos, & Francos in hac cauſſa conſideres, Coronae ferreae inſtitutionem, ejuſque ſanctitatem, atque uſum non modo probare nequeas, verum etiam veritati haudquaquam conſentire animadvertas, ita ut quis facile cum Tertulliano in Lib. de Corona Militis Cap. VII. inclamare poſſit: *Sed & de mendacio erubeſcenda eſt Coronae* Modoëtienſis *origo*.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

Recens eſt fama Modoëtienſibus favens. Id probatur ſilentio antiquorum; imo ipſorum Modoëtienſium Scriptorum. Vis argumenti a negatione exploratur.

ITAQUE ad famam traditam Modoëtienſes Cives confugiant oportet, ut ſacrum Clavum ferreo diademati inditum probent. Videamus, an in munere obeundo melius ſe gerant. Collium, Ripamontium, Puricellum, Coronam, Bugatum, Morigiam, Zucchium, alioſque Auctores proferunt, quorum nonnulli perveterem ajunt eſſe, certamque omnium Modoëtienſis Oppidi incolarum opinionem, ferream Coronam Dominico nobilitari Clavo.

Clavo. Et quoniam Juriſperitorum ſententia eſt, *plene per famam probari, quae non ita facile probari poſſunt*, hinc ſequitur, Modoëtienſium cauſſam validiſſimis fundamentis niti. Haec illi, & quamvis hujuſmodi fama in limine offendat, rationibuſque & principiis, ut hactenus vidimus, firmis careat, maximum tamen fidei argumentum nobis afferret, ſi aliqua vetuſtate illa fulciretur, nec caelaturam, ut ita dicam, oleret. Verum hanc famam χθὲς, καὶ πρώην, quod ajunt, natam, medioque ſummum ſeculo proxime elapſo mentibus Modoëtienſium traditam, affirmare non vereor. De ferreo Diademate ante Bugatum, qui Anno 1587. additamenta ad Hiſtoriam univerſalem promulgavit, innumeri Scriptores egerant, illud accuratiſſime deſcripſerant, & nemo tam praeſtans, pretioſumque pignus illi inſertum fuiſſe pronunciaverat. Facile egrediar libelli propoſiti finibus, ſi ſingula veterum monumenta, in queis Coronae ferreae ſit mentio, ante oculos tuos, doctiſſime Rubine, conſtituam. Nonnulla tamen ſeligenda videntur, ut quam ſero Modoëtienſes opinionem hanc induerint, exploratum fiat. Gualvaneus Flamma circiter Annum 1330. Chronicon ſuum lucubravit, ut optime noſti. Hic vero etſi innumeris in locis ferream Coronam memoret, nuſquam tamen illam ſacro Clavo exornatam dicit. Qui Pontificale Romanum olim edidit, ubi de triplici Imperatorum Corona agit, ferream his verbis deſcribit: *Quae quidem corona ideo appellatur ferrea, eo quod laminam quamdam habeat ferream in ſummitate, alioquin aurea, ac pretioſiſſima*. Et hic ſane Auctor, ſi Modoëtienſi Coronae ſacrum Clavum intextum credidiſſet, adeo abiecte de illa nequaquam ſenſiſſet, ut e *quadam lamina ferrea* conſtare affirmaret. Quum vero ea, quae ad Auguſtalium coronarum Hiſtoriam pertinebant, a Pio II. Pontifice ſe accepiſſe prodat hic Scriptor, vide ſis, quid Aeneas Silvius, nempe Pius II. & ipſe de Corona ferrea ſenſerit. Sic ille in Hiſtoria Auſtriali Lib. IV. loquitur: *Has autem coronas omnes aureas eſſe compertum habeo, quamvis per medium circulum Coronae Mediolanenſis lamina quaedam parvula ex ferro ducatur, quae ſtultae interpretationi effecit locum*. Quid ferrea Corona foret, reapſe *compertum habebat* Aeneas, ſiquidem non ſemel Mediolanum acceſſerat, ibique dignitate etiam illuſtri, ut alibi dictum eſt, fuerat auctus. Is nihilominus tantum abeſt, ut Clavum Dominicum illi intextum affirmet, quin *laminam quamdam ex ferro* appellat, quae ferreo Diademati nomen dedit. Accuratiſſimus quoque Scriptor Sigonius Medoëtienſem Coronam Lib. I. de Regno Italiae ad Annum

591.

591. *auream illam quidem* nuncupat, *verum circulo ferreo interiore intextam, unde poſt ferreae Coronae nomen Italico Longobardorum in Regno enituit*. Bernardinus item Corius Mediolanenſium Hiſtoriarum conditor ſaepe quidem Coronae hujus mentionem injecit, nunquam tamen ſacrum ullum Crucis Clavum in ea coli animadvertit. Quin ejus inſtitutionem a temporibus Maximiani Imperatoris, qui Romanum Imperium ante Conſtantinum moderatus eſt, arceſſere videtur. Cur vero in hanc ſententiam Corius loqueretur, ſi ejus tempeſtate Modoëtiae tam pretioſi pignoris fama increbuiſſet? Hoc procul dubio Corium non fugiſſet, ut enim ipſe teſtatur, pleroſque Hiſtoriae ſuae libros, dum Modoëtiam incoleret, literis conſignavit. His accedant Triſtani Chalci, diſertiſſimi Hiſtorici, qui ſeculo Chriſtianae Epochae decimo quinto Hiſtoriam Patriae ſcripſit, luculenta verba ex ejus Lib. IV. deſumta: *Eſt autem*, inquit is, *circulus ferreus, quem Corona aurea gemmis, margaritiſque ornata extrinſecus circumducta complectitur. Intus ferrum apparet, a quo & nomen tenet*. Nil vero de ſacro Clavo Triſtanus affirmat, quum tamen Lib. II. Clavos, quibus Cruci affixus fuerat Chriſtus, enumerans unum Conſtantiniano Diademati, alterum fraeno additos referat, fraenumque in urbe Mediolanenſi praecipua religione coli. Non hoc quoque Chalcus Mediolanenſis agri ornamentum praeteriiſſet, ſi compertum illi fuiſſet, a Conſtantiniano Modoëtienſe diadema diverſum haudquaquam fuiſſe. Similia habent Erycius Puteanus Hiſt. Inſub. Lib. II. Georgius Merula in Antiqu. Vicecom. Donatus Boſſius in Chronico, Hieronymus Balbus in Lib. de Coronat. Simon Majolus in dieb. Canicular. aliique Scriptores innumeri, quorum nonnullos in ſuperioribus capitibus teſtes adduxi. Nunc quid aliud e tot Auctorum ſilentio conſequitur, niſi nullam unquam Modoëtienſis Clavi opinionem, ac famam viguiſſe? Mirum ſane foret, adeo ingentem Scriptorum turbam ferrei Diadematis deſcriptionem inſtruxiſſe, omneſque ſilentio concordi uſos praecipuum illius pretium praeteriiſſe. Scilicet potiſſimum illud erat ferreae Coronae decus, quamvis enim haec illi laus foret, quod coronandis Imperatoribus deſtinata eſſet, longe procul dubio praeſtantior illa fuiſſet, quod ſacrum Clavum complecteretur. Sed jam quoſdam mihi reponentes audire videor, hanc argumentandi rationem enervatam plumbeamque eſſe, quippe argumento, ut Logici appellant, *negativo* nil poteſt probari. Ita fortaſſe reſpondeant, qui Eccleſiaſticam eruditionem neque a limine ſalutarunt, totumque cerebrum tricis Scholaſticis devovere. Nam quantum

tum roboris negativo argumento inſit, tum luculentus hac de re Launoii tractatus prodit, tum univerſa eruditorum Reſpublica quotidie experitur. Et quo pacto amabo tot commenta, fabulaeque explodi, atque exſibilari poſſent, quae in poſteriorum temporum Hiſtorias irrepſere, niſi antiquiorum ſilentium pluris, quam imperita audaxque recentiorum loquacitas, penderetur? Affirmant hi ad arbitrium ſuum, geſtaque a temporibus ſuis remotiſſima ſomniant; illi vero ne volam quidem veſtigiumque earum rerum reliquere, relicturi ſane, ſi illarum notitiam habuiſſent: & nos affirmantium potius imperitia, quam tacentium doctrina duci ſinemus? Fridericum I. cognomento Aenobarbum nimio deſpicatu Venetiis ab Alexandro III. Pontifice exceptum, monimenta quamplura, plurimique Auctores teſtantur. Atqui Emin. Annalium parens Baronius ad Annum Chriſti 1177. opinioni huic dicam grandem impingit, eamque exulare prudentiſſime jubet, quod nemo ex Auctoribus Friderici aequalibus, Venetique congreſſus Hiſtoriam ſedule deſcribentibus, tantum facinus ab Alexandri Papae moribus omnino alienum prodiderit. Eo quoque Cyriacum quemdam e Romanorum Pontificum albo expungimus, quem Hiſtoriae Urſulanae immiſcuerant ſcioli quidam. Et tamen in Breviario Romano Anni 1522. Venetiis excuſo, uti etiam in alio Anni 1550. itemque in Gloſſa ad Lib. I. Decretal. Tit. VII. de renunc. atque apud alios Scriptores illius mentio habebatur, noſtro autem aevo Hermannus Crombachius adhuc ut Pontificem Sanctum nobis obtrudere non dubitavit. At Baronius commentitium Pontificem jure appellat, quum apud vetuſtiſſimos Auctores nulla ejus mentio occurrat. Sexcenta hujuſmodi exempla producere poſſem. Neque vero aut ex incuria, aut ex invidia tantum Modoëtienſium decus omiſiſſent Hiſtorici, ſi de illo ſeculis proxime elapſis fama fuiſſet; ecquis enim credat, univerſos ita affectuum perverſitate abreptos, aut negligentia in ſcribendo actos, ut in hoc ſilentium concorditer conſpiraſſent? Neque ex ignorantia id contigit; etenim quamplures Modoëtiam, ejuſque Coronam perſpectam penitus habuere. Quaenam vero cauſſa dici poterit, ubi ipſoſmet Modoëtienſes Hiſtoricos opinionis hujus ignaros oſtendam? Profecto Bonincontrus ſeculi decimi quarti Scriptor, Civiſque Modoëtienſis pluries, ut vidimus, Coronam Ferream memoravit, ſummumque in ea patriae ſuae decus conſtituit, quod Auguſtorum capiti ſoleret imponi. Nuſquam tamen pretioſiſſimi illius Clavi memoriam reliquit. Anno quoque 1514. Mediolani publicis typis tradidit libellum de praerogativa

B. Joan.

B. Joannis Baptiſtae Balthaſſar Fidelis Archipresbyter Modoëtienſis. Singula hic Baſilicae ſuae ornamenta, Majorumque ſuorum privilegia recenſet, Coronam ferream laudat, Regeſque illa redimitos enumerat, & ne unum quidem verbum de ſacro Clavo habet. Quis credat, hoſce Auctores ſplendoris ſui certe ſtudioſiſſimos, diligenterque ſingularia Modoëtienſis Coronae decora deſcribentes, tam ſui, tam patriae oblitos, ut praeclariſſimum inter omnia ornamentum praetermitterent? Habemus heic, ut cum doctiſſimo viro Melchiore Cano loquamur, Scriptores antiquos, ejuſdem Oppidi, ejuſdem Coronae encomiaſtas, qui tantum decus tacuerunt, *non omiſſuri, ſi ſciviſſent, ſcituri autem, ſi fuiſſet*. Sed ut clarius animadvertas, nondum Bonincontri aevo Clavi hujus fama natam fuiſſe, audi quid ille ferat, dum cauſſam inquirit, cur ferreum ſit Modoëtienſe diadema. *Et haec*, ait, *Corona ſuper Italiam, Normandiam, & Saxoniam eſt ferrea in ſignum juſtitiae, & maxime quia victae fuerunt a Karulo dictae provinciae ferro, ideo datur de ferro, quia ſicut ferrum eſt durius, & fortius ſuper omnia metalla, & omnia alia metalla domantur a ferro, & ei ſupponuntur, ſic omnia temporalia debent ſupponi, & ſubiicere ad juſtitiam Imperatoris.* Antonius quoque Thyleſius in libello de Coronis, quem Clariſs. P. Joſeph Hieronymus Semenzius, doctiſſimus vir e Congregatione Somaſchenſi, publicuſque in Ticinenſi Lycaeo Lector mihi communicavit, haec habet: *Riget altera e ferro conflata, virtutem Caeſaris arguens, ac juſtitiam, camque Moguntia, quam Modoëtiam nunc dicunt, Inſubriae Oppidum celeberrimum gaudet Caeſari dono dare.* Has & alias his ſimiles interpretationes reliqui Juriſperiti adhibuere, & potiſſimum Gloſſa in c. Romani. Clementina de jurejur. Auctor libelli de Regim. Principum, quem S. Thomae Aquinati adſcribunt multi, Hieronymus Balbus Lib. de Coronat. aliique Auctores, ut rationem afferrent, cur e ferro Modoëtienſis Corona conſtaret. Stupidum hercle bardumque ſe Bonincontrus prodidiſſet una cum aliis, quod hujuſmodi explicationem, quam ceteroqui Aeneas Silvius, Georgius Merula, aliique irrident, ſibi probari affirmaſſet, quando commodiſſime non ſolum, verum etiam honorifice ferreae Coronae titulus a ſacro Clavo illi inſerto poterat peti. Quin addas, Bonincontrum non a Conſtantino M. non a Theodelinda, Gregoriove Pontifice Diadematis patrii originem ducere, ſed a Carolo Magno qui tres Coronas, ut hic Auctor opinatur, inſtituit. Ubinam igitur Modoëtienſis populi pervetus fama latebat, quum tot Scriptores in Hiſtoriis ſuis ferreae Coronae laudes pertexebant, neque Sacri Clavi mentionem ullam relinquebant?

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

Tempore Caroli V. nulla de Sacro Clavo fama erat. Quin recentiores Auctores de ea opinione dubitant, aut conſulto ſilent. Quo tempore haec invaluerit.

ATTAMEN ex Ripamontii fide ſaltem Caroli V. Imperatoris aevo pretioſi hujus pignoris opinionem viguiſſe, ut arbitror, probare Modoëtienſes contendent; ſcribit enim hic Auctor Dec. I. Lib. VIII. Hiſtor. Mediol. Eccleſ. *Noviſſime noſtra memoria* (ſcilicet ante annos LXXXVII.) *cum ea Corona per legatos allata Bononiam Carolus V. imperium auſpicaretur, adeſſentque Eccleſiae viri, magni ſunt motus animorum facti, certiſſimo inter omneis conſenſu, veram eſſe famam, & ferrum ibi quantalibet aurea mole pretioſius latere. Legati quin etiam increpiti, quod vili nimium, ac paupere cultu, nec ea, qua par eſſet, celebritate ſalutis humanae monumentum, & adactum olim per divina illa membra ferrum attuliſſent. Narrant qui ſpectaculo adfuere, cum prolata ea capiti Caeſaris imponeretur, ſubito perfuſam horrore concionem obriguiſſe, tamquam & manantia innoxio ſanguine trophaea Crucis, & Chriſtus ipſe, totaque facies acerbiſſimae mortis ante oculos obverſaretur &c.* Utinam tam vere ſemper, quam diſerte Ripamontius loqueretur, firmumque hujus ſaltem rei fundamentum Modoëtienſibus eſſet. Sed vereor, ne haec fidentius proferantur, quam ut a quoppiam debeant credi. Bononienſem Caroli V. coronationem diligentiſſime deſcriptam literis mandavit Paulus Jovius ejus temporis Scriptor, Lib. XXVII. Hiſtor. atque in haec verba loquutus eſt: *Erat de more veterum Caeſarum, ut Modoëtiae prope Mediolanum Coronam ferream ſuſciperent, quae indicaret Romano Imperio firmitatem ferro, & militaribus copiis comparari. Tres enim Coronae Caeſaribus debentur. Prima eſt argentea, Germanici ſcilicet Regni, quam ſuffragio procerum Aquiſgrani decennio ante ſuſceperat. Secunda ferrea Regni Longobardici. Tertia vero aurea Romani Imperii. Praeſto igitur affuere Modoëtienſium legati, cujus erant principes Polydorus Vectius, & Paulus Velanius, qui ad retinendam veteris praerogativae dignitatem vetuſtiſſimi operis Coronam,*

& Annalium Codices antiquitate pernobiles detulere. Ea erat ſine florentibus pinnis, in ſimplicem, & latum orbem circumducta, ferro introrſus tempora praecingente, ſed exterius auro, & gemmis exornata. Reliqua etiam legas, nullamque heic habebis affictam Modoëtienſibus legatis notam, nullum horroris ſignum, quo tota concio perfuſa dicitur, imo nullam Sacri Clavi mentionem. Et quoniam *ferro introrſus tempora praecingente* interiorem Coronae circulum Jovius deſcribit, ferreumque Diadema ideo uſurpari ait, ut indicaretur *Romano Imperio firmitatem ferro, & militaribus copiis comparari*, utique aliis fuiſſet uſus verbis, ſi pretioſum Dominicae mortis monimentum illic deliteſcere apud omnes, qui Caroli coronationi interſuerant, exploratum fuiſſet. Caroli Quinti coronationem accuratiſſime etiam literis conſignatam ab ipſo Rituum Praefecto Pontificio legimus apud Raynaldum in Annal. Eccleſ. ad Annum 1530. Ibi vero ferreum Diadema ſaepe memoratur, atque deſcribitur, & ne unum quidem verbum invenias, quo ſententiam ſuam munire Modoëtienſes poſſint. At Ripamontius ex Hiſtoria Pontificali Beſutii laciniam hanc libris ſuis intexuit. Beſutius vero in Vita Conſtantii Archiepiſcopi eſt auctor, Hiſpanos Praeſules, qui Caroli Quinti coronationi aderant, quum Modoëtia Bononiam ferrea Corona delata fuit, dixiſſe: majori cum reverentia Coronam delaturos fuiſſe Modoëtienſes legatos, *ſi perſpectum notumque ii habuiſſent arcanum illius Ferri, quod ſub auro latebat.* Quibus ex verbis (modo haec vera ſint) intelligas, ignaros eo tempore Clavi pretioſiſſimi Modoëtienſes fuiſſe. Quid plura? Quum peculiari mandato a Modoëtienſibus laudatus Imperator petiiſſet, ut quidquid ad Hiſtoriam, uſumque Coronae ferreae pertineret, ſcriptis commendaretur, quorum notitiam in Bononienſi coronatione ſibi futuram ex uſu Carolus ſentiebat, ſingula Modoëtienſis Baſilicae monimenta excuſſa fuere, delectis ad id muneris prudentibus viris. Aderant inquiſitioni, praeter inſignis Oppidi Rectores, Modoëtienſes Canonici, dum ſedulo ferrei Diadematis documenta colligerentur, dataque eſt publicis Notariis cura, ut acta univerſa literis mandarent. Superſunt adhuc gemina hujus rei diplomata, quae Modoëtienſi olim e tabulario depromta Cap. XIV. luce donavimus. Quis non putet, hoc ſaltem loci famam eximii ſacrique ornamenti a Modoëtienſibus revelatam vulgatamque fuiſſe? Sed fruſtra expectes; etenim poſtquam multa heic legeris de Corona ferrea, ne ſemel quidem ſacrum ullum Clavum memorari animadvertis. Et tamen quis unquam aptior, quis opportunior locus Modoëtienſibus

tienſibus

Digitized by Google

tienſibus fuit, ut Coronae ſuae ſanctitatem teſtarentur, matureque decus ſuum Caeſari inaugurando, gentibuſque proponerent? Extant adhuc in Archiepiſcopali Archio Mediolanenſis Curiae Sixti V. literae ad Archipresbyterum, ut arbitror, Modoëtienſem datae, in quibus haec leguntur. *Sixtus PP. V. Dilecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſtis olim in Oppido iſto Modoëtiae Mediolanenſis Dioeceſis Eccleſiam S. Joannis Baptiſtae una cum Archipresbyteratus dignitate inibi principali, necnon Canonicatibus, & Praebendis, ac perpetuis Capellaniis in magno numero a Clarae memoriae Theodolinda Langobardorum Regina ad laudem omnipotentis Dei fundatam, & dotatam, atque decentiſſime ornatam tam a M. Gregorio Papa primo, quam aliis Pontificibus Praedeceſſoribus noſtris, multis Sanctorum Reliquiis, gratiis, & Privilegiis, etiam Corona Ferrea, qua Romanorum Imperatores coronantur, decoratam, & ab Imperatoribus ipſis dotatam fuiſſe &c. Die* 28. *Septembris. MDLXXXV. Pontificatus noſtri Anno Primo.* Vides heic ferream Coronam a Sanctorum Reliquiis, rebuſque ſacris diſtingui, illamque ideo ſolum recenſeri, atque laudari, quod Romanorum Caeſarum coronationi inſerviret. Atqui ornamentum hoc Diadematis illius minimum fuiſſet prae ſacro Clavo illi, ut fertur, intexto. Itaque ſi ad Lydium lapidem ſacri Clavi, quem a vetuſtis temporibus, atque a tot ſeculis ſe poſſediſſe Modoëtienſes arbitrantur, famam admoveamus, illam continuo, ni mea me fallit opinio, ſub finem tantum ſeculi a Chriſto nato decimi ſexti originem habuiſſe, facile ſapientibus patebit, qui ſingula ſine ullo partium ſtudio penſant. Quod ſi quis quaerat, undenam haec opinio tandem invaluerit? conjectura fortaſſe non inepta ad reſpondendum utar. Seculo proxime elapſo fortaſſe inquirebatur, cur Modoëtienſi Coronae ferreus circulus inſertus fuiſſet? Quum vero in interpretationibus, quas ad hanc rem explicandam Juris periti, aliique Scriptores excogitarant, ſal deſiderarетur, & forſan cuidam legenti S. Ambroſii de Conſtantiniana Corona ſermo occurriſſet, facile in eam ſententiam is abiit, ut eamdem Conſtantini M. Coronam, ac Ferream eſſe cenſeret. Plauſibilis ſane opinio, & cui haud aegre Modoëtienſes reliqui manum darent, quippe, quum noſtra laudantur, dulce videtur falli. Sententiam hanc forſitan juvabat quod una cum ſacris vaſis in Modoëtienſi theſauro Corona haec aſſervabatur. Hoc autem non ſine ratione uſurpatum eſt, teſte enim Carolo Paſchalio in Lib. X. Cap. VII. de Corona, Inſignia regalia inter ſacra cenſeri ſolent, ſuntque haec

 thro-

thronus, ſceptrum, ac Diadema. Bugatus deinde omnium, quod ſciant Modoëtienſes, primus in Additam. ad Hiſt. univerſ. Anno 1587. rem ſcriptis prodidit; ſed parum judicio, memoriaeque ſuae conſulens, auctor enim ipſemet quoque fuerat Lib. II. Hiſt. univerſalis, a Maximiano Herculeo, qui ante Conſtantinum regnavit, Coronam ferream fuiſſe inſtitutam, eamque ſua etiam tempeſtate ſervari in Modoëtienſi Baſilica. Quae opinio quam male cum altera cohaereat, vel tonſores intelligant. Bugato praeter alios ſucceſſit Zucchius, qui nil penſi habuit, Gregorii M. munus comminiſci, aliiſque phaleris Coronam Modoëtienſem exornare, pio forſan errore, ſed ſiniſtris avibus. Quamobrem non defuere, qui in horum ſententiam pedibus irent, neque enim eorum intererat opinionem vulgatam intime examinare. Hinc univerſi Modoëtienſes nil certius in hanc diem habent, quam ſibi ſacrum eſſe ſalutis humanae pignus. Sic incertarum opinionum ſemina propagantur, fitque libenter tunc locus errori, quum placet. Quid? quod ex iis Scriptoribus, a quibus haec tradebantur, quamplures veluti rem incertam narrant, dubitationemque de veritate famae relinquunt. *Si conſtans fama vera eſt, plures alii reperiri videntur Dominici Clavi*, ajebat Collius, atque his Modoëtienſem accenſebat. Clarius autem loquebatur Ripamontius Lib. VIII. Dec. I. Hiſtor. Eccleſ. Mediol. *Coronam eam*, (ſunt ejus verba) *Theodolindae munus proſequitur fama, tamquam interior circulus ſit unus e Clavis, qui Chriſtum liberatorem affixere Cruci. Ei porro famae ſunt qui fidem adſtruant conjecturis, atque teſtimoniis, ſunt qui abrogare non dubitent, prout nimirum ſuus quemque ſenſus pronum in talia, difficilemve facit*. Quae poſtrema verba quid ſonent, omnium eſt intelligere. Pergit Ripamontius argumenta Modoëtienſibus faventia prodere, ac demum in haec verba definit: *Verum enim vero de tota re, ut cuique libitum fuerit, opinetur: nos vulgata referre, & quo pietas animum inclinabat, eo famam dare ſatis habuimus*. Non vacat reliquorum Auctorum, qui pro tuenda Modoëtienſium ſententia propugnant, examinare verba, quamquam multa ſint dubitantium, famamque hujuſmodi referentium potius quam probantium. Illud tamen haud praetermittam, quod in MS. Codice Bibliothecae Ambroſianae inſcripto *Gli onori Eccleſiaſtici di Milano* animadverti. Auctor libri eſt Joannes Antonius Caſtillionaeus Vincentianae Mediolanenſis Baſilicae olim Vicarius, vir exquiſita eruditione, libriſque editis apud nos celebris. Floruit is ſub Clar. Cardin. Federico Borromaeo Ambroſianae Bibliothecae parente,

te,

Digitized by Google

te, Annoque 1630. peſte ingruente e vivis ſublatus fuit. Ita vero ſcribit ille: *Altri Scrittori del ſecolo ſuperiore, ed alcuni de' noſtri tempi ancora, più toſto per certa loro immoderata brama di rendere coll' antichità maggiori, e più ſpecioſi gli onori della patria, che per mala intenzione di vender favole, e di ſcriver bugie, non dubitarono di dire, che la Corona di ferro di Milano fu in uſo innanzi a S. Ambrogio ſin' al tempo di Conſtantino Magno. Anno per loro fondamento alcune parole del medeſimo S. Ambrogio, il quale nell' Orazione funebre di Teodoſio riferiſce ec.* Tum Caſtillionaeus hujus rei judicium Lectoris facit; neque enim inſtituti ſui eſſe arbitratur quaeſtionem altius perſcrutari. Ego quoque pari conſilio uſus dijudicandum Lectoribus relinquo, an Coronae ferreae ſanctitas per famam, Auctoreſque probari poſſit abunde. Recentem illam eſſe, iſtos vero in illa affirmanda incertos, nemo non videt. Quare quum de re antiquiſſima agatur, quid ponderis habet tam parum antiqua opinio? Caveamus quaeſo, ne majores noſtros aut imperitiae, aut invidiae damnemus, quod pignus tam grandis momenti ignorare ſub meridiano ſole potuerint, aut occultare omnes voluerint. Quid ſi eos proferremus, qui adhuc poſt hanc opinionem natam ſcripſere, illamque omittere, quam memorare maluerunt? Inſtar omnium ſit nobis doctiſſimus Gretſerus, qui Tomo I. Lib. I. Cap. XX. luculentiſſimi Operis de Cruce numerum Dominicorum Clavorum erudite explorat (a). Nil porro de Modoëtienſi Clavo refert, quin etiam ut Chriſtum quatuor Clavis confixum oſtendat, ibidem haec habet: *Modoëtiae in Sacrario Eccleſiae S. Joannis, quam Theodolinda Regina Longobardorum magnis ſumptibus aedificavit, & ubi Corona ferrea, qua coronantur Imperatores, multa aſſervantur ornamenta templi dono miſſa ei Reginae a Gregorio Primo Pontifice, ut conſtans fama eſt apud incolas, & rerum vetuſtas ſuadet. Inter quae vidi ego tabulas quaſdam argenteas, in quibus Chriſtus Crucifixus quaternis Clavis caelatus eſt, inquit R. P. Julius Nigronius Soc. noſtrae Theologus.* Sub finem ſeculi proxime elapſi, noſtroque ineunte florebat P. Julius Nigronius, vir diſertiſſimus, ac celebris. Utique ſi pretioſum Dominicae mortis pignus ferreae Coronae incluſum credidiſſet, adeo jejune Diadema illud non deſcripſiſſet, quum potiſſimum, ut reor, ad Gretſerum ſcriberet, qui de S. Cruce Commentarios conficiebat.

CA-

(a) Videndum etiam Juſti Lipſj Opus *de Cruce*, & praecipue Lib. II. Cap. IX.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

Alia argumenta, quibus Modoëtienſis Coronae ſanctitas ſuſpecta habetur. Romanae Rotae decretum in cauſſa ſimili. Quid Archiepiſcopi Mediolanenſes hac de re ſenſerint.

QUAMQUAM neque certa ſententia eſt, *plene per famam probari, quae non ita facile probari poſſunt.* Multas habet haec regula exceptiones, tum ut ne latius excurrat, tum ne fabulae, quas nonnulli recentiores antiquitati affingunt, confirmentur. Ut enim Juriſperitorum armis & ego utar, parvi penditur fama recens, ubi res eſt de antiquiſſimis factis. Eam porro famam non inviti probamus, qualem Baldus Conſil. LXXVII. num. *6.* Lib. III. depingit videlicet *ſolidam, inconcuſſam, excellentem, non vagam, non levem, non contrariam.* Rolandus quoque a Valle in Conſil. III. Tomo I. num. 48. in haec verba loquitur: *Licet fama in antiquis faciat plenam probationem, illud eſt verum, quando fama eſt uniformis, nec de ea eſſet contradictio apud peritos. Ita Baldus in l. conventiculam. C. de Epiſc. & Cler.* Tum alios Auctores hujus opinionis vindices profert, quos, ut brevius faciam, non adfero. Neque vero Hiſtoricis recentibus multum fidei habetur, quum de antiquiſſimis eſt quaeſtio, *quamvis enim habeamus in jure Concluſionem ſuper fide Chroniſtis, & Hiſtoricis praeſtanda ex deductis per Maſchardum &c. nihilominus ea intelligitur, ubi agitur de antiquis, & probatis Hiſtoricis, in quibus nulla affectationis, & ſuggeſtionis ſuſpicio vigeat &c.* Sunt verba Doctiſſimi Cardinalis de Luca Lib. VI. de Juriſdict. Diſc. XX. num. 7. Sed in hac re nullum luculentius documentum expectes, quam Deciſionem LX. Rotae Romanae par. VIII. Recentior. Inter Archiepiſcopos Calaritanum, ac Turritanum lis Romae intercedebat, uter in Sardiniae Regno primas ferre deberet. Calaritani jura confirmabat Quintius, ſeu Quintianus ejuſdem Eccleſiae Antiſtes, qui Arelatenſi Synodo Anni 314. interfuit. Turritanus vero SS. Gabinum, & Gaudentium memorabat, qui cum Martyres, tum Turritanae Eccleſiae Epiſcopi ante Annum Chriſtianae Epochae CCC. vixiſſe dicebantur. Quam quidem Hiſtoriam fama non ſolum, ſed

multis

multis Scriptoribus Turritani, non ſecus ac Modoëtienſes Coronae ferreae ſanctitatem, tuebantur. Nihilo ſecius quum in Martyrologiis vetuſtiſſimis Martyres tantummodo nuncuparentur laudati Coelites, nullumque apud antiquos de eorum Epiſcopatu verbum occurreret, tanti facta eſt ſilentis vetuſtatis auctoritas, ut contra Turritanum Antiſtitem judicaretur, atque a Calaritano victoria ſtaret. *Inveriſimile enim eſt*, inquiunt ſapientiſſimi Judices, *probari poſſe per famam id, quod non dixerunt antiqui Patres ante tot ſecula, videlicet Beda, Uſuardus, & Ado, qui ſimpliciter reliquerunt in Martyrologiis ſcriptum, Gabinum Martyrem ſolummodo, & quod non auſi ſunt dicere alii Scriptores in ſuis Legendariis, & propterea ratione inveriſimilitudinis articuli non ſunt admittendi. Pro hoc facit quod notavit in c. quia veriſimile, de praeſumpt. Specul. de probat. §. nunc dicendum num. 1., Tiraquel. in l. ſi umquam C. de revoc. donat. &c.* Plura alia ex egregia hac Deciſione colligas, quae quoniam Modoëtienſium cauſſae omnino ſimilia videntur, facile intelligent eruditi, quid inde conſequatur. Atque haec de famae traditae auctoritate ſufficiant. Nunc ad alia progredimur, quibus opinio noſtra validius confirmetur. Modoëtienſis Coronae formam alibi deſcripſimus, ſed ejus latitudinem ad hoc loci deſignandam conſulto reſervavimus. Scilicet breviſſimo e circulo ferreum Diadema conſtat, ut ſingulis conſtat, qui monimentum illud oculis prope luſtrarunt. Hominis vel biennnis fortaſſe caput Corona illa non capit, atque ita olim Imperatoribus imponebatur, ut tamen in eorum capitibus conſiſtere non poſſet. Hoc etiam animadvertit Caerimoniarum Praefectus, qui Bononienſem Caroli V. coronationem accuratiſſime apud Raynaldum in Annal. Anno 1530. memoriae mandavit. *Haec*, inquit is, *Corona (ut habeatur aliqualiter eius cognitio, & eius formae) circularis, & latitudine quinque digitorum eſt, vix coronam unius Epiſcopi circuens, nec capiti firmari poteſt*. Reliquas Imperatorum, Regumque coronas tam latas fuiſſe in comperto eſt, ut eorum tempora commode cingerent. Vetuſtos conſule nummos, probatiſſimos interroga Auctores, nullumque offendes locum, quo tam arctum Diadema Regum coronationibus deſtinatum oſtendatur. Ea de cauſſa ſuſpicari admodum cogor, ad alios uſus Coronam hanc olim fuiſſe procuſam, ac poſtea aut aliarum coronarum inopia, aut alio conſilio ab Imperatoribus uſurpari coepiſſe. Certe quantum a Conſtantiniano Diademate Ferreum differat, ex Ambroſio ipſo diſcas, cujus in Orat. de Obitu Theod. ſunt verba: *Bonus itaque Clavus Romani Imperii, qui totum*

regit

Digitized by Google

regis orbem, ac veſtit Principum frontem. Quomodo Principum frontem ferrea Corona veſtiat, quae ſummo tantum capiti imponi poteſt? Verum & alia idem Ambroſius Sanctiſſimus Antiſtes nos docet, quum unum Clavum Conſtantiniano Diademati intextum, alterum vero equi fraeno additum ſcribit. Porro Modoëtienſis Coronae tenuis adeo eſt circulus ferreus, ut vix tertiam ſacri Clavi partem efficere poſſit. Norunt hoc, qui Diadema illud attente explorarunt. Itaque aut Ambroſius errat, quod nemo cordatus, & pius dicet, quum integrum Clavum Coronae inſertum fuiſſe ex ejus verbis conſtet, aut ii minus recte ſentiunt, qui Conſtantinianam Coronam eamdem cum Modoëtienſi eſſe arbitrantur. Quod ſi a Conſtantino ferreum Diadema haud prodiit, quam aliam inibimus viam, ut ejus ſanctitatem probemus? Tandem neſcio, cuinam facile perſuaderi poſſit, ſacrum Dominicae mortis inſtrumentum ignibus tradi, malleis attenuari, lima atteri potuiſſe, ut inde ferrea lamina efformaretur? Hoc a parentum noſtrorum religione abhorret, fidemque apud Catholicos viros aegre inveniet; neque enim ſine mentis horrore excogitare poſſumus, adeo negligenter pretioſum illud pignus conſulto tractatum eſſe, ut ſacer Salvatoris noſtri ſanguis, quo inſperſus fuerat Clavus, proculcaretur, atque omnino diſperderetur. Intextum Conſtantinianae Coronae Clavum Ambroſius affirmavit, artificioſe in galea Imperatoris incluſum alii Auctores perhibent, cur nos adeo temere tam pretioſum monimentum figura ſua, ſacroque ſanguine ſpoliatum, ac dilaceratum opinemur? Abſit a piorum animis, hujuſmodi ſententia, niſi ſi eam validis auctoritatibus firmare fas ſit. Ceterum in marmore illo, quod a me deſcriptum Cap. XIV. fuit, ac in Baſilica S. Joannis Baptiſtae Modoëtienſes ſervant, alia animadverſione digna ſe offerunt. Sedentis Imperatoris capiti Modoëtienſis Archipresbyter Diadema imponit, ſtante interea procerum Germanicorum corona. Heic mihi oſtendas velim reverentiam cultumque ſacro huic pignori debitum. Sedet Caeſar, non aſſurgit, non veneratur Chriſti morientis memoriam, nil denique praeſtat, quo Clavum Coronae inſertum ſignificet. Imo ne ipſi quidem Modoëtienſes Oratores, Germanique Principes ullum exhibent venerationis officium. Quare ipſorum Modoëtienſium teſtimonio elapſis temporibus non aliter ferreum Diadema tractabatur, quam reliquae Coronae, quibus ſacri Clavi intexti non erant. Et horum ſimilia in Caroli V. coronatione obſervata video. Nam ut refert Laudatus ſupra Caerimoniarum Praefectus apud Raynaldum Anno 1530. hoc

ordine

ordine ad coronationis locum Principes accedebant: *Immediate ante Caeſarem veniebant quatuor ex nobilioribus deferentes ejus inſignia, videlicet illuſtis Marchio de....... enſem nudum, illuſtris Dux Alexander de Medicis pomum, illuſtris Comes de Aſte ſceptrum, Coronam vero illuſtris Comes de Nanſon.* Paulus vero Jovius Hiſtor. Lib. XXVII. a Bonifacio Marchione Montisferrati Modoëtienſem Coronam publice Imperatori praelatam affirmat. Ergone profanis, ac *laicis* hominibus ſacra Dominicae Crucis monimenta contrectanda relinquuntur? An vero tum Epiſcopi deſiderabantur, qui venerabilem Coronam deferrent? Irreligioſum hoc plane fuiſſet, atque iccirco in Concilio Provinc. IV. S. Carolus cavit, *ne Sacrae Reliquiae per laicos etiam cujuſvis ordinis, & dignitatis homines ullo modo tractentur, nec vero tangantur, cum hoc ſacrilegium, ac minus propterea ferendum eſſe S. Gregorius Pontifex ſcribat.* Equidem a tanti pignoris opinione populos eo tempore abſuiſſe conſtanter affirmo. Quin ipſi Modoëtienſes ferream Coronam ſine ullo religionis, ac venerationis apparatu Bononiam tranſmiſere, ut Carolum Imperatorem illa inſignirent, & quamquam Beſutius, ac Ripamontius legatos Modoëtienſes hac de cauſſa increpitos ſcribant, fortaſſe vanis rumoribus ſunt uſi, ut argumentum eluderent, quod eorum quoque temporibus Coronae ferreae opponebatur. A Turrianis, ut Cap. XIII. dictum eſt, Corona quoque iſta pignori data fuerat. Quis autem credat, illos adeo irreligioſos fuiſſe, ut inſigne hoc Dominicae mortis monumentum in uſus profanos converterent? Bonincontrus ſane res quidem ſacras, ut ſunt Calices, reſque alias pretioſas e Modoëtienſi Sacrario ſublatas tradit; Reliquias vero intactas illic manſiſſe, ſatis aperte ſignificare videtur. Atque heic prodere poſſem diverſas Hiſtoricorum de Clavo hoc ſententias. Quidam enim a Theodoſio Coronam ferream S. Ambroſio, alii a Gregorio M. Theodelindae Reginae dono datam ſcribunt. Sunt etiam contra, qui Gregorium M. a Theodelinda donatum referunt. Nonnullis placet, ſacrum Clavum ex iis fuiſſe, qui Chriſtum Redemtorem e Cruce pendentem ſuſtinuere; alii vero Clavum, quo Cruci titulus affixus eſt, Modoëtienſi Coronae intextum opinantur. At hae ſcribentium diſcrepantiae quid aliud ferunt, quam inconſtantem theſauri tanti *famam, ac traditionem* fuiſſe, ideoque fluxa eſſe Modoëtienſium fundamenta? Praeterea ſigillum, quo Modoëtienſis populus utitur, a Zucchio graphice deſcriptum fuit Cap. XVIII. Hiſtor. de Cor. Ferr. Ibi Coronam eamdem exhibet, qualem & nos alibi deſcribebamus, videlicet radiis, pinni-

ſque carentem cum hac epigraphe: *Eſt ſedes Italiae Regni Modoëtia magni*. Verum Bonincontrus, a quo circiter Annum 1345. Modoëtienſes Annales lucubratos diximus, idem ſigillum profert Cap. XXXII. Lib. I. cum his verbis: *Legitur, quod Imperator inſtituit, & ordinavit Communi Modoëtiae infra deſignatum ſigillum*. In eo vero ſigillo Corona ſe offert cum radiis liliorum inſtar, quibus Gallici Reges ſtemma ſuum inſigniunt. Circum ſculpta leguntur haec verba: *Eſt Sedes Italiae Regni Modoëtia magni. Sigillum Communis Modoëtiae*. Quamobrem arbitror, non defore, qui prudenter cenſeant, aliam ab antiqua nunc eſſe Coronam ferream, quippe forma adeo ab illa differt. Piam vero conjecturam expoſuit Puricellus, quum num. 71. Monum. Baſil. Ambr. ſiniſtrum Tribunae, ut vocant, latus explicans, S. Ambroſium Corona ferrea exornatum inſpici illic ſuſpicatus eſt. Formam Coronae illius & ego admotis ſcalis exploravi, nimiumque lata viſa eſt, ut cum Modoëtienſi Diademate componi poſſit. Quod reliquum eſt, prodigiorum teſtimonio, Caroli Archiepiſcopi Sancti exemplo, & Emin. Card. Littae ſuffragio opinionem ſuam confirmare pergant Modoëtienſes; nihil enim moror. Hoc prudentiſſimis aut Romanae, aut Mediolanenſis Curiae judicibus inquirendum, probandunque relinquo, etenim non tam facile aliorum dicta falſi arceſſere, aut approbare conſuevi. Certe ſapientes viros novi, quibus haec argumenta aut ſpuria, aut ſuſpecta videntur. Neque enim S. Carolus, ajunt iſti, ullam de ſacro Clavo Modoëtienſi memoriam reliquit in libro Viſitationum Baſilicae illius, quum tamen S. Antiſtite nemo ſtudioſior ſacrarum Reliquiarum cultor eſſet, atque illuſtrator. Coronam vero ferream inter pretioſiora Sanctuarii pignora collocaſſet, quod tamen non praeſtitit. Emin. etiam Cardinalis Federicus Borromaeus, viſitato Modoëtienſi templo, Coronae ferreae mentionem in librum Viſitationum intulit, ſed ſacrum Clavum ibi adſervari nunquam memoravit, & Diadema rebus tantum Theſauri pretioſis, non ſacris Reliquiis, rebuſque cultu dignis accenſuit. Anno item 1651. Reverendiſſimi Vicarii Capitularis Matthaei decreto cautum eſt, ne in Supplicationibus publice geſtaretur Corona ferrea. Quin ſurreptitia partim fuit impetrata ab Eminent. Archiepiſcopo Litta facultas exponendi Coronam plebis cultui. Haec aliaque hi longo ſermone pertexunt, quibus tamen abſtinere in praeſentia volo, ne longior ſim, quam praefinita brevitas ferat. Atque his hactenus viſis, Rubine doctiſſime, etiamſi pauca quaedam omittantur nobis faventia, minime defuturos reor, quibus Modoëtienſis

Coro-

Coronae ſanctitas ſuſpecta, aut ſaltem quod mihi explorandum propoſueram, difficilis probatu videatur. Quod ſi hoc obtinuerimus, incertamque ſaltem eſſe Modoëtienſis Coronae ſanctitatem probaverimus, quis illam cultu, publicaque veneratione dignam arbitretur? *Incertae Sanctorum Reliquiae non debent cultui exponi*, ſententia eſt Eminentiſſimi Cardinalis Laurentii de Lauraea in Epitome Canonum, imò Gregorii M. Pontificis in Lib. XII. Epiſtol. XXXI. Interrog. IX. Enimvero quum res religionis agitur, non minoris eſt periculi, omnibus vulgi, Scriptorumque rumoribus fidem indiſcriminatim habere, quam omnibus denegare. Hoc temeritatis, illud ignorantiae eſt, cavendumque eſt, ne dum facile incertis credimus, certis nimia credulitate fidem adimamus. Neque vero his dictis Modoëtienſium cauſſam aliqua ex parte labefactari cupio, quin te, Lectoreſque meos luculentum de Corona ferrea Commentarium expectare jubeo, cujus mihi dudum ſpem fecit Clariſſimus vir Petrus Paulus Boſcha Archipresbyter Modoëtienſis. Quid vero ab hujus eruditione, atque eloquentia nobis non ſpondeamus, quum is tum in Baſilicae ſuae antiquitatibus ſit verſatiſſimus, tum in Eccleſiaſticarum rerum peritia eximium apud eruditos locum occuparit? Certe longe felicius, atque fidelius, quam Bartholomaeus Zucchius, munere ſuo defungetur vir ſapiens, & forſan ita difficultatibus, quibus ferreum Diadema obſidetur, occurret, ut nullam ambigendi de ejus ſanctitate cauſſam relinquat. Nos interea prudentiſſima Mediolanenſium Archiepiſcoporum judicia deoſculemur, praeceptique illius perpetuo memores ſimus, quod in Epiſtola I. ad Teſſalon. Cap. V. Paulus promulgavit inquiens: *πάντα δοκιμάζοντες, τὸ καλὸν κατέχετη. Omnia examinantes, quod bonum eſt tenete.*

LAUS DEO, ET BEATAE MARIAE VIRGINI.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
COMMENTARII
DE CORONA FERREA.

CAPUT PRIMUM.

Coronarum origo, & uſus apud antiquos. Corona a diademate diverſa. Tres Coronae recentioribus Romanorum Imperatoribus uſurpatae. Ferrea deſcribitur. Pag. 257.

CAPUT SECUNDUM.

Coronae ferreae origo quaeritur. Quidam a Theodelinda inſtitutam arbitrantur. Alii antiquiorem, aut recentiorem eſſe tradunt. Pag. 260.

CAPUT TERTIUM.

Reges Langobardos Coronam non uſurpaſſe, probabile eſt. Contraria ſententia magis arridet. Ferrea tamen Corona non adinventa illorum temporibus. Pag. 264.

CAPUT QUARTUM.

Modoëtienſium, Ticinenſium, ac Mediolanenſium praerogativae pro Coronationibus Regum Langobardorum recenſentur. Mediolanenſium jura Pauli Diaconi auctoritate firmantur. Pag. 267.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

Reges Franci neque Mediolani, neque Modoëtiae coronati. Sigonii ſententia exploditur. Romae corona iis impoſita. Pag. 271.

CAPUT SEXTUM.

Poſt Francos Italici Reges coronam in uſu habent. Ubi eam receperint, inquiritur. Berengarii I. Rodulfi, Hugonis, Lotharii, Berengarii II. Adalberti, atque Othonis M. coronationes referuntur. Pag. 274.

CAPUT SEPTIMUM.

Othonis III. coronatio illuſtratur. Fortaſſe primus is fuit, qui Modoëtiae coronam accepit. Inſigni huic Oppido munera ab illo collata referuntur. Pag. 278.

CAPUT OCTAVUM.

Conradi I. Henrici II. Henrici III. Conradi II. Henrici IV. & Conradi III. coronationes illuſtrantur. Pag. 283.

CAPUT NONUM.

Friderici I. Aenobarbi coronationes variae explicantur. Henrici ejus filii, Othonis IV. & Friderici II. examinantur. Pag. 287.

CAPUT DECIMUM.

Henricus VII. Mediolani Corona redimitus. Monumentis vetuſtis res geſta illuſtratur. Pag. 292.

CAPUT UNDECIMUM.

Ludovici Bavari. Caroli IV. ac Sigiſmundi Coronationes Mediolanenſes referuntur. Fridericus III., & Carolus V. Corona ferrea donati. Onuphrii Panvinii opinio refellitur. Pag. 295.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DUODECIMUM.

Quaenam Baſilicae fuerint, ubi Reges, ac Imperatores coronabantur, S. Michaëlis aedes Ticini, S. Joannis Baptiſtae in Oppido Modoëtienſi, ac Ambroſiana Mediolani. Pag. 301.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Plures fortaſſe fuerunt Coronae. Quid Corona Palearis, ac Laurea fuerint. Ferreae nomen ſero excogitatum videtur. Henrici VII. coronatio illuſtrata. Modoëtienſes Scriptores emendati. Pag. 304.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

Coronare Imperatores Mediolanenſem ad Archiepiſcopum pertinebat; aut ad Ambroſianae Baſilicae Abbatem, aut ad Modoëtienſem Archipresbyterum. Diplomata duo ad Caroli V. coronationem pertinentia exhibentur. Pag. 311.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Quaeritur num S. Gregorius M. Archiepiſcopis Mediolanenſibus jus eligendi Reges Italiae contulerit. Negatur. Sub Francis Caeſaribus hoc jus obtinere coepit. Pag. 319.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Coronationum ritus varii explicantur. Othonis M. Coronatio deſcripta. Vetuſtiſſima Liturgia e MS. Codicibus depromta proponitur. Pag. 324.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Liturgia ferme ante ſexcentos Annos in Mediolanenſi Imperatoris Henrici coronatione uſurpata, atque e MS. Codice deſcripta. Pag. 328.

CA-

Digitized by Google

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

An Clavus Crucis ſit Coronae Ferreae intextus. Rationes pro Modoëtienſium opinione referuntur. Quid Mediolanenſes Archiepiſcopi in hac cauſſa egerint. Pag. 338.

CAPUT DECIMUMNONUM.

Diadematum, & Coronarum differentia. Conſtantini M. Corona deſcribitur. Eadem a ferrea differebat. S. Ambroſii, aliorumque Scriptorum ſententiae perpenduntur. Pag. 342.

CAPUT VICESIMUM.

S. Gregorius M. Coronam Ferream Theodelindae nequaquam donat. Illam Langobardi, Francique Reges non uſurpavere. Zucchii mala fides improbatur. Pag. 345.

CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

Recens eſt fama Modoëtienſibus favens. Id probatur ſilentio antiquorum; imo ipſorum Modoëtienſium Scriptorum. Vis argumenti a negatione exploratur. Pag. 348.

CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

Tempore Caroli V. nulla de Sacro Clavo fama erat. Quin recentiores Auctores de ea opinione dubitant, aut conſulto ſilent. Quo tempore haec invaluerit. Pag. 353.

CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

Alia argumenta, quibus Modoëtienſis Coronae ſanctitas ſuſpecta habetur. Romanae Rotae decretum in cauſſa ſimili. Quid Archiepiſcopi Mediolanenſes hac de re ſenſerint. Pag. 358.

F I N I S.

Digitized by Google

EPISTOLAE
LUDOVICI ANTONII
MURATORII
AD
JOANNEM BURCHARDUM
MENCKENIUM
IN DISSERTATIONEM
JUSTI FONTANINI
DE CORONA FERREA
EXCERPTUM.

Digitized by Google

L E C T O R I.

Quae XII. Kal. Decemb. 1719. *Mutinae prodiiſſe fertur Muratorii ad Vir. Cl. Joannem Burchardum Menckenium, Epiſtolam fruſtra diu quaeſivimus; & Joannes Franciſcus Soli Muratori, qui dum in vivis ageret laborem ſuum diligentiamve rogatus noſtrae contulerat indagini, nec inter autographa Avunculi ſui, nec uſquam loci eam invenit: immo Mutinae Epiſtolam illam typis non conſignatam aſſeruit. Quum autem Petrus Burmannus poſt Praefationem ad Partem Primam Tomi IV.* Theſauri Scriptorum Italiae Graeviani *a ſe continuati, ex hac Epiſtola exhibuerit excerpta ſatis longa, ne quidquam Lectori hac de re deſiderandum praetermittamus, ea heic ex Burmanno excripta poſt Commentarium Muratorianum* de Corona Ferrea, *rati ſumus adiicienda. Ea autem ſunt, quae ſequuntur.*

Digitized by Google

JOANNI BURCHARDO
MENCKENIO
V. C.
LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
S. P.

QUod cum Diſſertatione Fontaniniana de Corona Ferrea jam Romae edita anno 1717. publicis typis Lipſiae traditus iterum fuerit & meus de Corona Ferrea Commentarius, quem adoleſcens anno 1698. Mediolani Tom. II. Anecdotorum meorum evulgaveram: id mihi gloriae verto, multumque debeo hominibus tanti meos qualeſcumque labores facientibus. Si id ante editionem reſciviſſem, certe non excidiſſet mihi occaſio aliquid ad te, Vir Clariſſime, ſcribendi de oppoſita mihi Fontanini ſententia. Attamen pauca nunc habeto, quae ad rectum judicium ferendum de controverſia inter nos agitata praeſto tibi eſſe poſſint. Contendit ille Modoëtienſibus concors, Coronae Ferreae inſertum Dominicae Crucis Clavum, unde illi Ferreae appellatio acceſſit. Contra ego, opinionem hanc nulla antiqua Traditione, nullis firmis argumentis niti, olim ſcribebam. Quid quaeſo tanti ponderis nunc Fontaninus adfert, ut me potius, quam Modoëtienſes, falli oſtendat? Bugatum, Beſutium, Morigiam, Zucchium, Ripamontium, Collium, Coronam, Quareſmium, & ſi qui ſunt alii Scriptores, omnes fere mihi notos, & a

me laudatos, qui poſt annum Chriſti 1586. ſuos libros luce donarunt, quid attinet in hanc rem Teſtes advocare? De Corona Modcëtienſi, quae fama aevo ſuo foret, ii quidem edocere non poſſunt; ſed eandem famam apud veteres obtinuiſſe, profecto Teſtes adeo recentes, parum Critici, nulloque rei examine inſtituto ſcribentes, nunquam nobis perſuadere poterunt.

Quum nulli antiquorum decus hoc Coronae Ferreae innotuerit, nullus memoraverit qui tamen ſaepiſſime de ea mentionem fecere, juſtae ſuſpicioni locus fuit, & erit, ſeculo ſolum XVI. ex ingenio bonorum hominum cauſam perquirentium, cur addita Coronae Aureae Modoëtienſi lamina ferrea fuerit, opinionem prodiiſſe de inſerto ſacro Clavo, eamque ſenſim, ut de tot aliis piis opinionibus accidit, apud Modoëtienſes invaluiſſe, additamentum gloriae minime averſantes.

Sed Guntherum Fontaninus Cap. IV. laudat, quo teſte Lib. VIII. Ligurini Fridericus I. anno 1558. Modoëtiae *Sacro Diademate crines induit*. Accedit Matthaeus Villanius quo narrante res ſui temporis Lib. IV. Cap. XXXVIII. Hiſtoriae Italicae Carolus IV. anno 1355. *il dì della Santa Epifania adì 6. di Gennajo fu coronato della ſanta Corona del Ferro*. Bene ceſſit, quod Villanio haec exciderint; Nam mirum eſt, quanta ſuperſtruat uni huic verbo eruditus Modoëtienſium Patronus, & quoties ante oculos Lectorum, & Judicum hunc Villanii locum ingenioſus Vir obverſari faciat. Et tamen quid quaeſo inde exſculpant prudentes rerum aeſtimatores? Nihil reor. Nam ut Carolus Paſchalius de Coronis Lib. X. Cap. VII. antea monuit, *Inſignia regalia inter Sacra cenſeri video. Sunt autem Thronus, Sceptrum, Diadema. Ergo Corona Regia, aut Imperatoria vix ab alio contrectatur, quam ab illo, cui id juris in Eccleſia conceſſum &c.* Ac propterea Coronae Caeſari, & Regibus adhibendae in Sacris Templi aditis religioſe ſervari ſolent, & Sacris Miniſtris commendantur: quod nemo ignorat. Ut proinde mirari cogamur, Fontaninum ex eo, quod Henricus VII. ad Canonicos Modoëtienſes ſcribens, eos ad ſe venire juſſerit, *qui ſciunt, quid opus ſit ad collationem Coroneae Ferreae*, ita differere Cap. V. Diſſertationis ſuae, *Viden, Imperatorem de re ſacra, & praecipuo cultu habita, tractantem, ad Canonicos, & rerum Sacrarum Miniſtros, non ad civiles Modoëtiae Magiſtratus ſcripſiſſe?* quaſi hinc Lectores monere velit, Coronae illi inſitum Dominicae Crucis Clavum. Verum & ſine Sacro illo Pignore ſacris rebus accenſetur Ferrea Corona, & uti reli-

qua

Digitized by Google

qua Regum Inſignia in Templo, & a Sacris Miniſtris ſervatur; ideoque ad Canonicos erat de hujuſmodi negotio ſcribendum. Accedit, quod Godefridus Viterbienſis in Chron. Part. XVIII. in fine de Henrico VII. adhuc adoleſcente ſcribit his verbis.

Henrico Sexto Sacra ſunt Diademata praeſto.

Idem etiam Scriptor Part. XVII. pag. 459. apud Piſtorium ſignificare videtur, ideo Sacrum eſſe Diadema, quia Sacro Oleo inunctum.

Sic Oleo non Corporeo Diadema ſacratur &c.

Ad haec ipſemet Guntherus Lib. IV. Ligurini, coronationem Romanam Friderici I. enarrans, paria habet.

Sacra redimitus Veſte Sacerdos
Summus ad alta ſacri ducens Altaria Petri,
Inneſſum digitis mundi totius honorem
Impoſuit, preſſitque Sacro Diademate crines.

Et ut ipſe Guntherus ſibi, ſeu potius Fontanino ejus verba invita in ſuam cauſam trahenti reſpondet. Quid plura? ſibi ipſemet Fontaninus reſpondere potuiſſet, niſi elaberentur, quae ipſe prae oculis, & manibus habet. Nam ante paucas paginas eodem Cap. IV. hos Corippi verſus de Coronatione Juſtini II. Auguſti laudavit:

Coelique potentem
Exorans Dominum, Sacro Diademate juſſit
Auguſtum vincire caput, ſummoque coronam
Imponens apici feliciter &c.

Quid aliud quaerimus, ut tandem pateat, nil amplius Modoëtienſi olim Coronae tributum, quam caeteris regalibus inter ſacra computatis? quod enim ad iſtos verſus ſubſiſtens Fontaninus, tacito meo nomine, me compellat, ſcribens: *Erras, Critice, erras. Nam Diadema proprie ſumtum cum Corona proprie ſumta confundis. Nos tibi Corippum opponimus, qui Juſtino II. & Diadema, & Coronam impoſitam ita deſcribit.* Equidem vereor, ut riſum teneant Lectores doctiſſimi, quibus perſpicuum eſt, promiſcue uſurpari vocabula *Diadematis, & Coronae*, idque vel ex paucis allatis locis conſtare; neque apparere, duas res diverſas a Corippo enarrari, ſed potius Poetica amplificatione unum idemque duabus phraſibus explicari. Itaque fruſtra pro opinione Modoëtienſium de Clavo Dominico proferuntur

Gun-

Guntherus, & Villanius. Et ſane apud iſtum alibi memoratam animadvertas, hoc eſt Lib. IV. Capp. XXVII. & XXXIX. Coronam Ferream, ſed abſque titulo *Sanctae*, idemque eſſe apud illum *la ſacra Corona*, ac *la ſanta Corona;* Nam Cap. LXII. ipſi laudantur *La Santa Memoria dello Imperatore Arrigo*, ac ſubinde *il Santo Imperio*. Imo Cap. LIV. & alibi, quod nos *Sacra Majeſtas* alloquendo Caeſares dicimus, ipſe *Santa Corona* dicit.

Quibus ex rebus jam videas nullum Modoëtienſibus veterem ſcriptorem, aut teſtem proferri ſuae opinioni faventem. Contra jam nos phalangem, ut ita dicam, Auctorum laudavimus, alioſque ſuperaddere poſſumus, qui ante medium ſeculum XVI. Coronam Ferream memorarunt, contrectarunt etiam, atque deſcripſerunt, & ne hilum quidem de Clavo Dominico dixerunt. Silentium hocce tot hominum, tot ſeculorum, quid aliud eſt, quam loqui contra Modoëtienſes, eorumque recentem opinionem novitatis, & falſitatis arguere? Atqui hoc argumentum eſt negativum, inquit Fontaninus; illudque non uno in loco is videt.

Siquidem viguiſſet olim fama de Clavo, quem intextum nunc volunt, id multi ex iis ſcriptoribus noviſſent; ſi vero noviſſent, non tacuiſſent. Praecipuum hoc erat illius Coronae decus, & deſcribentibus minime excidiſſet. De ea locuti ſunt complures antiqui *Scriptores Mediolanenſes* & *Aeneas Silvius*, qui Mediolani aliquandiu eſt verſatus. Ipſam quoque nunc ſemel commemoravit *Bonincontrus Morigia* in Chronico Modoëtienſi, atque ipſe *Balthaſſar Fidelis Modoëtienſis Baſilicae* olim *Archipresbyter*. Hi ſane rerum illarum peritiores, quam Villanius Tuſcus, fuere. Atque hi ut cum Melchiore Cano loquar, tantam praerogativam non omiſſuri erant ſi ſciviſſent; ſcituri autem erant ſi fuiſſet. Neque eſt, quod Fontaninus elabi ſe poſſe putet Cap. VII. in dubium vocando, num *Fidelis vix umquam Modoëtie ſubſtiterit*. Certe tandiu ibi ſubſtiterit neceſſe eſt, ut colligere potuerit *Praerogativas* multiplices Baſilicae ſuae, quas anno 1514. Leoni X. P. M. dicatas Libro in folio evulgavit. Sed ut brevius agam, litem hanc dirimere una Bononienſis coronatio Caroli V. poteſt. Quid ibi actum, qui ritus ſervati, non tantum Paulus Jovius inſignis Hiſtoricus, & oculatus teſtis, verum & ipſe Pontificius rituum Praefectus Blaſius Caeſenas Literis mandarunt; imo uterque Coronam ipſam Ferream deſcripſit, ille in ſua Hiſtoria, hic apud Raynaldum in *Ann. Eccleſ. ad annum* 1530. §. XII. Procul dubio ſi quiſquam reſcire debuit, num ſacrum Dominicae

Paſſio-

Paſſionis pignus intextum Coronae Ferreae foret, is fuit ea occaſione Blaſius Caeſenas, ad quem ſpectavit coronationis ſeriem recte deducere, & noſſe ſi quid venerationis impendendum eſſet Modoëtienſi Diademati; atqui ille nullum peculiarem honorem Coronae ejuſmodi adhibitum ſcribit, nullum venerationis ſignum; immo Coronam ipſam delineans ita loquitur. *Haec Corona, ut habeatur aliqualiter ejus cognitio, & ejus forma, Circularis, & latitudine quinque digitorum eſt, vix coronam unius Epiſcopi circuens, nec capiti firmari poterat. Ex Modoëtia delata fuit &c.* Lege reliquam narrationem. Quae Cap. VIII. ſuae Diſſertationis reponat Fontaninus, ut ſe a Jovii, & Caeſenatis auctoritate expediat, ſunt, ut benigne loquar, tam levia, ut vim argumentationis noſtrae nulla ex parte elevare poſſit. Ii coronationi interfuere, ii coronam ipſam, ejuſque uſum intuiti ſunt, & deſcripſerunt; ii ergo ſatis nos docent ſe de Clavo Dominico nihil accepiſſe, nullaque veneratione exceptam tunc fuiſſe ejuſmodi Coronam. Et tamen audire nunc cogimur qui Jovio, & Caeſenati a Sacris Caeremoniis ipſius Pontificis, teſtibuſque oculatis nunc opponant, & praeferant Ripamontium, uno fere ſeculo a Caroli V. Coronatione remotum, ſcriptoremque parum Criticum, & Fidei non uſquequaque certae, qui narrat, ad conſpectum Coronae Ferreae *ſubito perfuſam horrore concionem obriguiſſe &c.* Rem tantam novit immenſus populus tum Bononiae coactus: & ſoli Jovius, rituumque Praefectus, caeterique Scriptores eorum temporum ignorarunt?

Non his ultra immorabor. Nuperos vero teſtes, a Modoëtienſibus eorumque Patrono Fontanino prolatos, excutere non eſt hujus loci. Id unum regero. Ampliſſimos Cardinales Borromaeos, Sanctum nempe Carolum, & Fridericum, Mediolanenſes Archiepiſcopos, de veritate Clavi Dominici minime dubitantes Chorus ille teſtium novis exhibet. Et tamen eximii Praeſules illi, qui, ſi vera haec forent, Coronam utpote ſacrarum rerum Modoëtienſis Baſilicae praetioſiſſimam, & prae ceteris cultu dignam, honore publico donare potuiſſent, imo debuiſſent, ii, inquam, ipſam in latebris, atque inhonoratam prorſus relinquere. Quid ſignificet, prudentes Viri non indigent ut a me edoceantur. Addo, exiſtere adhuc in Archivo Archiepiſcopali Mediolanenſi Librum juſſu celeberrimi Card. Friderici Borromaei die 26. Junii anno 1621. ſcriptum hoc titulo: *Dello ſtato della Chieſa di Monza*. Accurate ibi recenſentur ſingulae ſacrae Reliquiae in Modoëtienſi Baſilica adſervatae, & publica veneratione donatae,

donatae, nihilque ibi de ſacro Clavo occurrit. Tum pag. 45. habetur; *Nota del Teſoro della Chieſa Collegiata di S. Giovanni Battiſta di Monza. La Corona Ferrea del Regno d'oro. La Croce dello ſteſſo Regno con il ſuo pendente ec.* Et ne heic quidem ullum de Clavo Dominico verbum, nullumque cultus ſignum Coronae Ferreae impenſum. Num dormitabant Modoëtienſes? dormitabant ne ipſi accuratiſſimi, & piiſſimi Archiepiſcopi, qui ingloriam, & confuſam cum reliquis Theſauri Modoëtienſis non ſacris rebus tandiu Coronam patiebantur, quam tamen, ſi Modoëtienſibus credimus, ſanctiſſimo pignore auctam & ipſi credebant? Vix fieri potuit, ut ſuo cultu, ſua veneratione tam inſigne pietatis monumentum ipſi fraudarent. Sed tandem anno 1655. increbreſcente apud Modoëtienſes dulci fama de Clavo Dominico ſuae Coronae inſerto, illius Oppidi Clerus ipſum Diadema publicae venerationi exponere coepit: quod conſilium ſubinde Archiepiſcopalis Curia turbavit, ut conſtat: novitatem nempe rei animadvertit, ac minime tulit.

Quae cum ita ſint, videant qui pro Modoëtienſium opinione pugnant, quam cauſam protegendam ſuſceperint. Ubi de cultu ſacrarum antiquiſſimarum rerum agitur, aut antiquam Traditionem adferre opus eſt, aut immemorabilis temporis Poſſeſſionem. Atqui Modoëtienſes Traditione deſtituuntur, quum nullum ex antiquitate teſtem laudent; Et contra ita veteres de Corona Ferrea loquuntur, ut ipſam ſacro Clavo inſignitam nunquam ſe noviſſe ſignificent. Rurſum neque Poſſeſſionem antiquam publici Cultus oſtendere poſſunt, immo ejuſmodi Cultus initium perquam recens oſtenditur. Quei ergo nobis perſuadeat ille Populus, ſe non tantum Celeberrima Corona, ſed etiam pretioſiſſimo Dominicae Paſſionis monumento frui? Equidem per me illis liceat colere, quod bona fide ſe poſſidere putant: At credere quid ipſi, mihi reluctantibus melioris Criticae Regulis, integrum non eſt. Quod ſi eorum patronus Fontaninus in fronte Baſilicae Modoëtienſis magnis Characteribus inſcribendam vult hanc Vincentii Lirinenſis epigraphen, qua ſuam Diſſertationem claudit, DESINAT INCESSERE NOVITAS VETUSTATEM: ego epigraphen hanc, utpote Baſilicae illi, & cauſae quam is tractat, incongruam, inde auferens, in ipſius tantum Fontaninianae Diſſertationis fronte inſcribam, & aequius ibi atque aptius collocatam, ſi opus fuerit, rurſus contendam. Tu interea &c.

Mutinae XII. Kal. Decembr. MDCCXIX.

Digitized by Google

00566A428

Digitized by Google

ce

Digitized by Google